





V
B
J
C

TYPVS VERÆ RELIGIONIS,

Seu

TRACTATVS

SPECVLATIVVS & MORALIS.

DE VIRTVTE RELIGIONIS.

DE SPECIEBVS RELIGIONIS.
DE VITIIS OPPOSITIS RELIGIONI.
DE AVGVSTISS. SACRAMENTO EVCHAR.
DE FIDE, ET OPPOSITIS FIDEI VITIJS.

Iuxta doctrinam Venerabilis
P. F. IOANNIS DVNS SCOTI,
D. Subtilis, Ordinis Minorum, omnium
Theologorum facilè Principis.

Operâ, ac studio R. P. F. MARIANI COSTENI, Ordinis
Minorum Regularis obseruantiæ, Prouinciæ Maioris Poloniæ, S. MARIÆ ANGELORVM, Patris, & S. Theologiæ Lectoris Iubilati.

Opus Theologis, Parochis, Concionatoribus, ac Confessarijs, summè vtile, ac necessarium.

Cum Licentia Superiorum.

POSNANIÆ,
In Officina ALBERTI REGVLI, *Anno* D. M. DC. XLIII.

AMPLISSIMIS. PERILLVSTRIBVS, ET ADMODVM REVERENDIS DOMINIS, D. PRÆLATIS, ET CANONICIS.



Almi Varmiensis CAPITVLI.

Dominis, ac Benefactoribus Colendissimis; Salutem, & perennem felicitatem.

REligio meritò à Doctoribus primũ mobile appellatur, PERILLVSTRES ac ADMODVM REVERENDI DOMINI, sicut enim primum mobile secum rapit omnes sphæras inferiores, eoq; moto, mouentur; ita Religio vera mouet omnes virtutes, quis enim progressus in virtutibus esset, si non ante omnia in vera Religione fundentur? Ista enim est primus annulus, magnæ virtutum aureæ catenæ, qui si rumpatur, omnia dissoluuntur. Hunc ego annulum

in Palæstra Doctoris Subtilis cudendo, & sub titulo Typi veræ Religionis in publicam vtilitatem, proferre cogitando; cœpi mecum cogitare, quem ei Patronum, tutorem, ac defensorem eligerem, cuius fauore, patrocinio, & approbatione, tutiùs multorum subiret iudicium; & ecce in mentem venistis PERILLVSTRES ac ADMODVM REVERENDI DOMINI, Benefactoresque colendissimi, vt vobis offeratur, dicetur, ac consecretur; Cui enim alteri hoc meum qualecunque opusculum feliciùs dedicem? quàm vobis PERILLVSTRES ac ADMODVM REVERENDI DOMINI. Quis enim non videat consequens, vt Typus veræ Religionis, tutandus, fouendusque committatur, veræ Religionis propugnatoribus, ac acerrimis defensoribus. Homeri Iliades Vlyssi, vt potè Heroum præclara gesta, arma fortia, militum insignia, triumphos ac victorias, Heroi clarissimo, bellatori strenuissimo consecratas reperio. Paridem Troianum Cypri Deæ, aureum pomum oblatum veterum monumenta testantur. Palladi arma, quæ Threicius efformauit Mauors. Iurene necne factum? vetustas erroris ostendit: Rectiùs à me cum labore quæsitus in Musæi peristylo, Venerabilis F. P. IOANNIS DVNS SCOTI D. Subtilis, Typus veræ Religionis, pretiosior non modò Paridis, sed omnibus etiam Alcinoi pomis; vtilior Homeri Iliadibus; in quo fortiora Palladis armis, arma elaborata, non ad effundendum Sanguinem, sed ad remouendam offusam mentibus Hæreticorum caliginem, ad confutandos eorum crassos errores, vobis PERILLVSTRES ac ADMODVM REVERENDI DOMINI offertur, ac consecratur, & sub vestris auspicijs in lucem, & in aciem pugnaturus, ac debellaturus prauos hæreticorum insultus, prodit, & quam à viribus suis, non spondet victoriam, à vestra virtute, pietate, & Religione, quæ in vobis elucescunt, &

Quæ nec ventura silebunt.
Lustra, nec ignotâ rapiet sub nube vetustas.

Quô enim

Quô enim meliùs collimâssent, nisi ad suos Patronos, & Fautores, viros Sapientes, & Religionis Catholicæ promotores. Nam si coniiciamus paulisper cogitationem in viros Capituli Varmiensis, qui in annalibus viuunt, & viuent in æuiternum, & in ore hominum, & mentibus versantur; & si aspiciamus in omnes Amplissimi Capituli Vestri partes, videbimus viros omni virtutum, & scientiarum genere celeberrimos; in excolenda, & exercenda in omnes beneficentia claros, summis ingenijs, suauissimis moribus cumulatos ad labores in Ecclesia Dei sustinendos, expeditos, ad consilia danda, prudentes, ad virtutis surculos inserendos, propensos; ad errores hæreticorum funditùs extirpandos, feruentes. In vestro enim Amplissimo Capitulo, tanquam in aliqua editiori specula, omnium oculis conspiciebantur, & nunc conspiciuntur, viri dignissimi, amplissimis in Ecclesia Dei publicis officijs condecorati; quos nec grauissimi labores in ornanda Ecclesia, debilitare, nec vllæ difficultates ab instituto cursu amouere vnquam potuêre. Ex vestro enim Capitulo tanquam ex fœcundo solo, nobilissima Clarissimorum Virorum, generis, vitæ, Sapientiæ, Religionis lumine splendentium ornamenta, ad Infulas, & Cardinalatus, aliaque munia, & officia in Ecclesia Dei, & Republica Polona profluxerunt.

Testis est Stanislaus Hosius Almæ Ecclesiæ Varmiensis Episcopus, S. R. E. Cardinalis Eminentissimus, virtute, prudentiâ, grauitate, Sanctimonia vitæ, celeberrimus, hæreticorum propugnator acerrimus, vt libri ipsius apertè demonstrant. Testis est Martinus Cromerus rerum gestarum, maximè Gentis Polonæ, Historiographus fidelissimus, vir in amplificanda Religione Catholica feruentissimus. Testes sunt tot viri in Amplissimo Vestro Capitulo, quorum in suscipiendo quocunque negotio dexteritas, & prudentia, in perficiendo constantia, & fides, in dicenda sententia grauitas,

uitas, & auctoritas, in omni genere ſcientiarū excellētia enituit; tot enim fuerunt Iuris vtriusque Doctores, tot Theologi præſtantiſſimi, tot Mathematici, & Philoſophi inſignes, tot hæreticorum mallei; ſed quis dignè poſset tantorum virorum literarum culturam, celebrare? admirandum omnium virtutum concentum prædicare? verùm multos conſultò viros, memoratu digniſsimos prætereo, cū multa annalium monumenta, ad omnem ferè mortalitatis memoriam celebranda, vberiorem omnibus,& luce meridiana clariorem, de illorum præclarè factis relinquant informationem, & laborum pro Eccleſia Dei commendationem. Vidit has inſignes virtutes Almi Capituli veſtri Sedes Apoſtolica, & veſtrum Inſigne Tiarâ Pontificali condecorauit, ac inſigniuit, multiſque Priuilegijs exornauit, vnde per totam pœnè Europam immortalem vobis laudem comparauit. Felix Ampliſsimum Capitulum Varmienſe arbitror, cui Deipara Virgo Sanctiſsima,pro Inſigni data, non aliam puto ob cauſam, quàm quòd omnes Prælati Almi Capituli veſtri fuerunt, Beatiſsimæ Virgini deuoti, ſuaſque mentes, & ſtudia in eius honorem exornandum conferebant; vel quòd hæreticorum expugnatores fortes extiterunt, quos Beatiſsima Virgo in vniuerſo mundo interemit; quæ vtinam omnibus errantibus, veluti Helice portum ſalutis, & veritatis oſtendat.

Non abſimiles Vos Perillvstres ac Admodvm Reverendi Domini, anteceſſoribus veſtris video, qui virtutes virtutibus, honores honoribus, prudentiam prudentia, pietatem pietate, zelum zelo, merita meritis, cumulatis, aggregatis, colligitis ditiſsima. Video enim Ampliſsimi Capituli veſtri conſtantiam, nulli metamorphoſi ſubiectam, & in ſtatu felici, præclaris legibus, & ſingulari mutuaque Confratrum charitate inſtitutam, ſummâ conſtantiâ conſeruatam, maxima virtute ornatam. Quid igitur mirum ſi Typus veræ Religionis ad veros Religionis propagatores properet? ſi

ſapientia

sapientia sapientibus consecretur? si materia Ecclesiastica, Prælatis Ecclesiæ, vel fouenda, vel tuenda offeratur? Hunc itaque Typum veræ Religionis, Vobis PERILLVSTRES ac ADMODVM REVERENDI DOMINI dico, ac consecro: securus credo in Vestræ beneuolentiæ roborario conquiescet; gloriosè hospitabitur, cui Vestra spectata virtus, auita nobilitas, singularis prudentia, & eximia eruditio, zelus Religionis Catholicæ, lucem affundet; & qui propriæ tenuitatis conscius, lucem aspicere formidat, sub vestris in medium prodit auspicijs, & nullius verebitur conspectum. Accipite igitur PERILLVSTRES ac ADMODVM REVERENDI DOMINI, hoc singulare Religionis nostræ, quàm munificentissimis beneficiis subleuatis, erga vos amoris, & gratitudinis testimonium; Id ego si obtinuero, vosque eo, quo hic vobis à me deuouetur animo, vultu hilari, acceptaueritis, vel inde non inutilem, in eo componendo, me locâsse operam arbitrabor, Deumque Ter optimum Maximum precabor, vt Vos saluos, & incolumes, Religioni Catholicæ, Patriæ, & Nobis diutissimè conseruet. Datum in Conuentu Posnaniensi Ord: Minor: Regularis obseruant: vi Kalendas Augusti. Anno salutis 1 6 4 5.

Perillustrium, ac Admodum RR. DD.
Vestrarum.

Humilis apud Deum exorator.

Frater MARIANVS COSTENVS Ord: Minorum
Regul: obseruant. S. Theologiæ Lector Iubilatus.

CENSV-



CENSVRA
Reuerendi Patris NICOLAI DAMBROWSKI, S. Theologiæ Magistri, in Conuentu Posnaniensi Fratrum Carmelitarum, Antiquæ Regularis obseruantiæ Prioris, ibidemque Studiorum Regentis.

EX Commissione Perillustris ac Magnifici Domini IOANNIS BRANECKI, Archidiaconi Psczeuensis, Scholastici Varsauiensis, S. R. M. Secretarij, Vicarij in Spiritualibus, & Officialis Posnaniensis Generalis. perlegi opus, cui Titulus est TYPVS VERÆ RELIGIONIS, à Reuerendo Patre Fratre MARIANO COSTENO, Ordinis Fratrum Minorum Regularis obseruantiæ, Patre Prouinciæ Maioris Poloniæ, Sanctæ MARIÆ Angelorum, Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, compositum, in quo nihil reperi, quod Orthodoxæ Fidei, & Sanctis moribus contradicat, quinimò tam magna eruditione plenum, vt in illo quilibet plura habeat, quæ ad augendum propagandumq; cultum Diuinum, formandamq; vitam Religiosam iuuare possint. Quare vt in communem vtilitatem lucem accipiat, typisq; mandetur, dignum iudico. In quorum fidem, mea manu subscripsi. Datum iu Conuentu Nostro Posnaniensi ad ædes Sacratissimi Corporis Christi, 22. Die Iulij, Virginei Partus, Anno 1643. Idem qui supra m. p.

Approbatio Theologorum.

NOs infra scripti in Sacra Theologiæ facultate Lectores, fidem facimus perlegisse Librum, cui Titulus est, Typus veræ Religionis, ex mandato Superiorum, á R. P. F. MARIANO COSTENO S. Theol. Lectore Iubilato, & Prouinciæ nostræ Patre, conscriptum, in quo nihil offendimus, quod non concinat Catholicæ fidei, & optimis moribus, imò verò religionem veram redolet, & hæreticorum insultus reprimit, futurusque in Dei gloriam, & singulare commodum proximorum. Eum itaque prælo committi, & in lucem edi, iudicamus. Posnaniæ 9. Kalend. Augult. Anno 1643.

Fr. CASIMIRVS GAMBINIVS *S. Theologiæ Lector Iubilatus, & Prouinciæ Pater.*

Fr. HIERONYM. VVOLSTINIVS *S. Theologiæ Lector Generalis, & Diffinitor Habitualis.*

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM ET QVÆSTIONVM.

TYPI VERÆ RELIGIONIS.

DISPVTATIO I.


De Virtute Religionis. Fol. 3.




PETES

1. Quid

QVÆ-



PETES



PE-

QVÆ-



DISPV-

TYPVS VERÆ RELIGIONIS
Seu
TRACTATVS
SPECVLATIVVS & MORALIS DE VIRTVTE RELIGIONIS ET DE OMNIBVS SPECIEBVS EIVS AC DE IRRELIGIOSITATE

Iuxta doctrinam Venerabilis.

P. F. IOANNIS DVNS SCOTI D. Subtilis Ordinis Minorum, omnium Theologorum facilè Principis,

PROOEMIVM.



SIcut sine anima rationali homo non est homo, ita sine vera Religione, secundùm Deum, homo non est homo, nisi externo vultu, Religio enim vera vocat hominem ad Deum, vocat ad cultum Diuinum: Quæ enim iustitia tribuens vnicuique quod suũ est, inter homines esse potest, nisi ante omnia detur Deo, quod illi debetur;

Quem honorem, quam reuerentiam parentibus deferent filij, si denegetur honor Deo, omnium nostrum primario parenti? Quam obedientiam expectabunt Principes à suis subditis; si nō obediant omniū Principum Principi, & omniū Regum Regi, Deo super omnia benedicto? aut quem progressum in virtutibus faciemus; si non ante omnia in vera Religione, omnium virtutum origine fundemur? Religio enim est, velut primum mobile, quod secum trahit inferiores sphæras. Hæc est anima mundi, à qua vita nostra spiritualis primò nascitur. Hæc est circulus, qui omnia nostra bona complectitur: quæ si in aliquo regno non regnet, frustra conduntur leges, vana sunt iudicia, corruunt, confunduntur omnia. Veræ itaque Religionis typum seu Tractatum de Religione, cum omnibus speciebus eius in lucem, & publicam vtilitatem profero; eumque Tractatum in duas Disputationes principales diuido. In prima de virtute Religionis, & omnibus speciebus dissero: in secunda de irreligiositate, seu oppositis vitijs Religioni, assero.

DISPV-

DISPVTATIO I.

De Virtute Religionis

PRæsens Disputatio in 10 Quæstiones diuiditur. In 1. quæretur quid sit Religio vt virtus. In 2 de Adoratione. In 3. de Oratione, & laude Dei In 4. de Iuramento, periurio, & mendacio. in 5. de voto. in 6. de celebratione festorum, & Missa audienda. in 7. de Augustissimo Sacramento Eucharistiæ. in 8. de Sacrosancto Missæ Sacrificio. in 9. de Decimis. in 10. de Beneficijs.

QVÆSTIO I.

Quid sit Religio?

In hac Quæstione Prim. inquiram, Quid sit Religio vt virtus.
2 Quomodo à cæteris virtutibus distinguatur, qualisque sit virtus.
3 De Religione, vt est status religionis.

ARTICVLVS I.

Quid sit Religio vt virtus.

Nota 1. Hoc nomen religio dicitur, vel à religando, quòd scilicet hominem Deo Religet, & astringat, teste Lactantio. *lib.* 4. *de Diu: instit c.* 28. vel à religendo, quod per eam, Deum quē per peccatum reiecimus reeligamus, teste Isidoro *lib:* 10. *Etymol:* c. 17. vel à relegendo sæpiùs ea, quæ sunt Diuini cultus, & in corde ea ruminando; vel tandem à relegando à nobis quæcunque quouis modo profectum impediunt Spiritualem, iuxta illud Psalm: 72. *Quid enim est mihi in cælo, & à te quid volui super terram: Ad hæsit anima mea post te.* Religio vnde deducitur.

Nota 2. Religio vt virtus est pars potentialis iustitiæ; omnis enim illa virtus, in qua cernitur aliquod debitum ad alterum, pertinet ad iustitiam. Atqui Religio est iustitia quædam creaturæ ad Deū, quæ suo Creatori debitum cultum, & honorem persoluit, & hæc Religio pars iustitiæ.

primum & summum debitum, quod in homine nasci potest respicit, hominemq; inclinat, vt illud quantum fieri potest suo Auctori exsoluat.

Causæ Religionis. Nota 3 Causa materialis Virtutis Religionis, sunt omnes actus, quibus colitur Deus, Vt est adoratio, oratio, votum, Sacrificium, iuramentum, decimæ &c. Formalis verò ac finalis intrinseca, est debitum inadæquabile iuri Diuinæ excellentiæ.

Actus 4. Religionis. Nota 4. Quatuor actus in officio Religionis inueniuntur. 1. consideratio infinitæ maiestatis Dei, & omnia ab ipso pendere. 2. consideratio nostri nihili, id est, nos ex nobis nihil esse, nihil habere, sed quidquid sumus, & habemus, Dei esse, & à Deo assiduè pendere. 3. Profunda mentis submissio, & in clinatio coram Deo, quâ mens hæc ipsa interiùs testetur. 4. Eorundem professio exterior, Verbis, gestu corporis, vel alijs modis.

Definitio Religionis. Dico Religio est virtus inclinans ad debitum honorem, & cultū exhibendum Deo, tanquam primo principio, & supremo rerum Domino. Dicitur *virtus*, nam habentē bonum efficit, eiusq; opus bonū reddit, Dicitur, *inclinans ad debitum honorē & cultum*, vt ostendatur, quòd honor & cultus Deo exhibendus, debet esse cum quâdam submissione nostri. Aduerte hîc breuiter, quòd omnis cultùs sit honor, non tamen omnis honor sit cultus, eo quòd Deus honoret sanctos, non tamen colat: nam licet honor sit testimonium excellentiæ alterius præstitus, verbis, gestis, alióuè externo signo, cultus tamen insuper submissionem nostri includit, & quasi opinionem de nostra quadam cum vilipensione, subiectione, debita alteri. Vnde licet agnoscamus quandoq; hominem nobis excellentiorem esse virtute, sapientiâ, dotibus, nobilitate, nihilominùs non ampliùs tenemur, quàm honorare eum, vt eminentiorem nobis; non tamen colere. Dicitur *Deo tanquam primo principio &c.* vt assignetur differentia Religionis â cæteris virtutibus, (de quo sequenti Articulo) & vt causa detur, cur ab homine Deus coli, & honorari debeat.

ARTICVLVS II.

Qualis sit Religio virtus, & quo modo à cæteris virtutibus distinguitur?

Dico

DICO 1. Religio est virtus moralis contenta sub iustitia, non verò supernaturalis infusa. Ita D. Subt: *in 3. dist: 6. § Licet de istis virtutibus moralibus infusis. n. 28.* Est contra S. Thomam 1. 2. q. 63. a. 3. & 4. Vbi medina *art.* 3. dicit esse ingentem temeritatem negare virtutes morales infusas; verùm hoc dicit sine vllo fundamento, vt mox patebit in responsione ad obiectiones. Probatur 1 Conclusio Quia nulla necessitas aut ratio cogit, vt dicamus Religionem esse virtutem infusam. Ergo est moralis. Antecedens Probatur, quia ad hoc virtutes sunt hominibus necessariæ, vt fines suos debitos consequantur. Sed fines suos consequuntur per solas virtutes Theologicas infusas, & morales acquisitas. Ergo sicut non dantur aliæ virtutes morales infusæ, ita neque Religio est virtus moralis infusa. Minor probatur Quia duplex est finis hominis, vnus naturalis, & alius supernaturalis, ad consequendum finem supernaturalem, sufficiunt virtutes supernaturales, quæ supernaturaliter infunduntur, ad consequendum verò finem naturalem sufficiunt virtutes morales acquisitæ. Ergo superfluæ sunt virtutes morales infusæ. Probatur 2 vel huiusmodi virtutes morales infusæ admittendæ sunt hominibus ad substantiã operationis, vel ad illius facilitatem & promptitudinem. Sed nõ primũ, quia ad hanc sufficit ipsa naturalis potentia nuda, siquidem antequam habeat virtutis habitũ, potest homo efficere alia opera moralia bona. Neque secundũ est necessariũ, hoc enim præstant virtutes assuetudine, & exercitio. 3 Vel eiusmodi virtutes morales infusæ, essent eiusdem speciei cum acquisitis, vel diuersæ. Non eiusdem speciei, quia duæ virtutes eiusdem speciei, & solo numero differentes, in eodem subiecto esse non possunt, quia duo accidentia solo numero differentia secundùm eos in eodem subiecto esse non possunt. Non diuersæ speciei, quia habitus morales, qui sunt circa eandem materiam, quorum actus sunt eiusdem speciei, non differunt specie; sed si essent duæ temperantiæ, vna infusa, & altera acquisita, essent circa eandem materiã, & actus eorum essent eiusdem speciei. Ergo &c. Confirmatur I. Quia Religio quatenùs nos ordinat ad Deum, vt est finis supernaturalis, hoc habet ex relatione ad fidem, spem, & charitatem, sicut

Quid sit Religio

Non est virtus infusa Religio.

ſicut aliæ virtutes morales, quæ extrinſeco virtutum Theologicarum impulſu, & motu ad finem ſupernaturalem diriguntur ita vt virtutes Theologicæ, & maximè charitas tribuat virtutibus moralibus, vt ſuas actiones, & officia ad finem ſupernaturalem referant: ac proinde opinio D. ſubtilis non eſt temeraria, vt vult Medina, ſed efficaciſſimis rationibus ſtabilita, & multorum grauiſſimorum Theologorum authoritate firmata. Eam enim ſequitur Durandus *in 3. diſt: 33. a 6. Occam in 4. diſt. 4. q. 3 ad 3m.* Gabriel *ibidem q. 1.* Baſſolus in 3. *d. 33. q. 2.* Rubion, Aretinus *ibidem Articulo 12.* & alij. Confirmatur 2 Si ex eo ſolùm colligeretur Religionem eſſe virtutem moralem infuſam, quòd verſetur aliquo modò circa Deum, ſequeretur nullam virtutem eſſe moralem, quia omnis virtus moralis reſpicit aliquomodò Deum. Porrò Religio non verſatur immediatè circa Deum, ſed circa cultum Dei, id eſt, circa ſigna interna & externa, quibus Deus honoratur.

Obiectum Religionis

Obycivnt 1. oppoſitæ ſententiæ authores, definitionem Clementis V in Concilio Viennensi, & aliquas authoritates ſacræ ſcripturæ, quæ indicant apertè virtutes morales à Deo infundi, vt ad *Galat 3. Qui operatur virtutes in nobis.* Reſpondeo Clemens *loco citato* loquitur de virtutibus Theologicis, non de moralibus infuſis, vt patet ex contextu. Ad authoritates ſacræ ſcripturæ quæcunq; afferri poſſũt dicendũ, quòd in ijs locis, Deus dicitur author virtutum, quatenùs virtutes in Dei gratiam, tanquam in principium, & præcipuum fontem reducendas eſſe, virtutes enim Dei dona ſunt, ad quæ nos excitat.

Obiect. 1.

Obycivnt 2 teſtimonia SS. PP. vt S. *Ambr: lib. 6 Hexam: c. 7.* vbi dicit *animam illam à Deo pingi, quæ habet in ſe gratiam virtutum.* S. Auguſt. in Pſal. 118 inquit *Quis infundit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium?* Reſpondeo S. Ambr. loquitur, de virtutibus etiam acquiſitis, quibus etiam anima ornatur, & depingitur, imò verò potiùs de operibus bonis loquitur, quibus homo in dies magis ac magis fit iuſtus. Ad S. Auguſtinum dico quòd ibi loquatur de iuſtitia, non vt eſt virtus moralis, ſed vt eſt gratia, & charitas.

Obiectio. 2

Obyci-

OBYCIVNT 3 Necessarium est assignare virtutes morales, quæ versentur circa media relata ad finem supernaturalem? nam si solùm virtutes infusæ supernaturales essent, & non acquisitæ, infusa non esset in nobis completa perfectio supernaturalis. Respondeo Nego virtutes morales, vt docet Caietan. circa media esse, cùm omnes virtutes sint propter fines honestos, non enim vna virtus deseruit alteri præparans illi media, & sic virtutes morales acquisitæ, sunt meritoriæ vitæ æternæ, adiutæ à Theologicis. Virtutes sunt propter fines

DICO 2 Religio vt virtus distinguitur à virtutibus infusis. Probatur quia Theologicæ versantur immediatè circa Deum, Religionis autem obiectum proximum est cultus Dei, per exercitiū illorum actuum, qui protestantur, & significant excellentiam Dei, vt est vltimus finis, & principium primum creaturarum, in quo tamen distingui potest ab alijs virtutibus, quòd respiciat Deum, vt obiectum materiale proximum. Religio distincta ab infusis.

DICO 3 Religio non solùm distinguitur ab ijs virtutibus, quæ componunt hominem rectè in seipso: sed etiam à iustitia. I pars constat. 2. probatur, nam licet Religio inclinet ad debitum honorem, & cultum exhibendum alteri, tanquam primo principio, & supremo rerum Domino. Sed hoc debitum non potest esse in nobis ad æqualitatem operis, cùm non possimus ad æqualitatem Deo retribuere, sicut nec parentibus, nec patriæ, & sic Religio non est iustitia strictè sumpta. Religio distinguitur à iustitia.

ARTICVLVS III

De Religione, vt est status Religionis.

NOTA Religiosos semper execrati sunt, & execrantur Hæretici: sed vtinā audiant S. August: in Psalmū 132. *Dicere consueuerunt* inquit de Donatistis, *Quid sibi vult nomen Monachorum; ostendite vbi scriptum sit?* Ad hæc S. Augustinus, Meritò insultant nomini vnitatis, qui se ab vnitate præciderunt; meritò illis displicet nomen monachorum quia illi nolunt habitare *in vnum: sed sequentes Donatum* (dicamus nos Lutherum, aut Caluinum) *Christum diuiserunt.* Audiant S. Chrysostomum, qui *in Matth. hom.* 8. comparat congegationes religiosas, varijs astrorum choris, quibus cœlum refulget. Audiant Hæretici execrantur Religiosos

S. Ansc-

S. Anselmum super illa verba *Multi vocati, pauci electi*. *Qui vult esse securus, an sit de electis, debet conari, vt eius vita non sit de numero multorum, sed de numero paucorum, & qui vult esse securissimus, debet fieri de numero paucissimorum.* Audiant S. Hieronym. ad Heliodum Epistola 1. *ô desertum inquit Christi floribus vernans, ô solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocal. ciuitas magni Regis extruitur.* Plures authoritates SS. PP. non commemoro, quia omnes vnanimi consensu *mirum in modum* statum Religiosum extollunt.

Ad statum Religiosũ requisita.

NOTA 2 Ad statum religiosum requiruntur vota, Regula, & Pontificis approbatio. Ad essentiam religionis requiruntur tria vota, eaq; perpetua, paupertatis, castitatis, &obedientiæ. Est cõmunis sententia Theologorum, & Canonistarum. Nec sufficit seruare hæc tria voto sine voto, quia sic non constituunt statum, cùm non habeant firmitatẽ, nec homo perfectè dedicatur Deo, nudâ illâ obseruatione absq; voto, quia libertatem sibi resiliendi retinet, quæ per votum abdicatur. Hinc Nazaræi qui erant typus Religiosorum, voto consecrabantur Domino, vt constat *ex cap. 6. Num.* Deinde ad perfectionem Religionis requiritur vt homo totam vitam suam consecret, nam vt S. Gregorius homil. 20 in Ezechiel: ait. *Cùm quis omne quod habet omne, quod viuit, omne quod sapit omnipotenti Deo vouerit holocaustum est,* addens illud offerri ab his qui seculum deserunt, & relictâ Ægypto, sacrificiumi offerũt Domino in eremo, id est in statu Religionis. Atqui nõ potest quis vitã suã totam simul Deo consecrare ipso actu, quia non tota simul agitur, vt inquit S. Thomas q. 186 *art. 6 ad 2m.* Ergo id voto fieri debet: nec sufficit votum nisi sit perpetuum; quia alioquin est imperfecta sui mancipatio, retrò respicientis & ius retrocedendi retinentis. Quòd hæc tria requirantur Probatur Quia Religio est forma quædam vitæ, vel obligatio ad formam vitæ ducentem ad imitationem Christi Domini, & ad perfectionem charitatis.

Paupertas

Sed hæc tria maximè sunt conuenientia ad imitationem Christi D. & perfectionem charitatis consequendam. Ergo &c. De *paupertate* constat Matth. 19. *Si vis perfectus esse vade, vende omnia quæ babes & da pauperibus &c.* Et Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum &c.* Ratio est, tùm quia papertas tollit superbiam: tùm quia hominem inutili rerum terrenarum sollicitudine liberat: tùm virutes:

fere

fere omnes inducit, vt temperantiam, modestiam, & maximè humilitatē. De castitate matth. 19 *sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei, qui potest capere capiat.* Vnde SS. PP. dicunt *castitas reddit hominem similem Angelis* imò S. Bernard: *Epist* 43. affirmat maiorem aliqua ex parte laudem hominis casti, quàm Angeli, quia Angeli castitas est necessaria, hominis voluntaria. Sed hanc Religiosi spontè, & per votum amplectuntur. Ergo. *De obedientia* patet ex cap. 2. ad philip. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Atqui religiosi exemplo Christi Domini vouent obedientiam per quam voluntas eorum, sensusq; omnes arctissimè Deo coniunguntur, in qua coniunctione omnis hominum perfectio, & Angelorum consistit: imò in hanc virtutem omnes ferè virtutes concurrunt, huc charitas accedit, quia nullus se alteri homini subijcit, nisi magno amore Dei ardeat, huc humilitas, patientia, fortitudo, & constantia aduenjunt. Castitas Obedientia.

QVÒD requiratur obseruantia Regulæ, præter precepta Diuina, præsertim quoad tria vota essentialia, & quæ pertinent ad ea, certum est, vel quæ sunt præcepta in Regula, obligantia ad finem Religionis sine quibus finis Religionis haberi non potest. Quare in qualibet Religione videnda præcepta Regulæ, quo modo obligent. In Regula Fratium minorum, fuit opinio nimis scrupulosa, quòd Fratres ad ea omnia teneantur sub peccato mortali seruanda, quæ continentur in Regula. Sed hanc opinionem declarauit Nicolaus III falsam esse, dicens *Ex professione Regulæ ad ea tantùm consilia Euangelica Fratres astricti sunt, quæ in Regulà præceptoriè, seu inhibitoriè, vel sub verbis æquipollentibus exprimuntur.* Deinde in ordine minorum fuit opinio laxioris conscientiæ, asserentium præter tria vota, nimirū paupertatis, castitatis, & obedientiæ, nihil esse obligatorium, sed hæc opinio per Clementē V falsa esse declaratur. *Declaramus inquit, & dicimus, quòd Fratres non solum ad illa tria vota absolutè accepta ex professione Regulæ suæ obligantur, sed etiam ad ea omnia, quæ sunt pertinentia ad hæc tria.* Et hoc deducitur apertè ex capite 2. Regulæ vbi dicitur. *Promittentes vitam istam, & Regulam obseruare.* Hinc Colligunt Expositores, quòd præter vota essentialia alia sunt præcepta in Regula Fratrum Minorum, formalia, alia inhibitoria, vim præcepti habentia, alia æquipollentia. Regula requiritur. In Regula minorum quæ seruanda in Regula.

Hæ autem obligationes non nascuntur ex Pontificum, decretis sed ex natura Regulæ iuncta intentioni Institutoris eius, & ex conformitate voluntatis eorum, qui à principio Regulam vouerunt.

Approbatio necessaria.

Denique ad statum Religiosum, necessaria est Ecclesiæ approbatio: quia sinè approbatione hac, non potest esse status spiritalis supra communem statum christianorum, ac proinde à christo Domino descendere debet, idque mediante ipsius vicario, sicut omnes gradus Ecclesiastici, & omnis iurisdictio spiritualis.

QVÆRES.

Quæ nam sit Religio perfectior.

LESSIVS *lib. 2. de Iure, & iustitia c. 41. dub. 2.* dicit quòd perfectio Religionis non sit metienda, ex austeritate vitæ, neque ex eo rigore paupertatis, secundum quem nihil omninò, nec in communi possidetur. Neque ex eo quod habeat chorum, seu Psalmodiam publicam, quia inquit ista omnia, possunt esse minùs conuenientia ad finem principalem instituti Religiosi. Cùm vero ad perfectionem prædicta minùs conferre videantur secundum Lessium *loco citato*, & Busæum *de statibus de statu monachorum c. 4.* Et quendam anonijmum Theologum qui in Epistola sua pestifera, quæ in Polonia comparuit Anno Domini 1. 6. 2. 4. in qua affirmat ad perfectionem status Religiosi nihil conferre. austeritatem vitæ, nuditatem pedum, paupertatem in communi, chorum seu psalmodiam. &c. quæ omnia fusè refutauit Nicolaus à IESV Maria Carmelita Discalceatus Polonus, in Apologia perfectionis vitæ spiritualis.

Perfectio Religiosa in quo posita est.

RESPONDET itaq; ad propositam difficultatem Cypryanus Crousers Capucinus Lectione parænetica proœmiali tertia folio 19. His verbis; De perfectione maiore Ordinum vitam mixtam profitentium iudicandum sentio, perfectionem maiorem alicuius Ordinis non ex eo tantùm metiendam, quòd pluribus medijs vel ministerijs salutem proximi procuret, vt volunt præfati authores: sed imprimis ex eo, quòd media congruentissima exhibeat quibus adhæreatur Deo per dilectionem charitatis. Ad hoc autem parum videntur attendisse præallegati authores perfectionem Ordinis vitam mixtam profitentis, ferè totam constituentes in

ter in multiplicitate mediorum, quibus salus proximi procuratur cùm tamen etiam in professione vitæ mixtæ ad hoc potissimùm attendere oporteret. subdit folio 20. Iudicandum ergo de maiori perfectione ordinis. Primò ex medijs, quibus adhæretur Deo, Deinde considerandum, quænam media Ordo ille exhibeat ad procurandam proximi salutem; vtrum scilicet varia, eius in hunc finem ministeria habeant, nec ne exemplo Apostolorum, eorumque praxi ordinariâ, vtrum etiam media illa non sint ita multiplicia, quod suâ multiplicitate à principali fine omnium Religiosorum Ordinum auocent: Si enim Apostoli aliquibus medys vsi non fuerint, nec ego arbitror magnam rationem habendam eorum, vt propterea iudicemus eum Ordinem cæteris perfectiorẽ, qui illa præ cæteris assumit: Cùm enim Apostolorũ vita norma sit, non solùm Episcopis, sed Religiosis, nulli dubium esse potest, quin ratio & modus mediorum ad finem Ordinum vitam mixtam profitentium ab illis peti debeat, ita vt ille perfectior censendus sit, qui illa ipsa media, & non alia quibus vsi sunt Apostoli assumit. Media verò illa sunt contemptus perfectus deliciarum, diuitiarum, & commoditatum carnis, qualem fuisse in Apostolis omnes fatentur: studium orationis, & prædicatio Verbi Dei: Argentum & aurum non est mihi: *inquit* S. Petrus Act.3. & Math: 19. dicit Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis &c. nos verò orationi, & ministerio verbi Dei instantes erimus Act: 6. Hæc sunt præcipua media, & ministeria quibus ordinariè vsi sunt Apostoli: Dixi ordinariè, quia extra ordinariè aliquando Sacramenta ministrabant, Meritò autem Apostoli abstinebant à multiplicitate ministeriorum: tum quia præ nimia multitudine, singula minùs benè fieri necesse est. Tum quia æmulationem & inuidiam parit quòd aliqui omnia præstare velint, & suspicionem facit, quòd non solùm Christo, sed etiam sibi velint animas lucrari: tandem quia tot ministerijs occupari circa proximum, non parum impedit occu-

pari circa Deum, & salutem propriam. Vlterius Cyprianus Capucinus infert Corrolaria hæc. Ex his vero Deducitur primò, quod etiam ex sola austeritate metienda non sit perfectio ordinis alicuius, ex illa tamen metienda est, si exemplum in Apostolis habeat, qualis austeritas est in nuditate pedum, & solo sandaliorum vsu, cuius exemplum SS. August. & Hieron. & alij, in Apostolis haberi probant ex scripturis, Marci. 6. 10. & 22. Quòd autem vilitas vestis & asperitas vix frigus arcentis, in Apostolis exemplum habeat; constat Matth. 11. Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt: Ergo non apud Christum. Constat etiam Apostolos Christi in vili admodum veste Christum secutos, erant enim pauperes, piscatores, nec viles vestes deposuisse & alias assumpsisse vt Christum sequerentur. Constat etiam ex S. Paulo de se affirmante, quòd plus cæteris fuisset in frigore, & nuditate, propter quã etiam non posset separari à Christi charitate, etiamsi per illam non modicum pateretur. Et ex Apocalip. vbi testes Dei dicuntur prophetaturi amicti saccis. Vnde miror quòd Busæi vilis habitus non videatur conuenire Religiosis, nisi solitarijs, non autem conuersantibus cũ hominibus. cùm certum sit Apostolos, & S. Franciscum in veste vili, & aspera sæpiùs cum hominibus dignissimis conuersatum fuisse: neque id contra decorem factum esse, cùm decor Religiosi sit vilitas vestis, quam vilitatem etiam Busæus velit esse sordidam. vnde vilem, & sordidum habitum, accipit pro eodem loco citato C. 5. non tamen arbitror sordes semper cum vilitate habitus coniunctas, & S, Franciscum gestâsse quidem habitum vilem, non tamen sordidum.

DEDVCITVR 2 Quòd non solùm vt inquit Lessius supra cæteris paribus, quò maior est paupertas, eò perfectior est Religio, verumetiam quòd ferè necesse sit vbi maior paupertas est cætera ad perfectionem conferentia esse paria, Ordinemq; qui nihil etiam in communi possidet; pecuniaeq; possessionem, & vsum, cui vt inquit Ecclesiastes c. 10. obediunt omnia, & cui omnes tam auidè inhiant: etiamsi iuxta

Ecclesiasti-

Ecclesiastici c. 10. Nihil fit iniquiùs quam amaere pecuniam. *Ordinem inquam qui hâc ratione paupertatem sectatur, mediis perfectissimis prosequi suum finem exemplo Christi dicentis de se. Matth. 8.* Vulpes terræ foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum. *Et Apostolorũ quibus christus loquitur:* Vendite quæ possidetis, & date Eleemosijnam *Lucæ 14.* Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus. *Et Matth. 19.* Si vis perfectus esse vade, vende omnia & da pauperibus & veni sequere me. *Et S. Paulus ad Philip. 3.* Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christũ lucrifaciam. *Meritò autem ordinem qui eiusmodi paupertatem profitetur congruentioribus ad finem suũ medijs vti censeo, sola enim paupertas quæ etiam in cõmuni nihil possidet, & pecuniæ vsum nescit, docet homines omnem sollicitudinẽ in Deum proijcere, & credere, quoniam ipsi cura est de nobis: docet etiam curam carnis non facere in desiderijs, certum est enim hunc modum paupertatis ad delicias, vel cibaria lauta paranda non conferre: docet etiã mentem à terrenis rebus auocare, & ad cœlestia, Diuinaq; conferentanda prorsus applicare, tandem radicitus omnem extirpat auaritiam, & cupiditatem, quam Apostolus vocat* idolorum seruitutẽ & omniũ malorum radicem, *præscindendo omnes omninò auaritia occasiones inter quas non modica est ius possidendi, & facultas acquirendi, quam habent cæteri Ordines saltem in communi, etiamsi in particulari nihil proprium concedant alumnis suis, qui proinde absolutè dicere non possunt, cum S. Paulo.* Neque enim aliquando fuimus in occasione auaritiæ. *Et multa alia idem Cyprianus habet in laudem paupertatis in communi.*

DEDVCITVR 3 *Religionem habentem chorum cæteris esse perfectiorem non habente, aut si non est perfectior, ad nihilum conferre in Ecclesia publicam Psalmodiam. Hoc corollarium fusè probat contra*

Gregorium à Valentia Raphael de la Torre in 2. 2. D. Thomæ, *quo loco multis rationibus & grauibus impugnat Valentiam, docentem chorum instututum esse in Ordinibus pro ineptis ad spiritualia, vt occuparentur in eo, quod certè mihi satis ineptè dictum videtur. Nam si verum est quod docet hic author, sequitur exercitium laudum Diuinarũ non esse aliquid spirituale, de quo tamen grauissimi authores dicunt esse imitationem vitæ Angelorum, qui Dei laudibus assiduè occupantur:* Discamus *inquit D. Bernardus* in terris quas laudes facturi sumus in cœlis: nihil enim sic in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, vt alacritas laudantium Deum. *Sequitur etiam Dauidem maximè laboràsse pro ineptis, tot Psalmos Diuinos componendo. Sequitur ipsummet Dauidem ineptissimum fuisse eosdẽ, Psalmos decantando ita vt dicere auderet.* In te cantatio mea semper tanquam prodigium factus sum multis.

DEDVCITVR 4 *Religionem aliquam non ideò perfectiorem alijs censendam, quòd pluribus vacet ministerijs in salute proximi procuranda. Tũ quia perfectissimũ vitæ institutũ fuit Apostolorũ, qui enumerantes ministeria, vel exercitia, quibus vacare intenderent, de duobus tantùm mentionem faciunt:* Nos inquiunt orationi, & ministerio Verbi Dei instantes erimus. Act. 6. *Tum quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus, & qui plura amplectitur, minùs ad stringendum est potens. Dicet fortè aliquis, per plura ministeria, plura fiunt animarum lucra, in ordine in quo pluribus eiusmodi ministerijs vacatur. Ergo hic alijs præferendus. Ad similem obiectionem respondet Abbas Abraham apud Cassian.* Coll. 24. cap. 13. *per quandã fabulã iucundissimè & aptissimè figuratam, per quam ostenditur plura animarum lucra non sine detrimento animæ propriæ sæpiùs esse.*

DEDVCITVR 5 *Delitiarum, & diuitiarum perfectum, & omnimodum contemptum cum studio orationis, & exercitio prædicationis esse verè Apostolica & conuenientissima media ad finem cuius Ordini Religiosi statutum, obtinendum, etiamsi alia non assumantur, qualia sunt exci-*

sunt excipere ordinariè confessiones, instruere iuuentutem in omni genere scientiarum, nec Ordinem ideò esse perfectione inferiorem alijs, quia his medijs non vtitur: sicut enim Causæ vniuersales propter suum vniuersalem influxum in omnia hæc inferiora, non minùs nobiles causis particularibus censentur, ita ordo qui præfatis medijs Apostolicis generaliter salutem omnium promouet, non videtur saltem postponendus illis, qui occupati, & turbati circa plura ministeria, quæ Apostoli vel alijs reliquerunt, vt V. G. ministeriũ ordinarium Sacramentorum, vel etiam omninò neglexerunt, vt traditio distractiua scientiarum humanarum, quibus Religiosi sæpiùs retrahuntur ab illo vno, quod omnibus est necessarium, & in illis impletur illud Gen. 49. Effusus es sicut aqua, non crescas: *contingit enim plures per hæc ita effundi ad externa, vt semetipsos omninò neglexisse videantur, tantaq; inquietudine animi salutem aliorum procurant, quasi Deus curam omnem huius negotij abiecisset, & ipsorum industriæ commisisset, immemores eius, quod dicit Christus*, Sine me nihil potestis facere Ioan. 15. *Et S. Paulus I. Corint 3.* Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. *Hæc omnia Cyprianus Crousers Capucinus loco citato. Fusiùs similia, imo & plura dicta refutat Nicolaus à IESV Maria Carmelita Discalcitatus in sua Apologia perfectionis vitæ spiritualis contra Epistolam Theologi cuiusdã anonijmi, in qua vitæ austeritatẽ, Psalmodiam, paupertatem in communi, & multa alia antiqua & pijssima instituta vituperat, quem doctissimè præfatus Nicolaus refutat per totam Apologiam, & in quo perfectio vitæ spiritualis consistat, demonstrat*

QVÆSTIO II.

De Adoratione.

Præsens Quæstio diuiditur in 10 Articulos.

In 1. quæretur, Quid sit, & quotuplex Adoratio.
In 2. Vtrum Latria, & Dulia sint virtutes.
In 3. Vtrum sit Deus à nobis adorandus, & quâ adoratione.
4. Vtrum adoratio debeatur Christo Domino.

5. Vtrum Beatissima virgo sit adoranda.
6. Vtrum Sancti sint adorandi.
7. Vtrum Sanctorum cultus ad Religionem pertineat.
8. Vtrum Reliquiæ Sanctorum sint honorandæ.
9. Vtrum imagines sint adorandæ, adoratione debita suis prototijpis.
10. Vtrum crux sit adoranda.

ARTICVLVS I.

Quid sit & quotuplex adoratio.

NOTA 1 Rationem adorandi aliquem, esse ipsius excellentiam: verum cùm non sit eadem excellentia in Deo, & creaturis, sequitur non eandem, sed diuersam esse adorationem Dei, & creaturarum, cùm enim excellentia, alia sit creata quæ competit creaturis, & alia increata, quæ competit Deo, dicendum est, actum adorationis propter excellentiam increatam esse adorationem Dei, quæ dicitur adoratio Latriæ significans supremũ cultum proprium Dei, cùm enim Deus excellentia sua increata, superet omnes creaturas, necesse est, vt cultus, & honos, qui Deo tribuitur, maior sit, quocunque honore creaturarum, iuxta illud Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, eique soli seruies.* & hic cultus exprimitur per verbum Græcum λατρεύειν quod significat seruire. Porro adoratio propter excellentiã creatam, dicitur δουλεία quæ debetur creaturis, propter ipsarum excellentiam, ac sanctitatem, sed quia vna creatura, potest esse magis excellens, & magis sancta, quàm sit alia, sequitur, vt vna possit adorari maiori adoratione, quàm alia, & hæc maior adoratio vocatur Hijperdulia, quô genere adorationis, colitur Beatissima Virgo Maria, ob maiorem excellentiam, sanctitatem, & gratiam. Atque hinc sequitur, Duliam esse adorationem, quâ adorantur sancti.

Ratio adorandi, excelentia.

Latria.

Dulia.

Hijperdulia.

NOTA 2 Honorem & adorationem, non esse idem, nam adoratio est actus præstantior honore, seu cultu ciuili, & omnis, qui adorat, honorat. non autem omnis qui honorat, adorat. Deinde Et si possimus honorem æqualibus exhibere, non tamen illos adoramus, cùm per adorationem recognoscamus alium, tanquam superiorem, illique nos submittamus.

Adoratio quid.

DICO I Iuxta sanctum Damascenum *orat: 3. de imaginibus* Adoratio est animi cedentis submissi atque humilis significatio. Significat enim adoratio actum, quô vnus alteri se submittit, vel illum honorat in

morat in recognitionem excellentæ eius. Breuiter sic describitur; Adoratio, est honor externo corporis gestu exhibitus, propter excellentiam illius, cui exhiberur. Ita D. subt: *in d. 9. S. Thomas 2. 2. q. 84. Art. 1.* Dixi (externo) quia propriè adoratio in externo gestu, vt genuflexione, capitis apertione, inclinatione, osculo manuum, & pedũ, corporis in terram prostratione. &c. Dixi (propter excellentiã illius, cui exhibetur) quia adoratio externa, est signum internæ æstimationis reuerentiæ, & submissionis erga alterum, & consequenter illius quoque excellentiæ.

Adoratio sita est in cultu externo.

ADVERTE tamen hic, omnem externam adorationem, esse adiaphoram, seu indifferentem, & posse tam creaturis, quam Deo exhiberi, nam genuflexio, & totius corporis in terram prostratiò, (quæ summæ sunt adorationes) etiam hominibus exhiberi solent. vt constat ex sacris literis. *Genes: 43. & 50. 3. Regum 1. & 4. Regũ 4. Actor. 10.* Vnde à sola intentione pendet adorantis, si enim externa illâ submissionis notâ, intendit se alteri sub mittere tanquam Deo, & testari eius diuinitatem erit cultus latriæ, si vt amico Dei, erit cultus duliæ, si vt viro sapienti, potenti, erit obseruantia politica.

DICO 2 Adoratio alia est interna, quæ fit per recognitionem, & submissionem animi, alia est externa quæ fit per actum externum quò testimur alterius excellentiam, & nostram subiectionem, vt genuflixio &c. hæc tamen externa adoratio, non est vera adoratio, sed fictio, si desit interna adoratio. Rursus Adoratio, alia est Latriæ, alia Hijperduliæ, alia Duliæ, vt dictum est Notando 1. Deinde alia est adoratio absoluta, alia respectiua. Absoluta conuenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis, & adorabilis est. Respectiua cõuenit reb9 ratione carentibus, quæ non propter se, sed propter alium honorantur, honor enĩ qui ipsis tribuitur, non persistit in ipsis, sed refertur ad personas, quarum causâ, honor ipsis impéditur, vt fertur ad prototijpũ, & exemplar, id est ad eum, cuius est imago. Ita S. Thomas loco citato. Clauis Regia *lib. 4. cap. 2: num. 6.* & alii. Aduertendum est, quòd Latria cultus soli Deo debitus, habet tria nomina in Græco. Primò enim dicitur Latria, & interpretatur Religio. 2. dicitur Theosebia id est, Diuinus cultus; 3 dicitur Eusebia id est, bonus cultus. In latino etiã habet tria nomina. Primò enim dicitur Religio; vnde

Adoratio alia absoluta alia respectiua.

Latria habet tria nomina.

 dicit Tul-

cit Tullius *lib: 3. Rethor: Quod Religio est quæ superiori naturæ, quam Diuinam vocant, cultum cærimoniamque affert.* 2. modo dicitur seruitus, loquendo simpliciter, quia soli Deo debetur. 3. dicitur Pietas, inquātùm scilicet tendit in Diuina. Porrò hoc nomen Latria, vno modo pro actu, alio modo pro habitu, inclinante ad talem actum accipitur.

ARTICVLVS II.

Vtrum Latria, & Dulia sint virtutes?

NOTA I Adoratio formaliter, non est actus intellectus, quia per solum actum intellectus non adoramus, neq; adoratio, est ipsa cognitio, quā cognoscimus huic talem deberi adorationem, quamuis talis cognitio præerequiratur, sed est velle conferre talem honorem, in recognitionem excellentiæ, quamuis hoc potiùs dicatur propositū adorandi: si autem voluntas eliciat actum ipsum interiorem adorationis, vel exteriorem alicuius alterius potentiæ, imperet, tunc verè, & propriè adorat: V. G. qui amat, & collit Deum, quem cognoscit summum bonum, & similiter quādo ordinat alios actus in Dei cultū, cum illa recognitione, & existimatione, tunc Deum adorat.

Adoratio cuius actus

NOTA 2 Quod ex istis actibus frequenter elicitis tam interioribus, quàm exterioribus, potest generari habitus, inclinans ad faciliter & promptè eliciendum tales actus, & sicut tales actus erant boni, quando erant debitè circumstantionati, ita habitus ex his generatus est bonus.

Latria est virtus.

DICO I Latria pro habitu, est virtus, specialis, & moralis, collocaturq; inter partes iustitiæ potentiales. Quod sit virtus patet. Omnis actus procedens ab electione, & cadens super debitam materiā & cum debitis circumstantijs, est actus virtutis. Sed actus Latriæ, est talis. Ergo est actus virtutis. Maior est Aristotelis, 2. *Ethicorum.* Minor probatur. Quia actus Latriæ ab electione procedit, quā quis eligit exhibere Deo aliquem cultum, cadit etiam super debitam materiam, videlicet exhibendo sacrificia, vel genuflexiones &c: potest etiam hic actus vestiri debitis circumstantijs, finis, loci, temporis, &c. Quòd autem latria sit virtus specialis constat, quia habet specialem materiam, circa quam versatur, distinctam à materijs aliarum virtutum, versatur enim circa Diuinos honores. Ergo est virtus specialis.

Quod ve-

Est virtus moralis Latria.

QVÒD verò sit virtus moralis. Probatur quia Latria, non habet immediatè pro obiecto ipsum DEVM, sed potiùs cultum, qui Deo exhibetur: & quamuis habeat Deum pro fine, non tamen respicit illum tanquam obiectum. Ergo non est virtus Theologica, sed moralis. Quòd deniq; sit pars iustitiæ potentialis patet, nam omnis virtus moralis quæ ordinat hominem ad aliud sub ratione debiti spectat ad iustitiam. sed Latria est talis, quia ordinat nos ad Deum sub ratione debiti. Ergo est pars iustitiæ potentialis, eò quod perfectam rationem iustitiæ non habet. Hæc Conclusio constat ex *Disput:* 1. *q.* 2. *Articulo*.4. *Æquilibrij Iustitiæ.*

DICO 2. Inter omnes virtutes morales, Latria est præstantior. Ita Richard: *in* 3. *dist*. 9. *q*. 5. Aretinus *ibidem q*. 1. *art*. 1. Probatur. Hæc virtus primo præcepto Decalogi commendatur. Ergo est præstantior inter omnes. 2. Probatur ex obiecto, & fine Latriæ, Latria enim immediatiùs attingit Deum, quàm quæcunq; alia virtus moralis: versatur enim circa cultus Deo exhibendos, atque adeò quodam modo includit in suo obiecto Deum ipsum, quod non habet alia virtus moralis. sed iuxta S. August: 10. *de ciuit*. *Dei. cap*. 18. Summum bonum est Deo cohærere. Ergo Latria omnium moralium virtutum præstantissima. Confirmatur Quia vt inquit Doctor subtil: *in* 3. *dist*: 9. *q. vnica art*: 1. Hæc reuerentia summa, in actu interiori respicit solum Deum pro obiecto conuenienti, vt summum bonum, aut summum Dominum, ita quod talis reuerentia in actu interiori, nihil est aliud, quàm Deú diligere vt summum bonum super omnia, & hoc tam intensiuè, quàm extensiuè, & hoc si respicit Deum, vt summum bonum; si verò respiciat vt summum Dominum, talis reuerentia, nihil est aliud, quàm illum recognoscere, vt summú Dominum, super omnia illum diligendo, acextollendo. Huic interiori actui, respondent actus exteriores, vt dixi Articulo. 1.

DICO 3. Dulia est virtus specialis, & moralis, ad iustitiam pertinens, cuius est pars potentialis. Quòd sit specialis patet, quia de ipsa est speciale præceptum Decalogi, videlicet illud *Honorare parentes*. quòd præceptum habetur 1. *Petri c*. 2. *omnes honorificate*. Ergo est virtus specialis. Quòd sit moralis constat ex dictis. Tum quia est ex dictamine rectæ rationis naturalis, quæ dictat, vt parentes &

virtute pollentes veneremur, Quòd sit iustitiæ pars potentialis, constat ex Aristotele 5. Ethicorum, dicente. *Quòd Dijs, parentibus, & magistris, non possumus reddere æquale.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus sit à nobis adorandus, & quâ adoratione?

Ex SS. literis constat Deum esse adorandũ.

DICO 1. Non solùm ex sacris literis, sed etiam ex lumine naturali constat, Deum à nobis esse adorandum, adoratione Latriæ. Probatur 1. ex sacris literis. S. Paulus ad Rom: 1. reprehendit Gentiles, *Quòd cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt.* D. Subtilis *in* 3. *dist*: 9. *art*: 2. ait Deum adorare esse præceptum affirmatiuũ: rationabile enim est creaturam intellectualem obligari ad aliquando recognoscendum, & reuerendum Dominum suum: hoc autem præceptũ, sicut alia præcepta affirmatiua obligant semper, sed non ad semper, sed loco, & tempore opportunis, non autem pro omni tempore semper. Porrò obligatio ad istum actum, nempe ad Deum adorandum, quod pertinet ad primum præceptum primæ tabulæ; *Non habebis Deos alienos coram me*, quod præceptum, non est tantùm negatiuum, de prohibendo adorationem exhiberi alicui, cui non conuenit, sed etiã affirmatiuũ, vt habeatur verus Deus, & vt tanquam Dominus adoretur, quod benè exprimitur *Deuteron*: 6. & allegatur à Saluatore nostro Matth: 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. vbi ponitur præceptum affirmatiuum, de adoratione Latriæ cultus, & negatiuũ cum exclusione adorationis, seu seruitutis exhibendæ alteri.

Confirmatur Quia homo tenetur diligere Deum, secundum actum cordis, oris, & operis. Primum præceptum ordinat hominem, ad Deum secundùm actum cordis, cùm dicitur. *Non habebis Deos alienos coram me*. secundum præceptum ordinat hominem, ad Deum, secundùm actum oris. *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Tertium verò ordinat hominem, ad Deum, secundùm actum operis. *Memento vt diem sabbati sanctifices*.

Ob diuersa beneficia non debẽtur diuersi cultus.

DICO 2. Ratione diuersorum beneficiorum, non debentur cultus diuersi, V. G. vt alius debeatur cultus ratione beneficij creationis, alius ratione redemptionis, alius ratione beneficiorum temporalium, alius ratione beneficiorum spiritualium. Ita Lessius *lib*. 2. *cap*. 36. *dub* 4.

dub. 4. Probatur quia ratio formalis, ob quā Deus est colendus cultu Latriæ, non est beneficium, sed est excellentia ipsius increata, & immensa; beneficia verò solùm sunt id, per quod illa excellentia nobis applicatur, vt apprehendatur, tanquam ad nos pertinens, & à nobis adoranda, nam sine beneficijs, & dependētia ab ipso, non essemus obligati, ad eam adorandam, sicut neq; ad amandam supra omnia, omne enim debitum, quo alteri obstringimur, prouenit ex dependentia quadam ab ipso, siue secudùm esse, vt à Deo, & parentibus, siue secundum gubernationem, vt à superioribus, siue secundùm aliquædam beneficia, vt à benefactoribus. Confirmatur Quia latriā significamus nostram subiectionem, & dependentiam à primò principio. Ergo si illud Numen non est principium nostrum, non debemus ei latriam, sicut neq; tributum debetur Principi alieno. Hinc.

Collige Ratione etiam diuersarum perfectionum, seu attributorum non debentur adorationes diuersæ: ratio enim cur Deus sit adorandus cultu latriæ, est, esse primum principium rerum omnium. Atqui primum principium, directè includit omnes perfectiones omnium attributorum. Ergo.

QVERES *Quo tempore tenetur quis Deum adorare?*

Quo tempore Deus adorandus

Respondet D. sub *loco citato* Quòd pro tempore legis Mosaicæ, videtur determinatio fuisse facta, ad actum huius præcepti, per illud tertium præceptum, *Memento vt diem Sabbati sanctifices*; quod etiam præceptum fuit tempore legis naturæ, vt scilicet aliquo determinato tēpore, vacaret homo ab operibus seruilibus, & in hac sola negatione, non esset obseruatio præcepti, sed in actu positiuo in sanctificando, id est, magnificando Deum. Pro tempore verò legis Euangelicæ, cultus ille exhibendus in sanctificatione sabbati, determinatur exhibendus die Dominico, & etiam determinatur quantùm ad actum sacrificij Missæ. Inde Collige Hoc præceptum affirmatiuum de adorando Deo, non potest impediri perpetuò ab executione actus; quasi nunquam occurrat opportunitas exequendi actum huius præcepti, sicut nunquam occurrere potest oportunitas honorandi parentes. Ita Aretinus *in 3. dist. 9. q. 1. art. 2.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum adoratio debeatur Christo Domino?

Duplicitèr aliquid adoratur.

NOTA 1. Quòd aliquid dicitur adorandum dupliciter. Vno modo per se, & propter se, atque ita sola natura Diuina, est adoranda cultu latriæ, alio modo per se, sed non propter se, atque ita natura humana Verbo vnita, est per se adoranda, id est, nō excluditur à termino adorationis, non est tamen propter se adoranda, sed propter Diuinam naturam, cui est vnita. Sicut in simili eadem adoratione, quâ adoratur homo sanctus, propter animæ sanctitatem inhærentem, etiam per se còadoratur corpus, quod tali animæ per se vnitum est.

Christus est vnus.

NOTA 2. Ex D. Sub. *in* 3. *dist.* 6. q 2. Quòd ista propositio conceditur communiter, Christus non est tantùm homo, nec tantum Deus: sed supponit tam pro Diuino supposito, quàm pro homine assumpto, non tamen Christus est duo masculinè, neque neutraliter, vt subtiliter probat D. Subtilis *loco citato*. quando verò Concilia, & sancti Patres dicunt, quòd Christus est duæ naturæ, intelligunt causaliter, non autem in sensu formali.

Obiectum adorationis est duplex.

NOTA 3. obiectum adorationis est duplex, materiale, & formale, Materiale est res quæ adoratur, siue adoretur per se, siue per accidens, formale est causa, quare res illa adoratur, vt est excellentia alicuius rei, modo consideretur per modum formæ, vt bonitas, & virtus, siue per modum operationis, quia scilicet est benefactor vt Christus Dominus, qui est redemptor, & omnipotens Deus, qui est creator. Porrò honor Deo exhibitus titulo creatoris, vel saluatoris, est vera latria, qùia non fundatur in ratione creata. sed in ratione increata: quod sic declaratur: in titulo creatoris, duo spectari possunt, alterum est creatum bonum, quod in creatura ponitur, alterum est potestas, quam Deus, in suam retinet creaturam, quæ est supremum Dei Dominium: honor igitur non debetur Deo propter bonum, quod in creatura posuit, ita vt sit illud proximum motiuum adorandi, sed propter dominium, & potestatem, quam in se habet, quæ potestas increata, est ad singularem excellentiam Dei spectans, & eadem est ratio, si Deus sub ratione saluatoris, & benefactoris spectetur.

NOTA 4. Hæc difficultas procedit non de termino adorationis, sed de ra-

sed de ratione formali, si ergo quæratur. An Christus sit solùm secundùm naturam Diuinam adorandus, si ly solum, excludit à termino adorationis, sensus est, quòd natura Diuina in Christo, est tantùm adorationis terminus, id est, quòd natura Diuina in Christo, tantùm adorationem terminat,& non natura humana, & hic sensus est falsus, quia natura humana, prout Diuinæ naturæ est vnita, adoranda est, sic intelligendo, quòd totus Christus qui simul naturam Diuinam, & humanam includit, adorandus est,ita quòd à tali adoratione non debet natura humana excludi: Cùm igitur in Christo Domino duplex sit ratio adorationis, nimirū excellētia naturæ Diuinæ, & excellentia naturæ humanæ, hic quæretur, an humanitas Christi Domini àdoranda sit præcisè sumpta, & quâ adoratione. Nota diligenter.

NOTA 5. Christum Dominum haberi triplicem sanctitatem. 1. ex vnione hijpostatica. 2. Ex visioue beatifica, & fruitione simul. 3. ex gratia habituali.

DICO 1. Christus in natura humana & Diuina subsistens, adorandus est illâ perfectissimâ adoratione, quâ tota Trinitas, & singulæ Diuinæ personæ adorātur. Probatur 1. ex SS. literis. Christus Dominus Ioan: 5. de se loquens ait. *Qui non honorificat filium non honorificat Patrem, qui misit illum.* Et S. Paulus ad Rom 14. de Christo Domino exponit illud Isaiæ. 45. *mihi curuabitur omne genu*, quod de adoratione latriæ dictum esse constat. Et S. Thomas Ioan: 2 dixit,adorās Christu m Dominum. *Dominus meus, & Deus meus.* Eodem cultu adoratus est à magis. Christus Dominus Matth. 2. *Et procidentes adorauerunt eum.* Similiter *Apocalip.* 5. & 22. hoc modo adorant Sancti omnes Agnum occisum. Probatur 2. ex Concilijs. In concilio Ephæsino can: 8. in Epictola ad Nestorium; apertè damnatur ille *qui audet dicere assumptum hominem, vna cum verbo, alterum cum altero adorari, & non potiùs vnâ adoratione* Et in 5. Sijnodo. *Actione seu Collat*: 8. *Can.* 9. damnantur illi, qui non vnâ adoratione Verbum cum ipsius carne adorant. Probatur 3. ex SS. Patribus. S. August: in Psalm: 98, circa illa verba *Adorate Scabellum pedum eius*, expressè docet. S. Damasc: lib. 3. de fide cap. 8. inquit. *Vnus igitur est Christus, perfectus Deus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & spiritu S. vnâ adoratione, cum immaculata carne* Christus adorandus latria.

eius, neque inadorabilem carnem dicimus esse, nam adoratur in vna verbi hypostasi, quæ & ipsi hypostasis facta est, neque creaturam colimus, nam non vt nudam carnem adoramus, sed continuam Diuinitati, & vt in vnam personam, & vnam hypostasim Dei Verbi, duæ eius renocatæ sant naturæ. Timeo quidem carbonem tangere propter ignem ligno coniunctum, adoro Christum, simul vtrumque, propter carni coniunctam, counitamque Diuinitatem. In qua authoritate inquit D. Subt: *in 3. dist. 9. q. 1. art. 3.* ly cum, accipitur associatiuè, non autem copulatiuè, vt sit sensus, Adoramus verbum cum carne, id est, habens carnem sibi vnitam: non autem cum carne, hoc est, carnem adoramus, quasi sit propositio copulatiua, ac si diceretur, adoramus Verbũ, & adoramus carnẽ, & hoc cõsiderãdo carnẽ vt caro est, & non vt vnita Diuinitati, nam sic, id est, vt vnita Diuinitati, non debet caro, à termino adorationis excludi. licet ipsa non sit ratio adorandi. Atq; hinc Colligitur, quomodo solùm debeatur latria Christo Domino, secundum naturam Diuinam: quia inquit D. subt: *loco citato* silij solùm sumatur categorematicè, quia sic nihil excludit, hæc est vera. *Christus est adorandus latriâ solummodo secundùm naturam Diuinam.* Si verò sumatur sijncategorematicè, id est exclusiuè, & excludat naturá humanam à ratione adorationis, vera est, si à termino adorationis falsa est, quia eadem adoratio tendit in totum.

Probatur 4. Rationibus. Tum quia concilia negant Christum cõadorari, & definiunt per se ac verè adorari. Ergo sicut non distinguitur personaliter à Verbò, ita nec potest per adorationem seiungi. Tum quia Sancti Patres scribentes contra Arianos, ex hac adoratione, quam ex sacris literis constat Filio Dei deberi, quasi à signo, seu à posteriori, concludunt ipsum esse verum DEVM. Sed Verbum assumendo carnem, non se priuauit sua dignitate. Ergo etiam Verbo incarnato seu Christo homini DEO, eadem adoratio debetur. Ex quo principio sequitur hoc certum, hunc hominem Christum, vnâ & eadem adoratione latriæ adorari, quâ adoratur DEVS. Tum quia licet obiectum cultus latriæ per se, ratione sui, sit Ens increatum, tamen obiectum cultus latriæ respectiuè, ratione alterius, potest esse Ens creatum, ac proinde humanitas, si consideretur absolutè, non est obiectum adorationis latriæ, si tamen consideretur, vt est à parte rei in tali supposito Verbi, est obiectum adorationis licet non vltimatum, neque

ratio for-

ratio formalis. Ergo ex hoc habetur quòd quando adoratur Christus Dominus, humanitas Christi Domini vnita Verbo adoratur, eadem adoratione latriæ.

Dico 2. Humanitas Christi Domini, quando adoratur propter excellentiam, quam ex vnione hypostatica habet cum Verbo, adoranda est cultu latriæ, ita vt vnio sit conditio sine qua non, ratio verò formalis adorationis sit Verbum. Declaratur sic Quòd enim Christus Dominus sub hac ratione adorari possit per se notum videtur, quia sub hac ratione habet maiorem excellentiam, & dignitatẽ, quã sit omnis creata excellentia, & consequentèr propter hanc dignitatẽ, non solùm est adoratione dignus, sed etiam maiori, & excellentiori, quàm sint omnes sancti propter sanctitatem suam. Aduerte tamen hic, quòd hæc adoratio sit inferior latriâ, quæ debetur Deo secundùm se, quia minor est excellentia vnionis in ipsa humanitate: quàm sit excellentia Diuinitatis secundùm se. Ex quo Colligitur Quòd hæc latriâ, quæ debetur humanitati ratione vnionis, differat ab adoratione quâ colitur Deus; nam in latria Deo debita secundùm se motiuum, est dignitas Deitatis secundùm se, in illa verò quæ debetur humanitati ratione vnionis ad Verbùm, est motiuum talis respectus: Deinde in illa obiectum per se primò adoratũ, sed persona secundùm Diuinitatem suã, humanitas vero concomitantèr, & quasi implicitè: in ista verò obiectum per se primò adoratum est hic homo, vt compositum ex humanitate, & vt in illa habet excellentiã super omnes homines. Ita Aretinus *in 3. dist. 9. q. 1. art. 7.*

Propter unionem adoratur humanitas

Dico 3. Humanitas Christi Domini in concreto, per se adoratur latriâ. Patet Quia hic homo Christus per se latriâ adoratur, sicut Deus & Verbum, per communicationem idiomatum, non quòd humanitas sit ratio adorationis latriæ, sed ipsa persona Diuina in vtraq; natura subsistens, pro quâ supponit hic homo, Confirmatur quia humanitas in concreto, cùm significet personam, non potest dici coàdorari Deo, sed adorari vt Deus, quia verbum hoc (còadoro) adiunctum personis, indicat distinctionem vnius ab alia, at verò loquẽdo de humanitate Christi Domini in abstracto, rectè dicitur còadorari Deo, quia ipsa non est Deus.

Humanitas in concreto adoranda latriâ.

Dico 4. Et si humanitas Christi Domini, possit distingui à verbo, sal-

bo, saltem in adoratione interiori, & speculatiuè, meliùs tamen est, non distinguere illam à Verbo interius, neq; enim practicè in exteriori adoratione, nam licet adorationes Christi Domini, ex ratione adorandi speculatiuè rectè distinguantur, practicè tamen & moraliter semper est Christus Dominus perfectissimâ adoratione latriæ colendus. Patet ex S. Cyrillo 1. de fide ad Reginas, vbi dicit. *In Christo non esse vnam naturam, quæ adoratur & aliam quæ non adoratur, sed vnam verbi naturam incarnatam adorabilem, cum carne sua vnâ adoratione.*

Humanitas ob gratiam quomodo adoranda.

DICO 5. Humanitas Christi Domini propter sanctitatem, seu gratiam habitualem, adoranda est cultu hyperduliæ, non verò latriæ. Prima pars probatur Quia gratia dat humanitati excellentiam, quæ adorari potest duliâ, vt in Sanctis: cùm ergo in Christo Domino sit excellentissima gratia debetur illi hyperdulia. Secunda pars probatur. Primò quia illud solùm est latriâ adorandum, quod est summè & super omnia diligendum, quia idem & secundùm eandem naturã est summus Dominus & vltimus finis. Sed Christus Dominus tãtũ secundùm naturam Diuinam, est summè diligendus, quia solùm secundum eam, est summum bonum, & vltimus finis. Ergo &c. Tũ quia quantumcunq; humanitas Christi Domini sit gratiâ summâ ornata, ipsa tamen est creata nec limites creaturæ excedit. Ergo nec cultus debet cultum debitum creaturæ excedere. Atq; hinc Collige quod Christus Dominus non redemit nos effectiuè secundùm naturam humanam, sed tantum meritoriè.

DICO 6. Humanitas Christi Domini in se considerata cum suis donis, præscindendo vnionem· cum Verbo adoranda est cultu hyperduliæ. Ita D. Sub: *in 3. loco citato* S. Thomas 3. *parte q. 25. art: 2.* Probatur. Quia humanitas Christi Domini in se est creatura. Ergo in se, & propter se non est adoranda latriâ, sed hyperduliâ, quæ debetur summæ excellentiæ creatæ, & vocatur maior dulia.

QVÆRES.

Vtrum Christus Dominus adorandus sit in Eucharistia?

NOTA Sicut hæretici proteruè aliqui præsentiam negant Christi Domini in Eucharistia, & ferè omnes transubstãtiationẽ non admittunt, ita etiam adorationem eius explodunt, & tanquam execrabilem ido-

bilem idolatriam, & blaſphemam ſupetſitionem abominantur. Vnde Caluiniſtæ Catholicos, non alio quàm idololatrarum nomine appellant. Lutherani hanc adorationem ferre non poſſunt, & idolū Papiſtarum vocant.

Dico Chriſtus Dominus in Euchariſtia adorandus eſt cultu latriæ. Probatur. 1: vbicunq; Deus eſt ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſiue viſibiliter, ſiue inuiſibiliter, ibi adorandus eſt. Atqui in hoc Sacramento Chriſtus eſt præſens, qui eſt verus Deus & homo. Ergo adorandus eſt. Maior certa. Minor à Caluiniſtis negatur, ſed apertiſſime probabitur hic *Quæſt: 7. art: 5.* Chriſtus D: in Euchariſtia adorand9 latria

Adverte Lutheranos admittere realem præſentiam Chriſti Domini in Euchariſtia, ſed non eo modo quo Catholici, quia Chatolici per transſubſtantiationem : Lutherani verò cum pane, in pane, ſub pane, & tamen adorare nolunt. Sed ſi Lutherani præſentiam realem in Sacramento Euchariſtiæ admittitis, cur non adoratis? Reſpondent Per ſe quidem eſt adorandus, ſed nullibi præceptum eſt, vt adoretur in Sacramento. Ergo idololatriam committunt qui eum ſuâ ſpontè adorant? Itane verò, num omne præſidium veſtrum in hoc quod ſomniatis præcepto? Dicite mihi quis præceperat Magis adorare in vili tugurio, & muneribus eum Regem hominem, ac Deum profiteri? Quis præceperat leproſo vt venientem de monte ſimiliter adoraret? Math: 8. *Leproſus veniens adorabat eum dicens: Domine ſi vis potes me mundare.* Divinam in eo potentiam agnoſcens. Quis præceperat Iairo Synagogæ Principi petenti filiæ ſuæ ſuſcitationem. *Vt procidens eum adoraret?* Quis præceperat diſcipulis videntibus eum ſupra mare ambuláſſe, & Petro mergenti dexteram porrexiſſe, *vt venientes adorarent eum?* Abſq; vllo præcepto, & laudabiliter, & vtiliter omnes iſti Chriſtum Dominum, ut Deum adorárunt. Si ergo idem Chriſtus Deus & homo realiter, & eſſentialiter, eſt in hoc Sacramento, Quid nì debeat adorari? & quidem ſine præcepto. Audite Lutherani verba Salvatoris noſtri: Ioan: 5. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum.* Reſpondent. Iſti viderunt eum oculis corporeis, nos non videmus. At ego dico S. Ioannes vtero materno clauſus oculis fidei eum intuens exultavit, & ut Deum adoravit. Cur & vos hæretici eum non adoratis, quem fide creditis eſſe præſentem in hoc Sacramento?

cramento? Deus etiam non videtur, & tamen adoratur. Probatur secundo ex Concilio Trident. *Seſs. 13. Cap. 5. & Can. 6.* definitur, Sacramentum S S. Euchariſtiæ Adoratione latriæ eſſe adorandum, & venerandum, propter præſentiam Divinitatis in ipſa. Tertio probatur ex SS. Patribus. S. Auguſtino circa illa verba Pſalm. 98. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt.* inquit. *Nemo autem illam carnem manducat niſi priùs adoraverit.* S. Ambr. lib. 3. de Spiritu Sancto inquit, Per *ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti quam hodie qvoq; in miſterijs adoramus, & Apoſtoli in Domino IESV adorârunt.* S. Hieronym. *in comment: ſuper Pſal.* 98. *ait Scabellum Propheta corpus Domini appellavit, in quo Majeſtas Divinitatis, tanquam ſupra ſcabellum ſtat, & adoratur ab Angelis, adoratur à Chriſtianis.* S. Chryſoſt. *Homil.* 24. *ad Cor. inquit Hoc ipſum Corpus in præſepio reveriti ſunt Magi, viri barbari, imitemur ſaltem barbaros, nos qui cœlorum cives ſumus,* Subdit: *Illi in præſepi procidentes adoraverunt, tu in altari &c.* Sed ſi qværant hæretici, Quid adoretur in hoc Sacramento? Reſpondeo Caro Chriſti, ſanguis Chriſti, natura humana, & Divina, in vna perſona, & hypoſtaſi; illud verò in quod vergit noſtra adoratio, eſt Perſona Filij Dei, & quia à Perſona Filij Dei, non poſſumus abſtrahere carnem ejus, ac ſanguinem, ſeu animam, adoramus totum Chriſtum. Ad hoc myſterium declarandum eleganti ſimilitudine vtitur S. Damaſc: lib. 3. cap. 8. *Vt gladius igne micans, vbi ignem, & flammam conceperit, vnus eſt, ſic Chriſtus vnus, & vna Perſona poſt incarnationem; vtq; gladium flammantem attingere non audeo, non propter ferri naturam, ſed ignis cum ferro conjunctionem: ſic Filium Dei, Verbum carni conjunctum, veneror & adoro, non propter carnis naturam, ſed propter Verbum Dei carni conjunctum.* Pulchra hæc ſimilitudo, nec tamen ſine diſſimilitudine: nam in ferro ignito, calor ſeparatur a ferro. At in Chriſto humanitas à Divinitate, in æternum ſeparari non poteſt. *Qvod enim Verbum ſemel aſſumpſit, nunqvam dimiſit,* vt Theologi docent. Adoratur igitur integer Chriſtus, & in nomine ejus omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum Vnde rectè Aluarus Pelagius *lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 25. ait. Qui ſic Chriſtum in hoc Sacramento adorant, videndo corpus Chriſti, vident per fidem Divinitatem ejus, qvæ adjuncta eſt carni Chriſti, nec deſcendunt*

à contem-

à contemplatione Divinitatis, adorando carnem vnitam inseparabiliter Verbo, sed ascendunt.

Probatur 4. ratione. An non imagini, & statuæ, & insignijs Regijs, honor Regius debetur? Extra controversiam. Solent Angli Regium thronum, aut sellam, in qua Rex sedit ad mensam, etiamsi Rex absit honorare vt ipsum Regem. An Eucharistiæ quæ est thronus majestatis Divinæ, vbi non abest ipse Deus, sed præsens adest, etsi corporeis oculis non cernatur, competentem non exhibebimus honorem? Confirmatur Quia Christus Dominus diligit se devotè adorantes in Eucharistia, & á periculis liberat. S. Antoninus *part. 2. hist: titul 9. cap. 10.* refert duos viros die festo aucupatum se contulisse, quorum vnus sacrificio Missæ interfuit, & Christum Dominum in Eucharistia adoravit, alter neglexit, subito vox è nubibus intonuit, Percute, percute, percussus ille fulminis ictu, qui adorare neglexit, & interijt, ille verò qui adoravit incolumis evasit, beneficio adorationis, Deniq; bestiæ in hostia Christum adorâsse referuntur, Ouicula S. Francisci sub elevatione, in anteriores pedes procumbens, balatu suo testata fuerit Christum præsentem Asinus in manibus S. Antonij de Padua, relinquens pabulum suum, post triduanam inediam, accurrens Eucharistiam adoravit, in confusionem hæreticorum, qui se credituros veritatem Christi in Eucharistia condixerant, si esuriens asinus, avenâ relictâ, ad eam adorandam occurrisset. Quia etiam & dæmones coacti, & inviti adorant. In vita S. Remigij legitur, cùm is Sacram Eucharistiam ad infirmum deferret, vidit & agnovit dæmonem in forma humana, qui pronus in terram reverentiam faciebat Sacramento Eucharistiæ: Revertente S. viro sine hostia, ei tanquam homini reverentiam exhibuit, causam roganti, S. viro respondit. *Antea Deum meum gestabas, cujus præsentia me cogebat ad illam inflexionem, nunc tu solus redis.* Peiores itaq; sunt hæretici dæmonibus, & bestijs, confundantur Posnanienses hæretici, qui adorare Christum Dominum in Eucharistia nolunt, quem bestiæ Posnaniæ veneratæ sunt, in cuius rei memoriam, templum magnifico, ac Regio sumptu, cum Monasterio constructum conspicitur. Imitemur nos Christiani cælestes exercitus qui hoc

Anglicorum mos.

Exempla pulchra.

hoc Sacramentum adorant, & dicamus, cum S. Thoma: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum novo cedat ritui.*

ARTICVLVS V.

Vtrum Beatissima Virgo MARIA, sit adoranda, & quâ adoratione?

Nota 1. Obiectum adorationis formale in B. Virgine MARIA. triplex est, seu ratio adorationis. Prima est ratio extrinseca: qualis in Reliquiis, vt in cruce, & clavis Christi reperitur, quæ est ratio contactus, sicut enim crux, & Christum tetigit, & instrumentum fuit nostræ redemptionis, ita multò perfectiùs Beatissima virgo, & Christum tetigit, & ad nostram reparationem operata est, hoc igitur modo adorabilis est B. Virgo, eo quòd Christum tetigit, ita ut tota ratio hujus adorationis sit Christus. Secunda ratio est intrinseca, quæ est sanctitas animæ Diuæ Virgini inhærens. Tertia ratio est dignitas Matris Dei, hæc enim dignitas distincta est à dignitate gratiæ, & altioris est quodammodo rationis, quàm illa, estq; propria & intrinseca ipsius Virginis, sive in ea intelligatur esse physicè, propter relationem realem ad Christum, quæ est in Virgine gloriosa, sive moraliter, sicut dignitas Regis est in Rege, quod satis est ad absolutam, & propriam adorationem.

Nota 2. Beatissima Virgo, in sui sanctificatione, accepit intensiorem gratiam, quàm vllus hominum, vel Angelorum, in sua prima sanctificatione, quia sanctior post Christum effecta est, quia præ cæteris conjunctior fuit Verbo, qui est fons gratiæ.

Latriâ propriâ non est adoranda B. Virgo.

Dico 1. Certum esse de fide Beatissimam Virginem, non posse adorari propriâ ac perfectâ latriâ, hæc enim soli Deo debetur, propter excellentiam infinitam, & in creatam, quam Virgini attribuere, idololatria esset, & in hoc sensu *libro 3. de Spiritu Sancto cap. 12.* S. Ambrosius dicit: *Adorationem Christi propriam, non esse cum ejus Matre communicandam.*

Dico 2. Si quis Beatissimam Virginem ratione extrinsecæ excellentiæ, aut propter contactum Christi Domini adoraret, illud

genus adorationis ad religionem spectaret, & secundaria latria appellandum, cùm sit revera actus distinctus ab adoratione propriæ latriæ, quia talis adoratio, vt terminatur simpliciter ad virginem, non est summa adoratio, neq; absoluta, sed respectiva, neq; propter intrinsecam excellentiam increatam, sed est similis illi quâ reliquiæ CHRISTI Domini adorantur, vt infra parebit.

B. Virgo adoranda maiori cultu, quam sancti.

Dico 3. Beatissima Virgo, non solùm adoranda est majori cultu, quàm sit civilis, sed etiam eminentiori, quàm sit adoratio, quæ exhibetur Sanctis propter majorem, & excellentiorem gratiam, & gloriam, quam habet super omnes Sanctos, quæ adoratio hyperdulia appellatur. Probatur 1. ex Sanctis Patribus, Sanctus Bonaventura *opusculo de laudibus B. Virginis c. 7.* ait Gloriam Dei, magis relucere in sola Virgine, quàm in cæteris operibus purè creatis, atq; adeò perfectiones omnes in cæteris rebus divisas in B. Virgine excellentiori modo esse coniunctas. Petrus Damianus *Serm, de assumptione.* inquit. B. *Virginem merita singulorum, & omnium titulos antecellere.* Vbi comparat B. Virginem Soli, cæteros Sanctos stellis, S. Anselmus *de laudibus B. Virginis.* cap. 9. Probatur 2. Cultus hyperduliæ vltra simplicem duliam, consistit in existimatione, à qua hæc adoratio procedit. Atqui hæc de B. Virgine MARIA, altior est ac excellentior. Ergo.

Dico 4. Adoratio illa quæ tribuitur Virgini, propter specialem Matris dignitatem, licet lato modo hyperdulia vocetur, diversæ tamen naturæ esse videtur. Probatur quia B. Virgo habet consanguinitatem cum Christo, vt homine, & affinitatem cum Christo vt Deo, & ideo hac ratione debetur illi specialis adoratio, quia propria actione attigit fines Divinitatis, nam concepit, peperit & nutrivit Deum.

Ratione Matris qualis honor B. virgini.

Confirmatur Quia ipsa de se vaticinando prædixit, Luc: 1. *Fecit mihi magna qui potens est. Respexit humilitatem ancillæ suæ, ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes*: Confirmatur 2. Quia ex hac Matris dignitate, colligunt omnes Sancti Patres. B. Virginem, non solùm excellentem gratiam accepisse, sed etiam omnes gratias, & virtutes, & omnia dona, & privilegia gratiæ inter alios San-

Sanctos diviſa & diſtributa, in vna Virgine fuiſſe ſimul congregata. Confirmatur 3. Quia ſi hæc dignitas maternitatis conſideretur, quatenùs eſt quædam ſingularis cum Deo coniunctio, & prout quodammodo ex natura rei, & ſecundùm ordinem Divinæ ſapientiæ, includit omnia, quæ illi debentur, nimirum excellentia gratiæ, & gloriæ, altioris eſt ordinis, & dignitatis, dignitate filii adoptivi, & gratiæ dignitate. Vnde de hac S. Auguſt. *initio libri de Aſſumpt:* inquit. *Hujus dignitatis, & gratiæ effectum, nec cor concipere, nec lingua exprimere valet.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sancti ſint adorandi, & quali cultu?

Nota 1. Euſebius refert, *lib.* 8. *hiſtoriæ cap.* 6. & Cyrill. *de Gentilibus.* Iulianum Apoſtatam Chriſtianis obieciſſe cultum martyrum, tanquam aliquorum Deorum. Et Fauſtum Manichæum ſimiliter obieciſſe teſte S. Auguſt. *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 21. cuius illa ſunt verba. *Idola vertitis in Martyres, quos votis ſimilibus colitis.* Mahometes etiam cultum Sanctorum prohibuit, vt refert Capreol. *Verbo Mahometes num.* 7. Ex hæreticis primo Gnoſtici quos refutat Iræneus *lib.* 3. *cap.* 20. Deinde ſecuti ſunt hunc errorem. Eunomius, Porphyrius, vt refert Lindanus *Dialog.* 2. Vigilantius vt teſtatur S. Hieronym. Poſt-modùm Vicleff. teſte Valdenſe *de Sacrament. titul.* 13. In hoc errore fuiſſe Euſtachium Sebaſtiæ Epiſcopum, contra quem in Concilio Gangrenſi definitum eſt *Can.* 20. *ſic. Si quis memorias Sanctorum contemnendas putaverit: anathema ſit.* Ad extremum. Lutherus. Calvinus. Zuinglius, reliqua recentiorum hæreticorum fæx, iſtam hæreſim à Sanctis Patribus refutatam, & in Inferno ſepultam, excitârunt,

Errores hæreticorum.

Gangrenſi

Nota 2. Tot eſſe ſpecies adorationis, ſive cultus, quot ſpecies excellentiæ, honor enim, ſive cultus, debetur perſonæ propter excellentiam eius: tres autem ſunt excellentiæ, prima infinita, cui reſpondet latriæ cultus: alia eſt humana, ſeu naturalis, quæ poſita eſt in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus &c. cui reſpondet ſecunda ſpecies cultus, qui poteſt dici, cultus civilis, & obſervantia quædam humana, quæ in varias ſpecies partitur ab

Honor ob excellentiam.

Aristotele, 9. *Ethic. cap.* 2. nam alius honor debetur Patri, alius Principi, alius Præceptori, alius sapienti &c. Tertia excellentia est media inter Diuinam, & humanam, qualis est gratia, & gloria Sanctorum, ista enim sunt dona supernaturalia, & excellentissima, & huic respondet cultus duliæ, & quia inter sanctas creaturas, humanitas Christi Domini, propter vnionem ad Verbum & similiter B. Virgo, propter intensam gratiam præstat alijs Sanctis, ideò Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, diuidunt in duliam, tribuentes illam Sanctis, & hyperduliam, soli humanitati Christi Domini, & B. Virgini competentem; hæ verò tres adorationis species, non sunt vniuocæ, sed analogæ, quia excellentiæ diuersæ specie.

Triplex excellentia.

Nota 3: Hæ species adorationis, quantùm ad actus interiores distinguuntur; nam prima species, id est latria, est quædam summa voluntatis prostratio, & inclinatio, cum apprehensione Dei, vt primi principij, & vltimi finis, atque adeo summi boni, qualis adoratio soli Deo conuenit. Secunda species, id est cultus ciuilis, est longè minor inclinatio voluntatis, cum apprehensione certa, humanæ excellentiæ. 3. species est media quædam voluntatis inclinatio, cum apprehensione excellentiæ plusquam humanæ, & minùs quàm Diuinæ.

Dico 1. Omnes Sancti tam Angeli, quàm homines, sunt à nobis adorandi, adoratione plusquam ciuili. Hæc conclusio definita est à Felice 1. *cum Concilio Romano, in sua Epistola 2. decretali* Et in Concilio Gangrensi. & in 7. Synodo frequenter: deniq; in Trident: *sess* :25. Dixi (plusquam ciuili) quia motiuum est plusquam ciuile, vt patebit conclusione sequenti. Habet fundamentum in Sacris literis, vbi legitur sæpè iustos & prudentes homines, adoràsse Sanctos Angelos, & homines viuos, ac mortuos ratione sanctitatis: vt Abraham & Loth adorauerunt Angelos, *Genes.* 18. *&* 19. *Iosue. cap.* 5. *Num.* 22. Baalam pronus in terram adoravit Angelum. 3. Regum. 18. *Abdias adoravit Heliam.* 1. Regum. 28. *Saul adoravit Samuelem post mortem. quando illi apparuit.* Et Filij Prophetarum adoraverunt Elisæum, quia Spiritum Heliæ in illo requieuisse intellexerunt. 4. *Regum.* 2.

Sancti adorandi sunt plusquam cultu ciuili.

Sancti cultu duliæ adorandi.

Dico 2. Sancti adorandi sunt cultu interiori, & exteriori, qui dulia dicitur, absolutâ adoratione. Probatur 1. Deus dicitur in scriptura deferre honorem Sanctis, Ioan. 12. *Honorificabit eum Pater meus.* Psalmo. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Apocal. 3. *Vt adorent ante pedes tuos.* Ad Rom. 2. *Gloria, & honor omni operanti bonum.* Item præcipitur adoratio alicujus rei creatæ Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est* : per quod scabellum intelligunt Doctores, arcam testamenti. vt Iansenius in hunc locum : & apertè colligitur *ex* 1. *Paralip. c.* 28. Vbi Salomon inquit. *Cogitavi vt ædificarem domum in quâ requiesceret arca fœderis, & scabellum pedum ejus*, Si igitur res inanimata adorabatur, vt arca illa, cur Sancti non adorandi, in quibus requieuit Spiritus Sanctus? Probatur 2. Quia cùm excellentia, propter quam Sancti à nobis sint adorandi; sit creata, & intrinseca supernaturalis, vt est sanctitas, gratia, & gloria ipsis inhærens intrinsecè, ipsosq; in excellenti gradu perfectionis, & sanctitatis constituens. Atqui omnis virtus, & donum Dei supernaturale, est dignum honore. Sed Sancti præditi sunt donis supernaturalibus. Quòd autem sint adorandi Sancti cultu duliæ, & non ciuili, vt hæretici volunt, Patet 1. ex illo loco Dauidis, Adorate scabellũ pedum eius, quoniam sanctum est : propter sanctitatem extrinsecam adorare iubet scabellum. Ergo multò magis Sancti adorandi, propter sanctitatem intrinsecam. Tum quia Iosue cùm vidisset Virùm stantem, cum euaginato gladio, dixit Iosue 5. *Noster es an adversariorum?* Respondit. *Nequaquam, sed princeps sum exercitus Domini, continuè cecidit Iosue pronus in terram, & adorauit.* Quod Iosue non putauerit illum quem adorauit, esse DEVM, constat inde, quia Angelus dixerat se esse ministrum Dei. Quòd etiam non adorauerit ciuiliter, sed religiosè inde colligitur, quia non priùs adorauit, quàm intellexit Angelum Dei esse legatum. Quòd deniq; non malè fecerit adorando, constat, quia Angelus non prohibuit eum adorare, imò iussit maiorem honorem sibi exhiberi, dicens. Solue calceamenta pedum tuorum, locus enim in quo stas sanctus est, non erat autem locus Sanctus nisi ob Angeli præsentiam, quia tum Iosue non fuit in loco sacro, sed in campestribus Hiericho. Confirmatur

Quia si honor ciuilis debetur virtuti ciuili cur virtuti supernaturali non debeatur? Dixi in Conclusione (absolutâ adoratione) quia non in relatione ad aliquod extrinsecum, sed in propria, & interna perfectione fundatur.

Obijciunt Hæretici 1. Matth. 4. dicitur. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Ergo non debemus Sanctos adorare.

Respondeo Quòd hic locus intelligitur de adoratione latriæ, quàm Sanctis non attribuimus, quia talis soli Deo debetur.

Obijciunt 2. *Apocal.* 19. Angelus prohibuit Ioannem, se adorare; sed Ioannes cultu duliæ voluit Angelum adorare, non latriæ, quia cognouit Angelum fuisse. Respondetur Quòd S. Ioannes volebat Angelum adorare hyperduliâ, & hoc prohibuit Angelus, vt indicaret, quòd Apostolica dignitas erat superior. Respondent S. Athanasius. *Orat.* 3. *in Arianos. c.* 8. & S. Aug. S. Ioannem voluisse adorare Angelum cultu Diuino, quia enim crebro Christus Dominus illi apparuit in forma Angeli, existimabat etiam tunc illum esse Christum Dominum, maximè quia diceret. *Ecce venio velociter.* Respondet Angelus se non Christum esse, sed seruum Christi, atq; illum esse adorandum Diuino cultu, & hoc est quod dixit. *Deum adora,* seu vt legit S. Cyprianus, *Dominum Iesum adora.* Et hæc responsio est melior.

Obiectiones hæreticorum soluntur.

Obijciunt 3. in 7. *Synodo Act.* 4. dicitur Sanctos veneramur, vt amicos Dei, & honor qui Sanctis impenditur in Deum recurrit, & qui Martyres colit, Deum ipsum colit. Et S. Ambros. Serm. 6. inquit. *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum.* Ergo ratio propter quam Sancti sunt adorandi, non est propria eorum excellentia, sed Deus ipse cuius sunt viua templa, atq; ita non absolutâ, sed respectiuâ adoratione sunt adorandi.

Respondeo Cùm excellentia illa intrinseca Sanctorum, nihil aliud sit, quàm participatio quædam Diuinæ naturæ, pertinens quodammodo ad Diuinum ordinem, atq; ad Dei gloriam, ex natura sua tendens, ideò honor qui Beatis datur propter suam sanctitatem, dicitur in Deum referri, non quòd ipsa excellentia Dei increata, sit proxima ratio, quæ ad hanc rationem mouet, sed quia in eam tan-

dem terminatur. Et hoc modo Christus Dominus dixit, dum dixit. *Qui vos recipit, me recipit.* Aduerte hic quòd S. August : *q.* 61. in Genesim aduertit, quòd in sacris literis non sit dictum. *Solum Deum adorabis, sicut dictum est soli Deo seruies.* sed solùm dictum est. *Deum adorabis, & illi soli seruies:* quia adoratio etiam suo modo conuenit Creaturis; non autem seruitus latriæ; nam in græco est λατρεύσεις.

QVÆRES I.

Vtrum animæ Sanctorum sint in cælo?

Nota Anabaptistæ qui Libertini dicuntur, docent animas iustorum, post hanc vitam, dormire, id est extingui, vt refert Bellarminus, *lib.* 4. *de Christo c.* 7. Potest autem hoc dupliciter intelligi. 1. Quòd dormiant, siue extinguantur in perpetuum. 2. quód non quidem in perpetuum, sed vsq; ad extremum judicii diem. Prior sensus est contra fidem, tollitq; immortalitatem animæ: si enim animæ iustorum extinguuntur, post hanc vitam in perpetuum, certè immortales non sunt, sed æquè mortales ac animæ brutorum animalium: Nec post hanc vitam habent vllam mercedem laborum suorum: Nec vlla datur Ecclesia triumphantium hominum in cælis: quæ omnia sunt absurda. Posterior quoq; sensus falsus est. Primò Quia anima Christi Domini post hanc vitam, non fuit extincta vsq; ad diem iudicij. 2. Nec animæ Abraham, Isaac, & Iacob, iuxta illud Matthæi 22. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum sed viventium.* 3. Nec anima Samuelis 1. *Regum.* 28. 4. Nec anima Oniæ Pontificis. 2. *Machab.* 15. 5. anima latronis, cui dictum est. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Deniq; nec animæ eorum, ad quas descendit Christus Dominus in triduo mortis. 1. Pet, 3.

Animæ Sanctorũ sunt in cælo.

Dico itaq; Animæ Sanctorum sunt in cœlo, Deumq; vident, & perpetuâ gloriâ perfruuntur. Hæc Conclusio præter loca in notando citata, Confirmatur alijs locis Sacræ Scripturæ. Ad Philip. 1. (*Cupio dissolui, & esse cum CHRISTO.* Sed si animæ non essent in cælo, sed seruarentur in aliquo loco extra cœlum, frustra hoc desiderabat S. Paulus: Christus enim in cælo est. Item Apocal 7. Dantur Martyribus singulæ stolæ, quæ gloriam animæ significant, nam alteram sto-

teram stolam, id est, gloriam corporis post resurrectionem habebunt, vt exponunt S. Gregor: *in 4. Psalmum pænitentialem*, S. Anselmus. Beda ibidem. vnde subditur. *Hi qui sunt stolis albis amicti, sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die, ac nocte in templo eius.* Quid enim significat esse ante thronum Dei, nisi habere Deum in conspectu, eumque videre. Deinde si seruiunt, Ergo non dormiunt. Probatur 2. ex SS. Patribus Græcis, (quia recentiores Græci, & Rutheni, contrariũ sentiũt. S. Dyonisius Areopagita *lib de Ecclesiastica Hierarchia c. 7. p. 1.* inquit. *Diuinitatis laudant munera, Diuinaque lætitia gestiunt, non iam ad deteriora conuersionem metuentes, sed parata bona, se firmiter perpetuoque habituros probè noscentes.* S. Athan: *in vita S. Antonij dicit. Animam Ammonis, Angelis stipatam, visam ab Antonio deferri in cælum.* S. Basil. *homil. 40. in Martyres* ait. *Vos non terra occultauit, sed cælum suscepit, apertæ sunt vobis Paradisi portæ.* S. Chrysostom. *Homil. 3, in Epistolam ad Philip.* dicit *Iusti siue hic, siue in futuro sæculo fuerint, cum Rege sunt, illic tamen magis & propriùs, non per ingressum ac fidem, sed facie ad faciem.* S. Damasc. *in historia de Barlaam, & Iosaphat in fine.* S. Cyrillus Hierosolymit. *Catechesi 13. de Latrone*, & alij. Ex Latinis Patribus S. August. *lib 20. de Ciuitate Dei cap. 13.* ait. *Animæ victrices, gloriosorum Martyrum omnibus doloribus, ac laboribus superatis, atque finitis, posteaquam mortua membra deposuerunt, cum CHristo Domino vtique regnauerunt, & regnant.* S. Bernardus. *Serm: de Malachia* inquit. *Nec iam in fide ambulas, sed in specie regnas.* S. Ambr. in *cap. 16. Lucæ*: S. Hieron: *lib. 2, in Iouinianum.* Denique rationibus in SS, literis fundatis. Tum quia Deus est pronior ad præmiandum, quàm ad puniendum. Sed impij iam tormenta patiuntur. Ergo & iusti iam præmia percipiunt. Minor constat *ex cap. 16. Lucæ.* vbi dicitur. *Diues autem cum in tormentis esset.* Respondent Græci istam esse parabolam. Contra 1. Non videtur esse parabola, quia in ea ponuntur nomina propria Abrahæ, & Lazari: & Sancti Patres dicunt esse historiam, S. August: *lib. de cura pro mortuis cap. 14.* Contra 2. Dato quod sit parabola, non posset significare res futuras, post diem iudicij, sed rem præteritam vt præsentem, nam Diues ait. *Rogo te Pater Abraham, vt mittas Lazarum ad fratres meos.* Resp: Abraham. *Habent Moysen, & Prophetas audiant illos*: Sed post diem iudicij, non erunt homines

mines in hoc mundo, nec poterunt Moysen, & Prophetas audire. Igitur si illa narratio parabolica sit, ostendit tamen animas nunc esse in pœnis, alioquin nec vera, nec similis esset. Tum quia spes quæ differtur, affligit animam. At non conuenit, vt illi affligantur, qui in gratia Dei decesserunt.

Obijciunt Hæretici loca S. Scripturæ *Matth. 20.* ad vesperam pater familias omnibus operarijs simul reddit mercedem. Sed per vesperam intelligitur resurrectio, & per denarium vita æterna. Ad Hebr: 11. *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid meliùs providente, vt non sine nobis consummarentur.* 1. Ioan. 3. *Scimus quia cùm apparuerit,* (scilicet in secundo adventu) similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Deniq; Apocal. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum, propter Verbum Dei:* Ergo Sancti non sunt adhuc in cælo.

Respondeo Ad 1. locum. Per vesperam intelligitur mors, & iudicium particulare, in quo vnicuiq; redditur priuatim pars mercedis. Quòd si aliquis vrgeat, debere per vesperam intelligi iudicium vniuersale, quo omnibus reddetur perfecta merces: & sic verum est de perfecta, & completa mercede, tam animæ, quàm corporis. Ad 2, Dico per repromissionem intelligitur incarnatio, vel beatitudo animæ, quæ collata est hominibus veteris testamenti in repromissione, ita vt non præuenirent sanctos noui testamenti, sed expectarent vsq; ad aduentum Christi Domini. Vel potest per repromissionem intelligi, perfecta beatitudo animæ & corporis, quod constat ex illis verbis, *Ne sine nobis consummarentur.* Ad 3. Dico illud cum apparuerit, non refertur ad Christum Dominum, sed ad nos, dicit enim ibi, *Nondum apparuit quid erimus, scimus autem cùm apparuerit,* nimirum, *quid erimus, similes ei erimus, nimirum coram oculis totius mundi,* quod modo non habent Sancti. Ad 4. Per (altare sub quo sunt animæ,) non posse intelligi aliquem locum extra cœlùm, nam in capite 7. habeamus, istas animas amictas stolis albis, esse ante thronum Dei. Quare per altare intelligitur Christus Dominus.

QVÆRES II.

Vtrum Sancti sunt inuocandi?

Sancti sunt inuocandi

Respondeo affirmatiuè Probatur 1. ex sacris literis, in vtroq;

testamento sæpè legimus, viuentes à viuentibus in hac vita mortali inuocatos. 1. Regum 7. dicunt filij Israel ad Samuel. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum*. Item Iob vltimo *Ite ad seruum meum Iob, ille orabit pro vobis*. Item ad Colos 4. *Orationi instáte, orantes simul, & pro nobis*. Item Thessalon: 3. *Fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos*. Ergo etiam pium ac vtile est, inuocare Sanctos, cum CHRISTO regnantes, præsertim cum horum intercessio non minùs efficax sit, quàm istorum, imò magis nos iuuare possunt, cùm de sua immortalitate sint securi, & de nostra solliciti. Respondet Caluinus Aliam esse rationem viuorum, aliam mortuorum, quia viui omnes subnixi vna Christi intercessione, tam pro se, quàm pro alijs orant, quia sunt inuicem membra, & quia sacra scriptura hortatur, *vt oremus pro inuicem Iacobi 5*. At qui hoc idem de mortuis dici potest, nam & illi sunt membra eiusdem Ecclesiæ, & vna Christi Domini intercessione nituntur, quidquid enim nobis à Deo petunt, per Chistum Dominum petunt. Probatur 2. Ex concilijs in 7. Synodo Generali Actione 6. dicitur. *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item Sanctorum Angelorũ omniumque Sanctorum*. Item in concilio Bracarensi cap. 9. *Indicuntur Litaniæ recitandæ*. Probatur 3. ex SS. PP. S. Gregorius Litanias indixit tempore pestis. S. Ambr: *libro de viduis* inquit *Non erubescamus illos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia cùm viuerent, ipsi etiam infirmitatem corporis cognouerunt*. S. Hieronym *lib: aduersus Vigilantiũ* ait *Dicis quòd dum viuimus mutuo orare possumus, post quàm autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cùm Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare nequiuerunt. Si Apostoli, & Martyres ad huc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando de se debent esse solliciti, quantò magis post victorias, coronas, & triumphos? Vnde vnus homo Moyses, sexcentis millibus armatorum, impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Domino esse cæperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam resolutus esse cæperit cum Christo, tunc ora clausurus est? meliorque erit vigilantius canis viuens, quàm ille leo mortuus*. Item idem in Epi-

Caluini responsio nulla.

taphio S. Paulæ. *Vale inquit ô Paula, & cultoris tui, vltimam senectutem orationibus tuis iuua, fides, & opera tua Christo te sociant, præsens facilius, quod postulas impetrabis.* S. August. 17. *Serm: de verbis Apostoli* dicit. *Iniuria est pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* S. Athanas: de Annunciat. inquit. *Inclina aurem tuã MARIA in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui.* Taceo aliorum SS. Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum communem consensum, qui non tam verbis, & scriptis, sed factis etiam, & exemplis inuocandos Sanctos docuerunt, adeò vt vix aperire libros ipsorum contingat, quin confestim illa incurrant in oculos. Legatur vita S. Bernardi, *lib. 3. cap. 5.* vbi refertur, quòd pro hoc Articulo fidei apud Tolossam confirmando, Panem benedixerit, ita vt quicunque illum panem gustauerint, sanitatem recuperarent, quod factum esse testatur historia.

Probatur deniq; ratione, tùm quia hæc inuocatio Sanctorum, totius Ecclesiæ consensu approbata est: tota autem Ecclesia errare non potest. Tùm quia quotidiè fructum inde experimur: nam multi inuocatione huius, vel illius Sancti, consequuntur sanitatem corporis, alij donum castitatis, alij patientiæ, alij alia beneficia.

Obijciunt 1. Hæretici. Inuocatio Sanctorum cedit in iniuriam Dei, nam ad Rom. 10. dicitur. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ergo ille solus inuocandus est, in quem credimus, nimirum Deus. Respondeo Etiam facerent Deo iniuriam, qui à viuentibus postulant orationes, vt fecit Apostolus, *ad Rom. 15. & alibi.* Et Centurio, qui non per se, sed per seniores Iudæorum à CHRISTO Domino auxilium petijt, *Luc:* 7. Vnde ad locum Apostoli, Dico 1. Ibi agi de inuocatione, quã aliquis inuocatur, vt Deus, & primus auctor bonorum: quia ibi præcessit. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Dico 2. Sicut Deum non potest inuocare, qui in eum non credit, id est, qui non credit Deum esse Deum, vel in eo non sperat, nec eum diligit, ita etiam non posse eum Sanctos inuocare, qui suo modo in eos non credit, id est, qui non credit esse Sanctos, nec in eis sperat, vt in patronis, nec eos vt tales diligit. Præterea nomen inuocationis in Sacris literis non soli

Inuocatio Sanctorum non cedit in iniuriam DEi.

Deo tribuitur, vt patet Genes. 48. *Inuocetur nomen meum super pueros hos, & nomina patrum meorum.*

Obijciunt 2. 1. ad Timoth. 2. dicitur. *Vnus est mediator Dei, & hominum, homo Christus IESVS.* Si ergo solus ipse est mediator. Ergo, Sancti non sunt mediatores, nec inuocandi.

Respondeo. Si hæc est bona. Solus Christus est Mediator. Ergo malè faciunt Catholici inuocando Sanctos in cælo : etiam hæc erit : Ergo peccant adversarij inuocando Sanctos in terra. Respondeo 2. Christum Dominum tribus de causis dici vnum, & solum Mediatorem Dei, & hominum. 1. per modum redemptionis. 2. ratione naturæ, quia est medius inter Deum, & hominem, quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo. 3. Ratione officij, quia Christus Dominus, ita est Mediator omnium hominum, vt ipse nullo Mediatore indigeat, quales non sunt sancti, qui indiguerunt reconciliari Deo per Mediatorem Christum Dominum, & nunc etiam quidquid nobis impetrant à Deo, per Christum Dominum impetrant. Addo, sicut dicitur in Euangelio, *vnus esse Pater, & vnus Magister, Matth. 23.* ita & vnus Mediator. Sed sicut optimè in sacris literis, dicuntur plures Patres, & plures Magistri. Ad Galat. 3. apertè fatetur. Apostolus, Moysen fuisse *Mediatorem inter Deum, & populum Israeliticum.* Ioan. 3. Nicodemus dicitur *Magister in Israel* : hæc tamen omnia longè aliter Christo Domino, quàm hominibus tribuuntur, quia Christo Domino longè excellentiori modo, hominibus verò quadam participatione. Sicut etiam Deus dicitur solus bonus, & tamen omnis creatura Dei bona est. Sed Deus natura suâ est ipsa bonitas, creaturæ bonæ bonitate participatâ.

Qualis Mediator Christus Dominus.

Obijciunt 3. Christus Dominus pro nobis orat Patrem, *Ad Hebr. 7. Qui semper viuit ad interpellandum pro nobis* : quem habemus aduocatum apud Patrem 1. *Ioan.* 2. cum igitur semper exaudiatur ille, pro sua reuerentia, non opus erit alijs intercessoribus, ne videamur iniuriam irrogare orationi Christi Domini, tanquam minùs efficaci.

Respondeo. Hic ratione concluderetur, etiam non esse implorandas orationes viuorum, ne minùs efficax habeatur oratio Christi Do-

sti Domini. Dicendum itaq; est, non ob id Sanctos pro nobis Deum precari, tanquam Christi Domini oratio minus sufficiat, sed primum quidem ad Christi Domini dignitatem ostendendam, qui tametsi pro nobis Patrem oret, oratur tamen & ipse à nobis, & à Sanctis pro nobis; Nam vt inquit S. Bernardus *Serm: vlt: De Assump. B. Virginis Mariæ. Reuerentur in Christo Domino homines Diuinam majestatem, vt opus sit Mediatore ad Mediatorem istum.* Deinde ad detestandam malitiam peccatorum nostrorum. quæ tanta est, vt ipsi per nos soli, nec ad Deum Patrem, nec ad Filium accedere audeamus, sed interpellatores quæramus Deo chariores.

Quomodo Christus Dominus orat pro nobis.

Collige Non eo modo Christus Dominus apud Deum Patrem pro nobis intercedit, quo modo rogant, vel viuentes, vel Sancti in gloria, quia non anxiè, non dubitanter, non supplicis more petit, sed tanquam authoritatem habens, & suo iure exhibitis meritis postulat quiduis. Christus Dominus itaq; orat, merita, & passionem suam exhibendo: Sancti verò orant, & supplicant Christi Domini merita allegando.

Obijciunt 4. Deus potest per se audiri, nec opus habet intercessoribus, qui aditum parent ad instar Magnatum, qui & absentiâ ignorant, & inordinatâ irâ commouentur, vt mediatoribus sit opus ad eorum animos placandos. Sed his cùm non opus sit Deo, qui omnia intuetur priusquam fiant, & maiori misericordia abundat, præditusq; est, quàm vlla creaturarum, non opus erit intercessoribus ad ipsum.

Posset Deus præstare sine intercessione Sanctorum.

Rñdeo Quòd ex hac obiectione sequitur, quòd nulla ratione homines viui sunt à nobis rogandi, vt orent pro nobis, quod tamen nec Hæretici admittunt. Itaq; non ob id Sanctos oramus, quasi eorum intercessione indigeat Deus, qui per se preces nostras exaudit, per se misericors, & pater misericordiarum, sed vt intelligamus Deum, qui in cæteris rebus externis, quas posset per se præstare, causis secundis vtitur, etiam in rebus spiritualibus adhibere easdem: posset enim sine cibo, & potu vitam nostram prorogare, aut sine cura, & labore, nobis de necessariis vitæ prouidere, infirmitatem sine medico curare, vult tamen vt cibum sumamus, & in sudore vultus

nostri

nostri pane vescamur, ad medicum in infirmitate recurramus. Sic poterat Deus, Eliphan Themanitem orantem exaudire, tamen placuit illud facere per intercessionem S. Iob. cap. 42. *Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus, orabit pro vobis, faciem eius suscipiam &c.* Posset itaq; Deus, sine oratione Sanctorum omnia præstare, sed sine illa non præstabit, propter iustissimas causas, quas refert Bellarminus.

Obijciunt 5. Christus Dominus, verbo, & exemplo nos docuit, quis sit inuocandus. Matthæi 6. Luc. 11. *Orantes inquit dicite, Pater noster qui es in cœlis.* Et ipse Christus Dominus Patrem compellat. *Pater si possibile est transeat &c. Matth. 22.*

Respondeo Christus Dominus loco citato, non tam de eo, qui orandus est, Apostolos docuit, quàm de ijs rebus, quæ petendæ sunt, hoc enim Apostoli cupiebant. Luc, 11. *Doce nos orare*: sciebant enim Deum esse orandum, vt auctorem bonorum omniú. Quando verò nos in honorem sanctorum recitamus orationem dominicam, non tam alloquimur illos, quàm Deum ipsum, quem tali oratione precamur: recitamus tamen eam in honorem Sanctorum, quibus velut libellum supplicem, Deo offerendum, suisq; precibus commendandum tradimus: Salutationem verò Angelicam B. Virgini recitamus, cui orationes nostras commendamus, vt ipsa negotia nostra procuret apud Deum.

Obijciunt 6. Nullum extat mandatum in SS. literis, vel exemplum, vel promissio de inuocatione Sanctorum. Ergo Sancti non sunt inuocandi. Respondeo Mandatum non requiri, vbi necessitas ipsa nos compellit. Sed si velis mandatum, lege caput vltimum Iob. vbi extat particulare mandatum, exemplum, & promissio. *Ite ad seruum meum Iob*: en mandatum, *& orabit pro vobis*: en exemplum: *& ego suscipiam faciem eius*: en promissio. Sed maior est ratio de Sanctis, quàm de viuentibus iustis. Ergo.

Obijciunt 7. Si quid possent Sancti, vbiq; id possunt, & vbiq; rogandi, non igitur discurrendum est, aut peregrinandum ad certa loca, vt illic votorum, & precationum nostrarum, compotes efficiamur. Præterea Displicet Hæreticis, quòd ad varios morbos, varij

Sancti coluntur, & inuocantur; quasi non possint omnia omnes.

Respondeo Fatentur Sancti Patres Sanctos totius orbis loca, & vniuersum genus humanum, summâ charitate complecti, peculiari tamen ratione, & curâ, ea loca fouent, in quibus sacra illorum ossa asseruantur, ita S. Augustin: *lib. de cura pro mortuis cap.* 16 S. Ambr: *lib. de viduis.* Deinde magis illum populum curant, ex quo originem ducunt; quomodo Hieremias Propheta legitur, multùm oràsse pro populo Israel, 2. *Machab. cap.* 15, Et S. August. *Epistola* 137. tametsi non ignoraret Deum, & Sanctos vbiuis exorari posse, misit tamen ex Africa, Clericos suos Nolam Campaniæ, ad memoriam S. Felicis, vt illinc obtinerent, quod occulto Dei iudicio, obtinere alibi non poterant. Porro non negat Ecclesia Sanctos omnes omnia posse apud Deum, docet tamen non aduersari fidei, si quemadmodum diuersa sunt ministeria Angelorum bonorum, atque malorum, quorum alij præsunt hominibus, alij regnis, alij Elementis. Daniel. 10. & *Apocal.* 16. sic etiam Sanctis, beatam cum Christo in cælo vitam degentibus, & hæc inferiora administrantibus, pro diuersitate meritorum, diuersa, vel loca commendata dicantur, vel dona ad fidelium Christianorum auxilium:

Sancti in certis locis citiùs exaudiunt & cur?

QVÆRES III.

Vtrum Sancti in cælis orent pro nobis?

Dico 1. Sancti in cælis, non solùm viuentium necessitates nouerunt, sed maiori quàm dum in terris agerent charitate, pro illorum salute deprecantur: Probatur 1. Zachar: 1. ab Angelo rogatur Deus: *Domine exercituum, vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est.* Addit deinde Propheta. *Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria.* Quibus significare voluit vsque adèo acceptam fuisse Deo precationem Angeli, vt statim quæ petebat impetrauerit. Similiter Daniel. 10. *Michael vnus de principibus primis, venit in adiutorium Angelo agenti apud Deum causas populi Israelitici, contra principem Persarum.* Deinde in Apocal: *cap.* 15. Viginti quatuor seniores, qui à numero duodecim Patriarcharum, & duodecim Apostolorum, Sanctos vtriusque testamenti referunt, dicuntur, *cecidisse coram Agno,*

habentes

habentes singuli Cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum : offerunt igitur Deo preces Ecclesiæ, prostrati in terra, id est, precibus suis, nostras preces iuuantes, Deoq; commendantes. Item *lib. 2. Mach. cap. 15.* Onias Summus Sacerdos vitâ defunctus, apparens Iudæ Machabæo, de Hieremia Propheta sibi astante dicebat. *Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est, qui multùm orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate* : Hieremias verò porrecto Iudæ gladio, inquit. *Accipe sanctum gladium, munus à Deo in quo deijcies, aduersarios populi mei Israel.* Visionem probauit euentus, nam Iudas postridie Nicanorem, & triginta quinq; millia hominum prostrauit. Vnde Oëconomius. *2. Pet. 1. Dabo autem operam frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*; ait, plerosq; viros post mortem quoq; horum, qui sunt recordari, ac pro viuentibus intercedere. Deniq; Sancti in cælis aduersus impios subinde expetunt vindictam, vt constat *Apocal. 6.* vbi magna voce dicuntur clamare: *Vsquequo Domine Sanctus, & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra*; multò igitur magis à Deo misericordiam pijs Christianis exorant. Probatur 2. ratione. communio exigit necessariò, vt membra pro se inuicem sollicita sint. Sed est communio Ecclesiæ triumphantis, cum militante teste Apostolo, *ad Hebr: cap. 12.* vbi dicit. *Nos accesisse ad Ecclesiam primitiuorum, qui sunt in cælis*; id est, ciues illorum esse. Atq; hinc colligitur, quòd falsum dicat Caluinus *lib: 3. Institut: c. 20. §. 24.* Deum voluisse, vt nullum nobis sit commercium cum sanctis mortuis, sed nec illis nobiscum: At quomodo hæc vera esse possunt, si sumus vna Respublica, vnus populus, vnum corpus? *Vide S. August: lib. 20. de Ciuit. Dei. cap. 9.* Confirmatur Psalm. 31. dicitur. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Omnis Sanctus inquit, vtique tam in corpore, quàm extra constitutus.

Obijciunt Sancti in cælis, laborum suorum perfectissimam mercedem receperunt, ipsis igitur nihil amplius, vel pro se, vel pro alijs debetur, neq; ipsi orationibus quidquam impetrant viuentibus. Respondeo Sancti quidem in cælis, nihil, vel sibi merentur, vel nobis, at- Sancti et si nó merentur orant tamen pro nobis.

bis, attamen in præmio antecedentium meritorum, continetur magna amicitia, & familiaritas cum Deo, cùm igitur amicus omnis, ius habeat petendi, & impetrandi ab amico, fit, vt tametsi nihil ampliùs merentur, rogent tamen pro nobis, & pars præmij est, vt ne repulsam patiantur, sed quod petunt, exorent, rogari autem non est mereri, Ergo &c.

Sancti orant pro nobis in genere.

Dico 2. Sancti orant pro nobis in genere. Patet. *Hierem.* 15. dicitur: *Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo Moyses, & Samuel iam mortui, solebant orare pro populo Iudæorum. Item 4. *Regum.* 19. Promittit Dominus Ezechiæ, se seruaturum Ierusalem, propter se, & propter Dauid seruum suum. Constat ex præcedenti Conclusione.

Dico 3. Sancti orant pro nobis etiam in particulari. Probatur 1. Angeli in particulari orant pro nobis. Ergo & Sancti, qui sunt sicut Angeli Dei. Antecedens patet Zachariæ 1. vbi Angelus orat, pro restauratione Ierusalem. *Tobiæ* 12. & *Apocal.* 8. dicuntur Angeli nostras orationes offerre Deo, & suas orationes adiungere, vt nostræ faciliùs à Deo exaudiantur. *Daniel.* 10. introducuntur 4. Angeli, quorum vnus erat Princeps Persarum, alter Græcorum, tertius captiuorum in Perside, quartus Populi Dei; singuli gerebant curam eorum, quos habebant sibi commissos. Probatur 2. Quia non solùm ab Angelis, sed etiam à Spiritibus beatorum hominum, reguntur, & gubernantur fideles viuentes: id enim promisit Christus Dominus Apocal 2. *Qui vicerit, & custodierit vsq; in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* Hic loquitur S. Ioannes de mortuis, vt constat ex his verbis. *& custodierit vsq; in finem opera mea.* Et loquitur de tempore ante resurrectionem, quod colligitur ex his verbis: *Et reget eas in virga ferrea* quia regere in virga ferrea, significat regere virga pastorali. Taceo exempla innumerabilia, quæ habentur apud Authores probatissimos, quòd speciatim sancti orauerint pro hominibus, in varijs periculis, & necessitatibus existentibus.

QVÆRES IV.

Vtrum Sancti audiant preces nostras.

Nota 1. Viuentes homines res cognoscunt, vel per intuitum, vt cùm homo hominem videt, audit, mores considerat: vel cùm aliquid non in se directè, sed per reflexionem intuentur, V. G. quando ea videmus in speculo, quæ post tergum nostrum sunt, & quæ alioquin videre nequimus, vt faciem, & oculos nostros: vel cùm per relationem aliorum absentia discimus, V. G. per internuncios, literas, historias &c. sicut igitur nos triplici modo res cognoscimus, ita & Beati in cœlo orationes nostras. ita D. Subtilis, *in* 4. *dist.* 45. *q:* 2. *&* 4. S. Thomas 2.2. *q.* 83. *art.* 4. Bellar *lib.*1. *de beatud SS.c.* 17.

Modus cognoscendi res triplex.

Nota 2. Ex Doctore Subtili *ibidem Num.* 4. Non esse necesse ex ratione beatitudinis, quòd Beati videant orationes nostras in Verbo, quia non est aliquid quasi necessaria sequela beatitudinis, neq; quòd reuelentur, quia neq; talis reuelatio sequitur necessario beatitudinem, congruum tamen est, Beatos esse coàdiutores Dei, in procurando salutem electi, eo modo, quô hoc sibi potest competere.

Dico 1. Sancti cum Christo in cœlis regnantes, non ignorant ea, quæ à viuentibus in terra geruntur, imò nec ea, quæ in cordibus hominum latent. Probatur 1. Sancti Patres ante aduentum Domini nosse poterant, quæ fiebant in terra, sicut Abraham sciebat *Epulonem illum, recepisse bona in vita sua, & Lazarum similiter mala.* Sancti, igitur qui nunc astant Deo, maioriq; gloria fruuntur, potiori ratione eadem non ignorabunt. Probatur 2 nonnulli viuentes in hac vita absentia, & futura, imò & cordis occulta, non ignorabant, vt Elisæus 4 *Regum.* 5. sciuit omnia quæ à famulo absente erant perpetrata. *Nonne cor meum in præsenti erat, quando descendit homo de curru suo in occursum tui?* Item Samuel cognouit omnia, quæ erant in corde Saulis 1. *Regum* 9. *Omnia inquit quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi, Et de asinis patris tui, quas perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt.* Item Elisæus sciebat omnia secreta consilia Regis Syriæ, & reuelabat ea Regi Israel 4. *Regum* 6. Daniel etiam sciebat occultum somnium Nabuchodonozoris, & interpretationem illius. *Daniel:* 2. Item S. Petrus absens sciebat

Sancti cognoscunt opera nostra.

sciebat Ananiam, & Sapphiræ fraudem occultam, circa pretium agri *Act.* 5. S Paulus intuitus cor claudi mendici, cognouit eum fidem habere, vt saluus fieret. *Act*: 15. S. Stephanus vidit cælos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei. Si igitur Elisæus, Samuel, Daniel. Petrus, Paulus & alij, potuerunt in hac vita mortali cognoscere occulta consilia, conatus, & actiones aliorum etiam absentium, certè poterunt, & nunc cognoscere cùm in cælo sunt: Non enim verisimile est, in exilio fuisse melioris conditionis, quàm nunc sint in patria: & remotos à conspectu Dei, cognouisse multa ex Dei reuelatione, quæ nunc in aula, & præsentia Dei cogantur ignorare? Absit. reclamant enim bonitas Dei, ratio, & exemplum 24. seniorum, de quibus supra.

Triplici modo cognoscunt Sancti orationes nostras.

Dico 2. Sancti in cælo illo triplici modo, cognoscunt orationes nostras, enumerato in Notando 1. nimirum vel per intuitum, vel per reflexionem tanquam in speculo, in essentia Diuina, vel per relationem. De Primo modo constat, nam licet ex sententia Sanctorum Augustini *lib. de cura pro mortuis c.* 15. *&* 16, & Gregorij *lib.* 12. *moral. c.* 13. animæ defunctorum naturaliter per se non adsint nobis, nec nostra contemplentur, dono tamen beatitudinis, & gloriæ, non ex cælis modo, nostra intueri posse, sed Diuino etiam permissu, quandoq; nobis adesse. Si enim concessum est S. Stephano ex Synagoga Christum Dominum videre, nullum est inconueniens, si fateamur Sanctos è cælis videre opera nostra in terris, sicut contemplantur pænas damnatorum in inferno: cùm enim nulla corporis mole præpediantur, non impedientur etiam locorum distantiâ, nec corporibus interiectis, quominùs preces nostras audiant, actiones intueantur, adeòq; in cordibus nostris, & cogitationibus illa videant, quæ ipsis volumus esse manifesta. De secundo modo non est dubium, quòd Sancti in Verbo cognoscant ea, quæ ad ipsorum gloriam promouendam à nobis geruntur, videntes enim clarè Deum, facie ad faciem, tanquam in nitidissimo speculo, videant omnia nostra. Vnde Sanctus Dyonisius Areopag. *lib. de cælesti Hierarchia ait. Quid est quòd Sancti in cælis non videant, in quo perfecta rerum ideæ conspiciuntur?* S. August. *lib.* 9. *de Ciuit Dei cap.* 22. *in-*

quit. *Angeli boni* (itaq; & Beati)*certius etiam temporalia & mutabilia ista nouerunt, quia eorum principales causas, in Dei Verbo conspiciunt, per quod factus est mundus, quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur, cùm ordinantur.* S. Gregor. *lib.* 4. *Dialog. c.* 33. dicit. *Quia omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant? vbi scientem omnia sciunt?* Quare sicut Rex aliquis, non existimaret amico fideli celandum aliquid, si sciret gaudium augeri posse amici, ex reuelatione illius rei, ita Deus, qui Sanctorum suorum perfectum gaudium desiderat, nihil eorum ipsos celat, quæ aliquo modo, vel augere id, vel perficere possunt; eiusmodi verò sunt orationes, quæ ad ipsos à viuentibus effunduntur, & quæcunq; in ipsorum gloriam ab ijsdem suscipiuntur. De tertio modo certum est, Sanctos multa cognoscere in cælis, quæ in terris geruntur, internuncijs Angelis, & ijs, qui ex hac vita migrant, nam Iacob Patriarcha Angelos vidit ascendentes, & descendentes per scalam, in cælum protensam, ascendentes quidem ad preces nostras offerendas, & descendentes ad fauorem nobis Diuinum impertiendum: quod Raphael testatus fuit seniori Tobiæ, *Tob.* 12. *& in Apocal.* Angelus legitur imposuisse incensa, *quæ sunt inquit orationes Sanctorum.* Atq; hinc constat, quomodo Sancti in cælo, possunt cognoscere nostras preces. Gen. 28.

Obijcit 1. Caluinus. *lib.* 3. *institut. cap.* 20. § 24. *Quis nobis ait reuelauit, tam longas Sanctis esse aures, vt ad nostra verba dependeant? tam illos acutè videre, vt nostras necessitates inspiciant?* Respondeo. Nos nihil inconueniens tribuere Sanctis, nec Mydæ auriculas, nec Argi oculos, nec visum Lyncæi, vt ex tam longinquo necessitates nostras videant, non enim oculis, aut auribus corporeis percipiunt eas, sed Angelico modo, quando nimirum intellectus ipsorum, comprehendit, cognoscit, cogitat, nostras miserias, ac inuocationes: cognoscunt autem illas, istis tribus modis in 2. Conclusione enumeratis. Caluini obiectio stulta.

Obijciunt 2 Hæretici Isaiæ 63. dicitur. *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.* Item Eccl. 9. *Viuentes, sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius.* Item 3. Regum. 8. dicitur *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Respondet D. Subtilis *loco citato, ad primam, & secundam authoritatem,* quòd illæ verificantur de

tur de hominibus veteris testamenti, quando etiam Sancti Patres erant in lymbo, non autem verificantur de Sanctis noui testamenti, qui sunt in cælo, qui non ignorant ea, quæ nobisbum fiunt. Ad illud 3. *Reg.* 8. Respondet D. Subt. ibidem. illud dictum, quòd solus Deus nouit abscondita cordium, verum est vniuersaliter, & ex propria perfectione, ita vt impossibile sit, quòd per aliquid impediens sibi lateat. Nouit etiam vt iudex vniuersalis, omnium talium occultorum, illo modo, quo nec Angeli boni, nec mali, nec animæ separatæ nouerunt, imò de facto Beati, multos tales motus non nouerunt, propter defectum præsentiæ debitæ, mali verò multa talia etiam præsentia, proportionaliter non nouerunt, Deo impediente, propter cuius impedimentum, non possunt multa, quæ tamen non impediti, naturaliter possent.

Quomodo Deus nouit cor, & quomodo Sancti.

ARTICVLVS VII

Vtrum Sanctorum cultus ad Religionem pertineat?

Nota Hæreticos negare Sanctos esse adorandos, adoratione Religionis, quia tali solum Deum esse adorandum dicunt, Sanctos verò nonnisi politica, & humana reuerentia venerandos? vnde ex hac occasione quærimus, an huiusmodi adoratio Sanctis exhibenda, ad cultum Religionis pertineat?

Dico 1. Cultus, & adoratio, quæ Sanctis exhibetur, propter excellentiam supernaturalem, perfectior est adoratione, & honore ciuili, & humano, qui hominibus propter dignitatem, vel potestatem humanam exhiberi solet. Probatur virtutes, & earum actus ab obiectis, distinctionem accipiunt. Sed excellentia est obiectum formale adorationis, vt supra vidimus, Ergo sicut excellentia Sanctorum est altioris ordinis: quàm quælibet humana dignitas, vel potentia, ita adoratio illis debita est perfectior ciuili, & specie distincta ab illa.

Cultus Sanctorum perfectior ciuili

Dico 2. Cultus Sanctorum est coniunctus cum Diuino cultu, & rebus sacris, & ad Religionem, & cultum Dei spectantibus. Probatur ex traditione Ecclesiæ, quæ Sanctos colere consueuit, di-

cando in eorum memoriam dies sacros, qui quamuis primariò ad Dei cultum pertineant, in honorem tamen Sanctorum redundant. Ita Tertull. *lib. 6. de corona militis*. S. Greg. Nazianz. *orat*. 18. S. Cyprian. *Epistola* 34. Et in Concil: Toletano Tertio *cap*. 25. præcipitur, vt festa Sanctorum religiosis operibus celebrentur. Probatur 2. rationibus Tum quia Ecclesia honorat Sanctos in templis, quæ licet primariò Deo sint dicata, & ad Deum referantur, cui sacrificium in illis offertur, secundariò tamen in memoriam aliquorum Sanctorum, vel ad eorum reliquias honorificè seruandas, constituta sunt. Tum quia etiam coluntur Sancti ab Ecclesia, ieiunijs, vigilijs, peregrinationibus. &c. Sed istæ actiones pertinent ad Religionem, & ad res sacras. Ergo. Tùm quia hic cultus, fundatur in sanctitate Sanctorum. Sed Sanctitas Religioni proxima est. Ergo hic cultus potest dici religiosus.

Cultus Sanctorum est religionis.

PETES *An licet colere Sanctum non canonizatum, & non beatificatum?*

Respondeo Licere priuato cultu, non publico: ita habetur *cap. Cùm ex eo. de Reliquijs & veneratione Sanctorum*. Similiter etiamsi liceat non canonizatum credere, & vocare Sanctum, non tamen prædicare eum tanquam ab Ecclesia in Sanctorum Catalogum inscriptum. Item licet inuocare non canonizatum, etiam alijs audientibus, sed non in publicis Litanijs, nec in sacrao officio. Item non licet vllo modo ad eius honorem templa, & altaria construere, & sacrificia offerre: quia ea omnia ex naturâ suâ sunt publici actus, seu cultus, nullum enim est in Ecclesia sacrificium, nisi commune, & à Deo ipso institutum, templa autem, & altaria ad sacrificium referuntur. Item licet imaginem eius pingere, & venerari, non tamen in templo constituere, eo modo, quo aliorum Sanctorum Canonizatorum, vel Beatificatorum constituuntur.

Non canonizati an dorandi.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Reliquiæ Sanctorum sint honorandæ? & quali cultu?

Reliquiæ honorandæ.

Dico 1. Reliquiæ Sanctorum, meritò à fidelibus conseruantur, & in magno honore, ac reuerentia habentur. Probatur 1. ex Sacris literis *Genes. 50. & Exod.* 13. legitur, ossa Iacob, & Ioseph magno cum honore esse conseruata, & sepulturæ tradita. Et *Deut. vltimo.* creditur Angelos sepeliuisse corpus Moysis, teste Epiphanio. *hæresi 9. Et Actor: c. 8. Curauerunt Stephanum viri timorati.* Probatur 2. Ex 7. *Synodo Actione* 1. vbi dicitur. *Apostolicam hanc esse traditionem.* Et in Tridentino *Sess. 25. Decreto 2.* 3. Probatur Ex vniuersalis Ecclesiæ traditione, & consensu, vt constat ex Cornelio Papa *Epistola* 1. vbi tractat de translatione corporum, SS. Petri, & Pauli, suo tempore facta, è Catacumbis ad ea loca, in quibus Martyria passi sunt. Probatur 3. rationibus Tum quia dum viuerent, templa fuerunt Spiritus Sancti, à quo etiam post mortem retinent Sanctitatem, vt S. Chrysostom. *in Genesim scribit homil.* 15. Tum quia irrationabiles creaturæ leguntur Sanctorum corporibus, tùm viuentium, tùm defunctorum pepercisse, vt *Danielis. 6. & 3.* tres pueros *ignis non contristauit, neq; quidquam molestiæ attulit.* Tum quia Deus ipse miraculis Sanctorum corpora honorare solet, vt qui ad contactum Elisæi ossium mortuum excitauit. 4. *Regum.* 13. Pallio Heliæ Iordanem diuisit. 4. *Regum.* 2. vmbrá B. Petri, & sudarijs B. Pauli, languores sanauit. *Actor.* 16. multaq; alia miracula ad reliquias Sanctorum patrauit, & etiam nunc præstat. S. Ambrosio reuelauit corpora Sanctorum Martyrum, Geruasij, & Prothasij, vt ex locis obscurioribus, prolata populi deuotioni, & cultui proponerentur. Refert. S. Damascenus *lib. 4. Orthod: fid. cap.* 16. & Sozomenus *lib. 9. Eccl: hist. cap.* 3. de Sanctorum ossibus, defluere oleum, ad populi sanitatem.

Qua adoratione adorandæ reliquiæ.

Dico 2. Eadem adoratione, quâ adoratur Persona, posse interdum reliquias eius coadorari. Colligitur *ex 7. Synodo Act.* 4. nam licet reliquiæ, re ipsa separatæ sint à Personis, quarum fuerunt reliquiæ, mente tamen possunt, vt coniunctæ apprehendi, & sic vt coniunctæ, cum eo, cuius reliquiæ sunt, adorari.

Vnde hinc sequitur 1. Quòd adoratio reliquiarum, non sit absoluta, sed respectiua. Sequitur 2. hunc cultum reliquiarum religio-

religiosum esse, & ad pietatem pertinentem, quia totus fundatur in eadem sanctitate, & ad idem bonum animæ refertur. Sequitur 3. Reliquiarum contemptum, in iniuriam Sanctorum redundare, propter quod etiam earum venditio sacrilega, & simoniaca esse censetur, *cap. Cùm ex eo de Reliquijs, & veneratione Sanctorum.*

Dico 3. Distinctione, & prudentia, in exhibendo Sanctorum reliquiis cultu opus est; ad vitandum enim periculum, cùm certò non sciatur, an sint certæ reliquiæ, oportet conditionem apponere: si verò sint certæ, & approbatæ, absolutè adorari possunt, absq; explicita conditione, cùm in ratione formali adorandi, nullus possit esse error. Incertæ reliquiæ an adorandæ

Obijciunt Hæretici 1. Luc. 11. Christus Dominus Pharisæos his verbis alloquitur. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum, Patres verò vestri occiderunt illos, profectò testificamini, quòd consentitis operibus Patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Quibus verbis Christus Dominus, videtur venerationem reliquiarum arguere. Respondeo Duobus modis sepulchra occisorum eriguntùr. Primò ab amicis in honorem defunctorum: posteriori modo ab inimicis in signum victoriæ: priori modo qui sepulchra Sanctis erigunt, eisq; honorem habent, vt Christiani, reprehendendi non sunt; posteriori modo, præsertim si iniustè Sancti neci traditi sint, reprehensione digni sunt, quo modo reprehensi fuerunt hoc loco Pharisæi, quia illa erectio sepulchrorum fuit facta, non in honorem Prophetarum, sed in honorem parentum homicidarum, quorum homicidia his sepulchris viderentur approbari. Cur reprehensi Pharisæi.

Obijciunt 2. S. Antonius, vt testis est. S. Athanasius, prohibuit post mortem suum corpus asseruari, sed statim terræ mandari, iuxta illud. *Terra es, & in terram ibis.* Respondeo S. Antonius, quod virum sanctum decebat, mandauit de suo corpore discipulis, non damnans eos, qui post impletum Dei Verbum. *Terra es, & in terram ibis*: reliquias ex puluere educunt, & in honore habent. Hinc

Collige concessum esse tam Clericis, quàm laicis, Reliquias Sanctorum deuotè tangere, aut in collo gestare. Ita S. Thom 2. 2.

q. 69. art. 4. Nauar. c. 11. n. 35. Non peccat homo grauiùs inde, si reliquias portando peccet. V. G. furando, peierando, quia non directè cultui reliquiarum aduersatur, imó nec fornicando. ità Sanchez. lib. 2. Moral. c. 4. n. 28.

ARTICVLVS IX.

Vtrum imagines sint adorandæ adoratione debitâ suis prototypis?

Imago est signum.

Nota 1. Imago quia est in genere signorum, præter sui cognitionem, inducit nos in cognitionem alterius. Quare duo in natura imaginis continentur, nempe, vt in se est res quædam, & vt in aliam rem inducit cogitationem nostram, illud materia dicitur, hoc forma: veluti in pictura, materiæ locum obtinent colores, in statua æs, lignum, aurum &c. & figura illa sculpta, vel fusa: loco autem formæ, est similitudo rei alterius, quâ res per imaginem significatur & repræsentatur. Imago dicitur εἰκων ab imitando, quasi imitago quia repræsentat rem aliquam, estq; exemplar, & repræsentatio rei alicuius, tum animatæ, tum inanimatæ.

Vnde dicta imago.

Nota 2. Res quarum imagines haberi possunt, sunt illæ omnes, quæ sub sensum cadunt. vnde fit vt res merè spirituales, imagines non habeant, veluti Deus; Angeli, anima humana, nisi internas aliquas, & spirituales imagines, quæ in mente sunt hominum, & Angelorum: & hoc modo Angeli, multarum rerum habent imagines, solo Deo excepto, cuius nulla imago dari potest. Ex his sequitur propriam rationem imaginis, non esse positam in materia, sed in repræsentatione, hocq; imaginem esse oculis, quod verbum exterius est auribus, & quod species interna est cogitationi; ac proinde non esse habendam rationem materiæ, nec coli lapides, vel ligna, sed totum honorem, qui defertur imagini redundare in prototypon; cùm imago, & prototypon, non considerentur vt res duæ, sed vt res vna.

Imagines rerum Spiritualium.

Nota 3. Ecclesia Catholica ab Apostolis, & Spiritu Sancto instituta, imaginum vsum ab Apostolis acceptum, hactenus constanter retinuit, ob multas earum vtilitates. Quarum Prima est,

vt doceantur rudiores. vnde S. Gregor. *lib. 9. Epist. 9. ad Serenum* inquit. *Idcirco enim pictura in Ecclesia adhibetur, vt qui literas nesciunt, saltem in picturis videndo legant, quæ legere in codicibus non valent, nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus.* Secunda causa est, vt per imaginem reuocentur in memoriam, quæ absentia sunt, & olim gesta: constat enim memoriam renouari, picturis visis: Hinc ex Apostolorum traditione, maiores docuerunt vbiq; formari imaginem crucis, vt semper passionis Dominicæ recordemur. Tertia vt moneant, & excitent animos: Sicut pulchrè S. Basilius *Serm. de 40. Martyr.* ait. *Res in bello fortiter gestas, túm eloquentes homines sæpè, tum pictores exprimunt, illi sermone ornantes, hi tabulis delineantes, & vtriq; multos ad fortitudinem excitârunt.* S. Gregor. Nyssenus *lib. 7. Epistola 53. ad Secundinum.* fatetur se nunquam intuitum imaginem immolati Isaac, sine lachrymis. Quarta vtilitas, vt imagine honoretur Christus Dominus, eiusq; Sancti, sicut enim erectione statuarum, & imaginum, homines ab hominibus honorari consueuerunt, ita honor Christo Domino, & sanctis debetur ab hominibus. Vtilitates imaginum

Nota 4. Triplex esse adorationis obiectum, videlicet motiuum tantùm, & tale est, quod illâ adoratione, non adoratur, sed excitat, vel mouet ad aliud adorandum. Aliud est obiectum terminatiuum tantùm, & est illa res ad quam vltimatè adoratio terminatur. Aliud est obiectum motiuum, & terminatiuum simul, quod & mouet ad aliud principaliter adorandum, & terminat ipsam adorationem: vel adoratur simul eadem adoratione quamuis non vltimatâ, sed minùs principaliter, & in ordine ad id, quod principaliter, & vltimatè adoratur, quæ ideò dicitur illius analogica adoratio, quia ratione alterius, vel relatione, aut aliquâ proportione, ad alterius ad quod mouet absolutè, & principaliter, illâ adoratione adoratur.

Nota 5. Id quod honoratur, honoratur vel per se, vel per accidens; vel propter se, vel propter aliud; vel propriè, vel impropriè. Per se honoratur suppositum, in quo est ratio adorationis: per accidens verò id, quod est coniunctum rei quæ adoratur, nec ipsa est Honor exhibetur alicui, vel per se, vel per accidens.

ipsa est ratio adorationis: vt cum honoratur Rex, per se homo ille adoratur, qui est Rex, per accidens honoratur purpura, & reliqua ei adiuncta, & accidentia omnia eius, excepta regia dignitate, quæ licet non sit id, quod honoratur, est tamen id, quò homo ille honoratur, ita quòd Persona honoratur per se, & vt quod, regia dignitas honoratur per se, & vt quò, reliqua honorantur per accidens. Porrò Illud honoratur propter se, quod habet in se rationem venerationis, non dependentem aliunde: propter aliud verò honoratur id, quod habet quidem in se causam honoris, sed illa tota causa pendet ab alio, & hoc modo signa rerum sacrarum, sunt venerabilia, habent enim in se relationem similitudinis, siue repræsentationem rei sacræ, atq; adeò quandam excellentiam, sed illa tota pendet ab ipsa re sacra. Similiter illud dicitur honorari propriè, quod verè ratione sui ipsius honoratur: impropriè verò illud dicitur honorari, quo honoratur loco alterius, vt si legatus honoratur propter Regem.

Odium hæreticorum contra imagines.

Nota 6. Multi fuerunt Sacrarum Imaginum hostes, & potentissimi, etiam Imperatores, vt Leo 4. Imperator, qui virus suum in imagines sacras effundere cæpit. Anno 780. Theophilus Imperator in imperij sui exordio in cultores sacrarum imaginem, obstinato prorsus animo fuit, vt refert Baronius *tom 9. anno* 841. Deinde multi hæretici antiqui, quos refert Thomas Valden. *tomo* 3. *titulo* 19. Ioann Cochlæus *lib.* 3. *hist: Hussitarum*, maximè verò Caluinus *lib.* 1. *cap.* 11. *& lib.* 4. *cap.* 9. §. 9. *Institut.* acerrimè imaginum cultum reprehendit, & Caluinistæ vbicunq; possunt, eas frangunt, vel comburunt, vel abradunt.

In Ecclesia Catholica semper imagines fuerunt in honore.

Dico Semper in Ecclesia Catholica imagines sacræ in honore, & in veneratione habitæ sunt. Probatur 1. ex SS. literis. Præcepit Deus fieri imagines Cherubim super propitiatorio in arca. *Exodi.* 25. vnde necessariò adorabantur cum arca. Imò S. Hieronym. scribit, *Epistola ad Marcellam.* causam cur à Iudæis Arca fuerit venerata, aliam non fuisse, quàm quòd ibi essent Cherubim. Item Serpens æneus in sublimi collocatus, & exaltatus, non poterat non honorari, cùm aspicientibus daret salutem. *Num.* 21. fuit autem serpens ille imago, & figura Christi Domini. *Ioan.* 3. Si ergo imago

Christi

Christi, sub forma serpentis erat venerabilis, cur non etiam in forma hominis? Hinc S. August. *lib.* 3, *de Trinit.* c. 10. referens signa, quæ venerationem merentur, ponit inter illa serpentem æneum.

Probatur 2. Ex Concilijs. Octaua Synodus generalis Constantinopolitana, sic statuit: *Sacram imaginem Domini nostri IESV Christi, & omnium Saluatoris, æquo honore, cum libro Sanctorum Euangeliorum adorari decernimus.* Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *Decreto* 2. *expressè decreuit.* Probatur 3. ex usu antiquo, nam ab Apostolorum temporibus, imagines Christi, non sine cultu, & veneratione in vsu fuisse: Tertul: *lib. de pudic.* refert in sacris calicibus, depingi solitas imagines Christi, de humeris ouem portantis. Eusebius Cæsariensis scribit, *lib.* 7. *Eccl. hist. cap.* 14. Imaginem CHristi Domini æneam, à Syrophænissa constitutam, ad sua vsq; tempora perdurâsse, quam Deus ipse hoc miraculo honorauit, vt herbæ, quæ penes crescebant quando fimbriam eius attigissent, omnem morbum depellerent, quem honorem Christi Domini, non ferens Iulianus Apostata, cùm deiectâ Christi Domini imagine, suam substituisset, hanc fulmine deturbatam, Christi verò à fidelibus in templo, cum honore depositã, author est Nicephorus *l.* 10. *c.* 30. qui etiã testatur Constantino Imperatori, à B. Syluestro exhibitas imagines Apostolorum Petri, & Pauli, (quæ etiam nunc Romæ asseruantur,) easq; passim haberi à Christianis, & depingi solere, temporibus suis, vt testatur S. Aug. *lib.* 1. *de consensu Euangelist: cap.* 10. Item Niceph. *lib.* 14. *cap.* 2. scribit Pulcheriam Augustam, posuisse in templo, quod Constantinopoli ipsa extruxerat, imaginem B. Virginis MARIÆ, quam è Hierosolymis ad eam miserat Eudoxia. Probatur 4. ratione. Tum quia si Arcæ exhibita est Adoratio, Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*: multò magis exhibenda est imaginibus Tum quia fiunt imagines, & statuæ Regum, Principum, Heröum in honorem eorum, quarum contemptus, censetur ipsorum Regum contemptus. Ergo & imaginibus sacris potest fieri adoratio. Tum quia nulla idololatria inde committitur à Catholicis, vt falso imponunt hæretici, quod constabit ex obiectionibus eorum.

Obiiciunt hæretici 1. *Exod.* 20. dicitur. *Non facies tibi sculptile, neq; vllam similitudinem eorum, quæ vel in cælo, vel in terra, vel vbicunq; locorum sunt.* Ergo. Respondeo. Non omnem hic prohiberi sculpturam, aut picturam, sed eam qualis apud Ethnicos habebatur, quæ vt Deus adorabatur, iuxta illud Hierem. 2. *Dicentes ligno, pater meus es tu, & lapidi tu me genuisti.* Ab hoc errore vt populum suum Deus abduceret, vetuit fieri sculptile, hoc est aliquam imaginem, quam putaret esse Deum, vel aliquid habere numinis, vel quam coleret vt Deum. Quare hoc præcepto prohibentur idola, & dii manibus fabricati, quibus adoratio latriæ impendatur, relicto vero Deo; quod colligitur *ex cap.* 26. *Leuitici. Non facietis vobis idolum, & sculptile, vt adoretis illud, ego enim sum Dominus Deus vester.* Aduerte hic ex Origene, idolum, differre ab imagine, quia idolum est simulacrum rei, non subsistentis, & vanæ, & ideo imago Iouis est idolum, quia reuera Iupiter non est Deus, imago verò est similitudo rei subsistentis veræ

Cur Deus Præcepit ne facerent sculptile.

Idolum differt ab imagine.

Obiiciunt 2. Isaiæ 40, dicitur. *Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Respondeo Deum prohibuisse imaginem sui, quæ repræsentaret eum secundum propriam & formalem similitudinem, quia hoc est impossibile, non tamen Deus prohibuit imaginem Dei depingi, in qua Deus repræsentaretur, non absolutè, sed sub aliqua specie, in qua interdum apparuit, vt Pater æternus in specie senis, *Daniel* 7. Filius Dei homo factus, & in specie Agni à S. Ioanne in Apocalypsi visus est: & Spiritus Sanctus in specie columbæ.

Dei imago qualiter pingenda

Obiiciunt 3. Concilium Elibertinum. vbi *Can.* 36, dicitur: *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur in parietibus depingatur.* Hoc ibidem prohibetur *in 6. Synodo Can:* 100. Respondeo ad Elibertinum quòd circa illa tempora, quando hoc Concilium celebratum est, orti erant hæretici Antropomorphitæ, qui cum Epicureis Deum faciebant corporeum, quare ne præberetur maioris erroris occasio, iussit Concilium Prouinciale 16. Episcoporum, eiusmodi picturas, de templis auferri, quia Diuinitas, neq; corpus, neq; similitudinem habere potest. Respondetur 2. Quod

istud Concilium prohibuit, ne imagines pingerentur in parietibus, quia adhuc illo tempore, vigebat idololatria. Ad Canonem *Synodi.* 6. dico. Non prohibetur ibi vsus imaginum, sed abusus in picturis, nimirum lasciuia, & superstitio, quod & Concil: Tridentinum fecit *Sess.* 25.

Obiiciunt 4. Imagines sunt rerum absentium: Deus autem est vbiq;. Ergo non debet imago eius pingi. Item Imagines sunt causa erroris, maximè si in templo collocentur, quia simplices putabant illas viuere.

Respondeo. Ad I. Licet Deus sit vbiq;, non tamen sub modo visibili. Ad secundum dico Nemo est ita rudis, qui non sciat honorem exhibitum imaginibus, terminari ad prototypa; non autem ad ipsas vt ipsas.

QVÆRES.

An Imagines. possint esse obiectum totale adorationis?

Nota Imago dupliciter considerari potest. vno modo materialiter, vt est quædam res physica, nimirum aurum, argentum: lignum &c. & hoc modo pertinet ad prædicamentum substantiæ similiter si consideretur secundùm formam absolutam totalem, videlicet secundum talem, vel talem figuram, & sic ad prædicamentum qualitatis spectat. Alio modo formaliter, inquantum scilicet refert, & repræsentat aliquid, & secundùm hoc pertinet ad prædicamentum Relationis. Loquendo de imagine materialiter sumpta, communis est sententia, quòd nulla ei debetur adoratio, quia vt sic, neq; est intellectualis naturæ, neq; habet coniunctionem cum natura intellectuali, quia ut sic, nihil est aliud, quàm aurum, vel aurum figuratum: loquendo veró de imaginibus formaliter sumptis, quatènus scilicet repræsentant prototypum, gravis est controuersia inter Theologos, an sint adorandæ sine exemplari, aliqua adoratione, quæ dirigatur in imaginem, velut in materiam adæquatam adorandi, ad exemplar veró, velut ad rationem adorandi: & ita imago diceretur adorari per se, non tamen propter se, sed propter prototypum.

Imago dupliciter considera-tur.

Dico 1. Quantumuis sit probabile, posse ita adorari imagines, propter exemplar, vt sint totale obiectum adorationis: tamen multò probabilius est, imagines inanimatas, nunquam adorari posse, quin cum eis adoretur exemplar ipsum, tanquam obiectum magis præcipuum adorationis. Idem dicendum de alijs rebus sacris inanimatis, de Cruce, de Nomine IESV, de libro Euangeliorum, de vestibus sacris, Reliquiis, &c. in quibus, licet fundamentum adorationis ad exemplaria sit diuersum, capacitas tamen adorationis est in ijs similis. Prima pars conclusionis Probatur: quia multi graues Doctores, illam sententiam docent, & authoritatibus Conciliorum saltem, probabiliter fulciunt. Ita Catherinus *opusculo de adoratione imaginum conclusione 6. & 7.* Sanderus *lib. 2. de imagin: c. vltimo.* Bellarm: *lib. 2. de imagin. cap. 21. & 22.* Suarez. *disp. 54. Sect. 5.* Corduba *lib. 1. quæstionarij. q. 5.* Secunda pars est Alexandri *3. p. q. 30. memb. 3. art. 3.* S. Thomæ *3. p. q. 25. art. 3.* Caietani *ibidem.* Sancti Bonaventuræ *in 3. dist. 9. art. 1. q. 2.* D. Subt. *ibidem q. vnica:* Capreoli. q. 1. art. 1. Richardi *Art: 2. q. 2.* Maioris *q. 1.* cui de Cruce Christi Domini dicit, non esse terminum adorationis secundùm se, sed ratione exemplaris. Marsilij *in 3. q. 8. art. 2. dubio 2.* Thomæ Valden. *tom. 3. cap. 165. Num. 6. & 7.* Sot. *lib. 2. de iustitia q. 4. art. 2.* S. Antonini *3. p. tit: 12. cap. 9. §. 4.* Alphonsi à Castro, *contra hæreses, Verbo adoratio.* Gabriel Vasquez. *Disput: 108. cap. 3.* Pauli Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 5. q. 3.*

Probatur 1. Matth. 5. dicitur. *Qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in templo, & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet in ipso.* Si ergo iuramentum per creaturas, (quia per immensitatem Deus in illis est) est iuramentum per Deum. Ergo & adoratio imaginis, quæ repræsentat Deum, vel Sanctum, est adoratio prototypi. Probatur 2. ex Concilio Trident: *Sess. 25. Decreto de Sacris imaginibus:* vbi dicitur. *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisq; debitum honorem, & reuerentiam impertiendam, non quòd credatur in esse aliqua in iis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gen-*

Concilij Tridentin authoritas

bat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt veneremur. Vbi Concilium, nullam imaginibus adorationem tribuit, quia in illis non eſt virtus aliqua, propter quam coli debeant, & conſequenter per ſe diuiſas ab exemplari, non debemus adorare.

Dices Eſſe in imaginibus ſignum, & veſtigium prototypi, propter quam rationem per ſe coli poſſunt. Reſpondeo Signum hoc in imagine præter ipſius prototypi excellentiam & ſanctitatem, non poteſt eſſe aliqua virtus, cui cultus debeatur, nam in imagine tale ſignum excellentiæ, ſi eſſet, eſſet quid irrationale; & inanimatum, cui homo digne ſeſe ſubiicere non poteſt adoratione. Vel ſi ineſt illis aliqua virtus, ob quam adorentur, cur ergo Concilium dicit *Non quod credatur ineſſe ijs aliqua virtus, propter quam ſint colendæ, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur tranſit ad prototypa.* Vnde ſi dicas excellentiam. quæ mouet ad adorationem imaginis, non eſſe in imagine, ſed in prototypo, ſtatim infertur imaginē, non eſſe totum adorationis terminum, ſed ipſi exemplari in imagine adorationem deferri: cùm enim adoratio debeat ſub ſe comprehendere excellentiam, quâ res adorata efficitur veneratione digna, ſiquidem defertur illi excellentiæ, quâ res redditur digna cultu, cùm itaq; dignitas imaginis ſit ea, quæ eſt prototypi, illa quoq; ſub eandem adorationem cadere debet. Inſuper Concilium docet, hanc eſſe vnicam rationem imagines adorandi, quia nimirum honor illarum tranſit ad exemplar, ſicut ad terminum adorationis: dicit enim; *Vt per imagines, coram quibus procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos.* Item 7. Synodus, poſtquam definiuit, imagines, in templis honorificè retinendas eſſe. Subiungit. *Quo ſcilicet per hanc imaginum picturam inſpectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & deſiderium veniant, illiſq; ſalutationem, & honorariam adorationem exhibeant: non ſecundùm fidem noſtram, veram latriam.* Et paulò infra ſubdit. *Imaginis enim honor, in prototypum reſultat, & quia adorat imaginem, in ea quoq; adorat præſcriptum argumentum.* Quæ verba, quamuis pro ſe-

pro se afferant contrariæ opinionis Doctores, tamen illa magis pro nobis seruiunt, quia loquitur Concilium de adoratione, quá simul cum imagine, & in illa exemplar quod vocauit *descriptum argumentum*, eodem honore honoratur.

Dices Frequenter in 7. Synodo repetitur, imaginibus exhibibendum esse honorem, & adorationem, non tamen Latriam, vnde colligitur inferiori cultu esse imagines adorandas quàm exemplaria, atq; ita ab ipsis diuisas adorari. Ergo non tantum de adoratione imaginis cum exemplari, sed etiam de inferiori, & distincta 7. Synodus intelligenda est. Respondeo Quando 7. Synodus dicit imaginibus non exhiberi latriam, non infertur illas posse adorari, non adorato cum ipsis exemplari eadem adoratione, nam idipsum dicere debemus iuxta sensum septimæ Synodi, quando imaginem cum exemplari coniunctam, eadem adoratione colimus, vt notat Vasquez *disp*. 108. *cap*. 6. ex Epiphanij testimonio, & ex ipsamet 7. Synodo nam ita negant latriam imaginibus, vt non quandoq; concedant, quandoq; negent, sed semper dicant soli Deo deferendam esse: Igitur Imagini siue diuisæ, siue coniunctæ cum exemplari illam negant, cùm tamen oppositæ sententiæ Doctores, imagini coniunctæ cum exemplari illam concedant. Itaq; per latriam, quando negatur imaginibus simpliciter, intelligunt Patres illam latriam, quæ est adoratio in spiritu, & iudicio interno, quando iudicamus illum, qui colitur, simpliciter esse primum principium; nam imaginem non iudicamus esse principium' sed iudicamus aliquando esse medium, quâ adoramus primum principium. Accedit Concilium Senonen. *cap*. 14. in quo definitur, imagines adorari, non quia in illis aliquid Numinis putetur esse, sed propter recordationem exemplaris. Et Concil: Moguntinum Prouinciale *celebratum anno* 1549. *cap*. 41. dicit. *Non adorari imagines, sed ad hoc poni, vt exemplaris recordemur*.

Mens 7. Synodi exponitur.

Dices Adorari quidem adoratis imaginibus, etiam exemplaria, virtute, & implicitè, sed non expresse, nec formaliter, sicut etiam adoratis Sanctis, veneramur Deum sicut traditur. *in* 7. *Synodo Act*. 4. vbi dicitur. *Qui Martyrem colit, Deum colit, qui matrem ipsius honorat, ipsi*

norat, *ipsi honorem assignat.* Respondet S. Augustinus de doctrina Christiana, quem citat Sanctus Bonauentura. *Qui* inquit *veneratur vtile signum diuinitùs institutum, cuius vim, & significationem intelligit, non hoc veneratur, quod videt, & transit, sed illud potiùs, quô talia cuncta referenda sunt.* Ex quo patet imaginem, quæ est signum, nec materialiter, nec formaliter sumptam adorari posse, quin eodem actu exemplar adoretur. Probatur 3. ex SS. Patribus, Damascenus *orat.* 1. & 2. *de imaginibus* negat alio pacto imagines à Christianis adorari, quàm illo, quô Iacob virgam Ioseph, honorando illum, qui virgam tenebat. Atqui Iacob osculando virgam Ioseph, non solùm virtute, & implicitè, sed expressè; & formaliter adorauit Ioseph. Vnde ad illam authoritatem, ex Concilio in obiectione, citatam. Respondetur Disparem esse rationem de imaginibus, & de Sanctis: nam Sanctis inest excellentia & dignitas, aliqua ob quam adorari possunt, imaginibus verò nulla sine prototypo, Beatus Leontius *l.* 5. *de adoratione Crucis contra Iudæos. Sed tu* inquit. *adoras librum Legis, non naturam membranarum, aut atramenti adorans, sed verba Dei quæ in illo continentur: sic & ego imaginem Christi adorans, non lignorum, aut colorum naturam adoro, absit, sed inanimatum Characterem Christi, hunc enim cùm habeam per ipsum Christum, me tenere, & adorare mihi videor.* Hoc idem habet S. Chrysostomus. *homil:* 19. *ad populum Antiochenum. Si igitur non chartæ, nec membranæ, sed Verbo Dei honor habetur, ita nec statuæ, nec picturæ, sed Christo eiusq; Sanctis.* Probatur 4. rationibus. Adoratio est essentialiter significatio internæ submissionis erga alterum excellentiorem. Ergo debet fieri excellentiori substantiæ. Sed imago si sine exemplari sumatur, non est excellentior homine; Ergo & hinc est, quòd adoratio non debeatur, nisi intellectiuæ substantiæ, non verò imaginibus, cum non sint adorabiles per se. Deinde. Imago formaliter sumpta, non est distincta à re, quàm repræsentat, non enim imago aliud est formaliter, quâm ipsum repræsentatum in ea, vnde motus adorationis, non terminatur ad imaginem, absq; repræsentato, sed potiùs terminatur in rem præsentatam, inquantùm repræsentatam per imaginem. Deinde confirmatur per illos versiculos communes.

Effigiem Domini qui transis semper honora.
Non tamen effigiem, sed quem designat adora.

Confirmatur 2. Quia nulli creaturæ irrationali secundùm se, cultus aliquis exhiberi debet, imagines autem ac reliquiæ Christi Domini, & Sanctorum secundum se, sunt res inanimatæ. Ergo ijs non competit cultus, ac reuerentia.

Vna cum prototypo imagines adorantur.

Dico 2. Imagines Christi Domini, & Sanctorum: concomitanter, ac per accidens colimus, vnâ cum prototypo, ita vt cùm Christum Dominum, aliumuè Sanctum, apprehendimus in imagine præsentatum, ita illi cultum deferimus, vt terminus adorationis sit solúm prototypon, imago autem concomitanter se habeat, tanquam per accidens quoddam, & quasi vestimentum personæ adoratæ. Ita omnes Doctores citati pro prima conclusione. Probatur ex S. Athan: Orat: 4. contra Arianos. *Qui inquit adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem, quippe cùm imago aliud non sit, quàm Regis forma, ac species:* & rationem reddit. *Quia qui imaginem inspexerit, ipsum quoq; Regem simul inspiciat.* Vnde imago non est terminus adorationis, sed velut via, ac medium. Hinc Collige licet imagines Christi Domini absolutè, & secundùm se latriâ non colantur, tamen cultu respectiuo, quô simul exemplar, & imaginem, seu exemplar in sua imagine adorandum est.

PETES 1. *Quodnam sit præceptum imagines adorare?*

Præceptũ Dei de adoratione imaginum

Respondeo S. Thomas 3. *p. q.* 25. *a.* 3. *ad.* 4. dicit esse præceptum Diuinum, quod licet non sit scriptum, est tamen per Apostolos traditum, nihil enim videtur in cultu Diuino faciendum, nisi quod est à Deo institutum. Aliqui verò vt Aretinus *in* 3. *d.* 9. *q.* 1. *a.* 4. & alij, dicunt, ex more & consuetudine, Ecclesiæ esse aliquo modo præceptum Sacrarum imaginum vsum, malè enim & superstitiosè ageret fidelis si ex industria ab vsu imaginum abstineret iudicans illum esse malum. Sed opinio S. Thomæ citata verior, & communior, quia præceptum Ecclesiæ de adorandis imaginibus in Concilio 7. Niceno est factum, vsus verò imaginum fuit ante hoc Concilium in Ecclesia. Ergo.

Petes

PETES 2. Vtrum liceat imagines Dei, & Angelorum pingere?

Nota Duobus modis posse imaginem aliquam depingi. Primò vt intelligamus imaginem illam verè, & propriè repræsentare Deum, sicuti est. 2. Non vt repræsentet rem sicuti est, sed sicut apparuit aliquando, vt si imago sit Dei, repræsentet Deum, secundùm quod à nobis intelligitur, & exprimitur per aliquas res creatas, quæ conueniunt cum Deo, & aliis rebus spiritualibus in aliquibus proprietatibus, sicut quando Angelus depingitur, sub specie iuuenis alati, ex quo colligimus Angelorum munera, & proprietates. Imago dupliciter depingi potest.

Dico Illicitum est imagines depingere Dei, & Angelorum, primo modo in Notando exposito. Patet Quia vt *in 7. Synodo Actione 3.* dicitur. *Inuisibilis est Diuinitas, nec pingi, nec figurari se permittit.* Porrò 2. modo. Licitum esse depingere, & erigere imaginem Dei, & Trinitatis. Patet Quia Deus corporea specie, se videndum exhibuit. *Genes. 3.* tanquam homo de ambulans in paradiso; Iacob eũ vidit innixum scalæ, *Genes. 28.* Isaias, & Micheas viderunt Dominum sedentem in solio. Amos stantem super altare. Daniel describit eius capillos, & vestimenta. *Dan. 7.* Similiter licitum est pingere Trinitatem, quia S. August *: lib. 2. c. 11. de Trinit.* agnoscit in tribus illis viris, qui apparuerunt Abrahæ, *Genes. 18.* fuisse imaginem SS. Trinitatis. Deinde ibidem agnoscit, formam Patris indicari in forma hominis senis, *Daniel. 7.* Filij verò figuram, in similitudinem hominum, vt notum est. Spiritus Sancti in specie columbæ, *Matth. 3.* & in linguis igneis. *Act. 2.* Porrò Angeli apparuerunt frequenter in forma humana. *Gen. 18. 19.* & Tobiæ frequentiùs; visi sunt cum alis. *Isai. 6. &* Danielis 10. Ergo taliter, qualiter visi sunt, depingi possunt. Imagines pinguntur ex apparitione.

ARTICVLVS X.

Vtrum Crux sit adoranda?

Nota 1. Signum Crucis dicitur, & est signum Christiani hominis; tũ quòd eo contineantur mysteria fidei nostræ; tùm quòd Christiani soli hoc signo cum fide vtantur, & hoc signo ab alijs gentibus dignoscantur, teste Apostolo ad Galat. 4. *Nobis autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. quem locum B. Ef- Crux signũ Christiani.

 frem ad

frem ad signum crucis rectè accommodat. & S. Ignatius *Epistola.5. ad Philip*: scribit, nihil esse, quod dæmon vsq; adeò prosequatur odio, quàm signum crucis, quodq; per omnes hæreticos hoc vnicè curet, vt memoria Crucis aboleatur, quos hæreticos Apostolus, *ad Philip.3.* vocat, inimicos crucis Christi. Neq; verò id per hæreticos tantùm: sed etiam per Iudæos, conatus est semper diabolus efficere, quando totis trecentis annis, Iudæorum inuidia occultatum fuit lignum crucis, teste S. Paulino. *lib. de Pass: imag: Christi.* hinc & ab ijsdem summâ semper ignominiâ affectâ est, sacræ crucis imago: Christiani verò à Christi Domini temporibus, semper Sūmá veneratione coluerunt, & lignum ipsum Dominicæ crucis, & signum crucis quò se quotidie muniunt.

Nota 2. Cyrillus Alex. *lib. 6. contra Iulianum.* refert, quòd Iulianus Apostata reprehenderit Christianos, ex eo, quòd arma Iouis nolint adorare, & crucis lignum adorent. Martinus Lutherus in postilla de Exaltat: S. crucis blasphemans, dicit. *Quòd primus crucis abusus est, quòd ligno cui Deus affixus fuit templa consecrantur*: & subdit. *Quod si quis pedibus ista calcare vellet, extra decorum ageretur.* Caluinus *de admonitione de Reliquijs, dicit, doctrinam nostram de adoratione crucis, esse diabolicam.* Beza in colloquio Mompelgartensi ausus est dicere, *Fateor me ex animo, Crucifixi imaginem detestari.* En horribiles blasphemias impiorum Hæreticorum. Breuiter Articulum per Quæsita resoluemus.

Hæreticorum blasphemiæ.

QVÆRES I.

An Crux Christi, in qua Christus Dominus pependit, sit, & quô cultu adoranda?

Dico 1. Crux Christi Domini, siue lignum crucis, in quo pependit, quatenùs Christum Dominum, & eius beneficia nobis repræsentat, est honoranda & adoranda. Est de fide. Probatur Quia cùm Christus Dominus crucem pro peccatis nostris spontè elegerit, tanquam altare summi sacrificij, quô Deus placaretur, *ad Hæbr.7.* & cum fuerit Christo Domino scala ad regnum, & nominis exaltatio, *ad Philip. 2.* cùm fuerit instrumentum liberationis, & reconci-

Crux in qua Christus Dominus pependit est adoranda.

reconciliationis cum Deo, teste Apostolo, ad Colos. 1. *Pacificans per sanguinem crucis eius* (id est, per sanguinem in cruce effusum) *siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Fuit trophæum contra diabolum erectum, qui in illa exspoliatus fuit, teste Apostolo, ad Colos. 2. *Delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Sequitur igitur crucem illam veram. mirificè à Deo honoratam, omnibus amabilem, & venerabilem esse debere. Probatur 2. ex SS. PP. S. Iacobus Apostolus in Liturgia. *Crucem pretiosam, viuificantem, & gloriosum Christianorum cornu appellauit.* S. Martialis discipulus, S. Petri Epist. 1. cap. 5. vocat, *armaturam inuictam contra Sathanam.* S. Ignatius Martyr. Epist. ad Philip. *Trophæum aduersus diaboli potentiam, & principium damnationis, mortis, ac ruinæ eius.* S. Ambr. Orat. de obitu Theodosij, crucem appellat victoriam, salutis vexillum, Christi triumphum, æternæ vitæ palmam. S. August. lib. 2. de visit: infirm. *Totius venerationis dignissimum monumentum dicit crucem, amicis præsidium, inimicis obstaculum, & triumphale vexillum.* S. Athanas. Serm. de cruce, vocat, *crucem beatam, & viuificantem, Christi gloriam, & honorem.* Probatur 3. ex miraculis quæ in inuentione, & in exaltatione eius sunt patrata, & modo ad hæc tempora, miracula talia fiunt, quæ nonnisi ab ipso Deo esse possunt. Lege Bellarm. *lib. 2. de cultu imaginum, cap. 27.* Vasquez *lib. 3. de adoratione.* Alphonsum à Castro. *de hæresibus, Verbo Adoratio.* Probatur 4. ratione Quia Crux Christi Domini, non est deterioris conditionis, quàm olim in veteri testamento fuerunt imagines Angelorum, Arcæ, & ænei Serpentis. Sed hæc omnia adorata sunt, & in honore habita, vt vidimus præcedenti Articulo. Ergo. Collige Idem dicendum de spinis, clauis, & cæteris Reliquijs CHristi Domini.

Dico 2. Crux Christi Domini, spinæ, lancea, claui, & aliæ Reliquiæ, quæ Christum Dominum tetigerunt, vt coniuncta cum ipso Christo Domino, vnâ adoratione adoranda sunt, adoratione nimirum latriæ, & hoc duplici titulo, nempe ratione contactus, & ratione repræsentationis. Hæc conclusio intelligenda est, sicut conclusio 1. in quæsito posita Articuli præcedentis de imaginibus.

Crux, claui, vt coniuncta cú ipso Christo Domino, vna adoratione adoranda.

Confirmatur authoritate S. Ambr: Orat: de obitu Theodosij, vbi sic inquit. *Inuenit titulum* (nempe Helena) *Regem adorauit, non lignum, quia hic gentilis est error, sed adorauit illum, qui pependit in signo*. S. Leontius Cypri Episcopus. lib. 5. contra Iudæos ait. *Nos Christiani crucis formam adorantes, non ligni naturam adoramus, sed lignum, & annulum, & formam ipsius Christi; respicientes eum qui cruci affixus fuit, per ipsam complectimur, & adoramus.*

Dico 3. Si Christi Domini Crux, vel cæteræ reliquiæ, sint totum obiectum, & materia adorationis, adoratio erit respectiua, propter excellentiam Christi Domini, minùs tamen perfecta, quàm sit illa, quæ Christo Domino per se debetur. Hæc conclusio ita intelligenda est, sicut supra de imaginibus dictum est.

Dixi in Conclusione, (omnia quæ ipsum tetigerunt) tanquam aliquid ipsius, id est ea, quæ ipse possedit, vel quibus vsus est ipse, vel alij circa ipsum, vt sunt vestes, claui, monumentum, siue sepulchrũ &c. per quod excluduntur manus crucifigentium, quia ipsi non sunt vsi illis vtiliter, neq; ipsum amanter repræsentant. Asina quoq; in qua Christus Dominus sedit in die palmarum, si viueret, non esset adoranda, non enim decet, vt Christus Dominus adoretur in asina, ad euitandum errorem, & irrisionem:

QVÆRES. II.

Vtrum imago Crucis retinenda, atq; adoranda sit?

Crux est adoranda.

Dico 1. Crux, quâ licitè, ac religiosè vtitur Ecclesia, adoranda est, sicut quæcunq; alia res sacra, & ad Diuinum cultũ spectans. Prima pars definita est in *6. Synodo Can. 73. & in 7. Synodo Act. 7.* Confirmatur traditione Ecclesiæ, constat enim ex historijs, ante mille ducentos annos, fuisse in Ecclesia consuetudinem deferendi in publicis processionibus, crucem argenteam, inter cereos accensos. Legatur Leo Papa *Serm. 8. de Passione*. Irenæus *lib. 1. contra hæreses cap. 24.* S. Ambros. *Serm. 56.* dicens. *Sicut nauis sine arbore, ita Ecclesia sine cruce stare non potest.* Et infra: *Vbi signum crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas effugatur.* 2. pars certa est, vnde Rupertus *lib. 6. de*

Diuinis Officijs cap. 9. inquit. *Adoramus crucem, fidei præsidium, pacis vexillum.*

Dico 2. Si in cruce sit imago crucifixi depicta, vel affixa, eo modo adorari debet, quo & imagines, imò etiamsi non sit in illa imago, quia sola Crux per se repræsentat, non solum crucem, in qua Christus Dominus pependit, sed etiam ipsum Christum per modum crucis extensum.

Adoranda est Crux cultu latriæ.

Dico 3. Crux Christi Domini maiori veneratione adorari debet, quàm alia passionis insignia. Probatur Tùm quia vsus, & consuetudo fideliũ sic habet, quòd ex quacunq; materia fiat crux Christi, accipitur pro speciali signo eius, non ita de alijs insignijs, quia crux ex ipsa sua figura, & brachiorum extensione, magis ipsum crucifixum repræsentat. Tum quia crux est signum venturi Christi Domini ad iudicium, & speciale vexillum eius. *Matth.* 24. Tùm quia plures fuerunt de cruce figuræ, & Prophetiæ, quàm de alijs insignijs, vt ex sacris literis patet. Tum quia maiores dolores, & opprobria in Cruce, pro nobis Christus Dominus pertulit. quàm in alijs insignijs.

Crux est adoranda magis quã alia insignia passionis.

QVÆRES III.

Vtrum liceat vti signo Crucis, in modum sacræ Cæremoniæ?

Nota 1. In signo Crucis, duo sunt consideranda, mysterium & vtilitas. Mysterium indicat S. Paulus ad Ephes. 3. dicens. *Vt possitis comprehendere, cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, & sublimitas, & profundum.* Hoc enim signo, quasi in summa explicantur Christianis, quæ toto Symbolo Apostolorum continentur, ea nimirum, quæ vt explicitè credantur ab omnibus sunt necessaria. Quia enim sine expressa fide Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, & Passionis CHRISTI Domini, remissionis peccatorum, ac vitæ æternæ, nemo potest in numero Christianorum haberi, Apostoli Symbolum fidei, quod Apostolorum Symbolum vocatur, collegerunt, quô hæc omnia necessaria complexi sunt, sicut testantur S. Clemens. *Epistola* 1. S. Ambr. *Epistola* 81. Cæterùm quia multi Christiani,

In signo Crucis sunt duo

vel ob ingenij tarditatem, vel ob temporis anguſtias, Symbolum illud duodecim articulorum, memoriæ non ita commodè mandare poterant, Apoſtoli eorum infirmitati conſulentes, aut Chriſtus Dominus potiùs per Apoſtolos, ſignum crucis inſtituit, quod omnia contineret, quæ Symbolum Apoſtolorum, nempe Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, incarnationem, paſsionem Domini, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. Quòd ad Sanctiſſimam Trinitatem attinet, verba ipſa, nobis illam expreſsè declarant, cùm dicimus. In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. In nomine non in Nominibus, quia vnum eſt trium Perſonarum nomen, hoc eſt Virtus, Honor, Diuinitas, Maieſtas, proprietates Perſonarum in ſigno ipſo indicantur, dum Pater in fronte tanquam Trinitatis principium collocatur, & qui in terram à nemine vnquã ſit miſſus. Filius collocatur circa ventrem, vt qui ex ſinu Patris, in vterum virginis deſcenderit. Spiritus Sanctus tertia in Diuinis Perſona, tertio loco nominatur, ſed inter Patrem & Filium medius ponitur, tanquam vtriusq; amor, & nexus, per quem Filius ſolâ diuinâ charitate motus, humanam naturam aſſumpſit; & ſic indicatur incarnatio. Porrò Paſſio Domini indicatur cruce, quia crux, vel tota manu, hoc eſt quinq; digitis, ad quinq; vulnera ſignificanda formari ſolet; vel vt vult Innocentius, tribus digitis ob Sanctiſſimam Trinitatem, quæ in Paſſione Domini, operata eſt humanam ſalutem; vel duobus digitis coniunctis, ad indicandas duas naturas in Perſona CHRISTI DOMINI. Quòd verò à ſiniſtro latere, in dextram progrediamur, ſignificat effectum Paſſionis, quâ ex latere ſiniſtro, tranſlati ſumus ad dextrum, hoc eſt ex hædis, facti oues, ex inimicis, amici Dei, ex reis æternæ damnationis, hæredes vitæ æternæ.

Myſterium indicatur.

Nota 2. Vtilitates ſigni S. crucis ſunt variæ. 1. eſt oratio ſancta, & efficax Chriſtianorum, quâ Deum ſeſe ſignantes precantur, vt in actionibus omnibus, auxilium eis ſuum præſtare velit, ſecùs atq; dicerent. Domine rogamus te per maieſtatẽ Sanctiſſimæ Trinitatis, per Chriſti incarnationem, paſſionem, & mortem, per omnia beneficia, quæ merito Paſſionis accepimus, vt in his, quæ aggreſſuri ſumus, fauorem tuum nobis exhibeas. Eſt deinde oblatio, quâ nos

Prima vtilitas ſigni S. Crucis.

noſtraq;

nostraq; omnia hoc signo crucis Deo offerimus, iuxta illud S. Pauli 1. ad Corinth. 10, *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Vnde dum formamus signum Crucis, & dicimus, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, idem valet, ac si diceremus. Hæc omnia quæ modo facturi sumus, cedant ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, & in gratiarum actionem pro Christi Domini incarnatione, Passione, morte, & omnibus beneficijs collatis, iuxta illud Apostoli ad Colos. 3. *Gratias agentes Deo per ipsum.* Hinc est quòd Christiani ciuitates suas, publicas vias, & terminos hoc signo, crucis munire consueuerint, ad declarandum & profitendum in his locis, quæcunq; agantur, nonnisi ad Dei Domini nostri honorem agi debere, quod prædixit aperte Isaias cap. 11. *In die illa erit titulus Domini, iuxta terminum eius, &c.* Tertio hoc signum crucis, est coniuratio quædam dæmonis ad eum depellendum, eiusq; vires frangendas, quasi dicatur. Per virtutem Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, Passionis, mortis &c. adiuro te Sathan, ne mihi in vllo noceas: ita docet S. Chrysostom. *Homil*: 88. *in Matth. Signum crucis imprimendum pectori, ad cohibendos prauos in corde motus*: Et hoc modo SS. Antonius, Hilarion, Iosaphat, Dæmones superârunt, vt ex historijs ipsorum constat. S. Augustin. *lib.* 22. *de Ciuit: Dei cap.* 8. testatur sæpè morbos esse depulsos, virtute signi Sanctæ crucis. Refert Zonaras *lib.* 3. *annal: anno* 590. Turcas cùm graui fame premerentur, à quodam Christiano edoctos sibi crucis signum impressisse, eo iumq; neminem famè periisse. Eusebius *lib.* 1. *de vita Constantini c.* 22. refert Constantinũ hoc signo Crucis, quod ei in àere apparuit, cum hac inscriptione, IN HOC SIGNO VINCES, hostes omnes profligâsse. Iulianus Apostata horrore perculsus dæmonum, pro Christiana consuetudine, quam in Ecclesia Catholica didicerat, signo crucis se muniens, dæmones omnes fugauit, teste S. Gregor. Nazianz. *Oratione in Iulianum.*

2. vtilitas S. Crucis

3. vtilitas S. Crucis

Quarto Hoc signo crucis excitatur spes nostra, & fiducia, remissionis peccatorum assequendæ. Hinc in templis cruces eriguntur, vt sciamus per crucifixum omnia petenda, & impetranda. Hinc in Sacramentis omnibus Cruces adhibentur, nec sine cruce, vt ait S

4. vtilitas

Augusti.

Aug. *Serm.* 19. *de Sanctis*, quidquam sanctificatur, vt intelligamus, omnia virtute crucifixi nobis donata, & impetrata, quæcunq petuntur. Denique morituris exhibetur Crux Domini, vt de suis meritis diffisi, eo potissimùm tempore, quò grauiùs à dæmone tentantur, spem suam omnem in crucifixo ponant, cuius meritis, & passione petant iuuari.

5. vtilitas. Quinto signo crucis excitatur in nòbis charitas, per hoc enim signum renouatur memoria passionis Dominicæ, quod est immensum beneficium: quod per passionem Christi Domini in Cruce est nobis exhibitum.

6. vtilitas. Sexto. Hoc signo crucis excitamur, ad imitationem Crucifixi, juxta illud Apostoli ad Hebr. 12. *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem.* Idcirco in receptione Baptismi, sæpiùs imprimitur signum crucis, vt intelligant Christiani, suum esse sequi Christum, & crucem ferre. Præterea in processionibus, & in multis actionibus præferri consueuit signum crucis, vt Christiani fateantur, sub Christi vexillo militare, vitamque & mores Christi profiteri.

Crucem imprimendam docent SS. literæ. Dico itaque Etsi sacræ literæ, expresse non iubeant signum Crucis imprimi, non obscurè tamen indicant. Patet. quia quòd in Ægypto in superliminaribus domus, sanguis fundebatur, quó viso percussor primogenitorum parcebat familiæ. *Exodi.* 12. Sanctus Cyprianus *lib.* 2. *ad Quirinum cap.* 22. figuram Crucis esse dicit in frontibus Christianorum imprimendam, quâ visâ dæmones, nihil eis nocere possunt. Apud Ezechielem litera Tau, quæ quondam, teste B. Hieronymo, figuram Crucis præ se ferebat, in frontibus dolentium, atque gementium, signari iubebatur, vt seruandi, ab interficiendis dignoscerentur. Quare iuxta vetustissimam Christianorum consuetudinem, semper ore, & signo teneamus crucem, iuxta S. Hieron: ad Eustochium. *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem.* vel vt Tertulianus inquit. *Ad omnem progressum atque motum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, ad mensas, ad cubilia, ad sedilia, frontem signaculo crucis teramus.* Præterea formatio Sanctæ Crucis præsignificata, & figurata est, *Exod.* 17. eleuatione manuum Moysis contra

Amalec: & in Serpente æneo *Num.* 21. vt testatur ipsemet Christus Dominus *Ioan.* 3. propterea indignè plerique Christiani faciunt, qui erubescunt facere signum Sanctæ Crucis, cùm in nulla alia re gloriari oporteat Christianos, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi, iuxta Apostolum *ad Galat.* 6.

QVÆSTIO III.

De Oratione, & Horis Canonicis.

Præsens Quæstio diuiditur in Octo Articulos.

In
1. Quæritur. Quid sit & quotuplex oratio.
2. Quæ nam à Deo petenda sint:
3. Quæ conditiones requiruntur ad orationem, vt sit efficax.
4. Quæ sint, & quot Horæ Canonicæ? seu Diuinum officium.
5. Quæ personæ Ecclesiasticæ ad Diuinum officium obligatæ sunt.
6. Quæ, quomodo, quo tempore, quo ordine, quo in loco, & quâ corporis habitudine recitandæ sint Horæ Canonicæ.
7. Vtrum prætermittens Horas Canonicas mortaliter peccet?
8. Quænam sint Causæ excusantes, à recitatione Horarum Canonicarum.

ARTICVLVS I.

Quid sit, & quotuplex Oratio.

Dico 1. Orationem variè describunt SS. PP: Gregor. Nyssen. Orat. 1. Sic. *Est conuersatio sermocinatioque cum Deo*, Damasc. *lib.* 3. orth. fidei, *Est* inquit, *Ascensio mentis in Deum.* Optimè definitur, esse colloquium cum Deo, quó petimus nobis, aut alijs salutaria. Siue Esse desiderij, coram Deo explicationem, vt aliquid ab ipso impetremus. Porrò oratio est actus rationis immediatè practicæ, & Religionis, per quam Deum permouere conamur, vt desiderata concedat, ipsumque bonorum nostrorum auctorem, nosque illius inferiores, testamur: hæc enim oratio includit. Orationis definitio. Oratio actus rationis.

Dico 2. Oratio est duplex vocalis, & mentalis simul, & mentalis sola: illa enim oratio, quæ solo motu labiorum, citra mentis Oratio duplex.

 in Deum

in Deum eleuationem fit, non oratio, sed potiùs est Dei irrisio: proprium enim orationis est, mentem humanam in Deum eleuare, illiq; coniungere. Deus enim cum Spiritus sit, qui eum adorant, & cum eo agunt, mente & Spiritu, non voce tantùm, & labiorum motu id agere debent. Triplex autem genus est orationis vocalis. Primum est, quando fit à rudibus, & ignaris earum, quæ voce dicunt, vt si latinam linguam nescientes, recitent Psalmos Latinè, tales Deum orant, grataq; est illi eorum oratio, quia vt suppono mentem habent eleuatam, & coniunctam cum Deo, dummodo illa, quæ recitant bona sint, & sana. Secundum genus est quando, & verba intelliguntur, & ipse eorum sensus, sed cursim fit oratio, nusquam mente inhærente, vt consolatione pascatur, & si quæ consolatio ex vna sententia percipitur, in progressu statim extinguitur: talis oratio est melior præcedente. Tertium genus orationis est, quando inter orandum, non modo verba, & sensus ipse cursim percipitur, sed in singulis verbis, & sententijs, quæ spiritualem aliquam considerationem continent, mens inhæret, eas expendit, & quasi gustat, & regustat, non sollicita vlteriùs progredi sed libenter cupiens ibi consistere, vbi accommodatum sibi pabulum inuenit.

Oratio vocalis triplex.

Dico 3. Oratio mentalis, est pia, & affectuosa rerum Diuinarum consideratio. Seu oratio mentalis est, quæ solâ mente fit, absq; exteriori vocis sono, quando nimirum mens, sine externa voce, cum Deo agit, & quasi familiariter sermocinatur, illiq; coniungitur. Dixi (pia, & affectuosa rerum Diuinarum consideratio) quia meditatio duabus alis nititur, intellectus, & voluntatis, operatione: Intellectus enim res quæ sumuntur meditandæ expendit, obseruat; cognoscit, inter se confert, deinde voluntati proponit, vt eas optet, & amet, earumq; visione excitetur, ac inflammetur in Deum. Quare orationis mentalis finis, non est mente discurrere, conceptus formare, res bene capere, & cognoscere, sed affici ijs cognitis; eas amare, velle, desiderare, quæ voluntatis operationes sunt, iuxta illud Psalmistæ, Psalmo 38. *Et in meditatione mea exardescet ignis.* hoc est feruor quidam, & animi promptitudo, ac celeritas exsuscitabitur. Hinc Collige Genus hoc orationis, Deo esse gratissimum ad im-

Oratio mentalis quid

ad impetrandum efficacissimum, Sanctis Patribus vsitatissimum, Sic Isaac Patriarcha egrediebatur foras ad meditationem, inclinata iam die, Gen. *cap.* 24. Sic Moyses 40. dies, & noctes in monte fuit cum Deo, *Exod.* 20. Sic Anna mater Samuelis, loquebatur in corde suo, cum Deo, filium impetrare volens, tantumq; labia mouebantur, & vox penitùs non audiebatur. 1. *Regum. cap.* 1. Sic omnes Prophetæ, Sic S. Ioannes in eremo, Sic Christus Dominus in deserto, & in montibus: *Et erat pernoctans in oratione Dei, Luc.* 6. Sic Apostoli; sic veteres illi anachoretæ, Monachi, Eremitæ. Ita S. Franciscus Patriarcha noster, qui solitaria loca quærebat, & noctes diesq; coniungebat, de cælestibus rebus meditando; sic omnes Sancti quicunq; Sanctitate floruerunt, in hoc genere orationis excelluerunt.

PETES *Quæ sint partes orationis mentalis?*

Nota Inter alios viros spirituales, qui de oratione scripserunt pulcherrimè scripsit Beatus Petrus Alcantara, Ordinis nostri, Vir illuminatissimus, qui in suo Aureo libello de Meditatione & oratione cap. 6. ad meditationem sex esse necessaria affirmat. Partes orationis mentalis.

Primò Præparationem, per quam sicut chordæ in cythara ad suauem melodiam efficiendam coaptantur, ita ad orationem mentalem animus, & mens humana præparatur. Præparatio.

2. Lectionem, necesse enim est, vt ea quæ sunt meditanda, priùs prælegantur, maturè, diligenter, & quietè. Lectio.

3. Meditationem, in qua ea omnia repræsentanda, quæ sunt meditanda, maximè circumstantiæ Quis, quid, vbi, &c. Meditatio

4. Gratiarum actionem, quæ de sumenda erit ex rebus meditatis. V. G. si fuerit meditatio de passione Domini, gratiæ illi referendæ pro tantis tormentis, &c. Gratiarum actio.

5. Oblationem, per quam homo debet offerre Deo seipsum, animam, cor, intellectum, & voluntatem, &c. Oblatio

6. Petitionem, quæ debet esse pro se, & tota Ecclesia. Addunt aliqui Confusionem suipsius, quod tantorum beneficiorum ingratus fuerit. Petitio Confusio.

ARTICVLVS II.

Quænam à Deo petenda sint?

Bene hominis triplicia.

Nota Bona hominis, alia sunt, quibus per se nemo malè vti potest, vt est gratia,& dona Dei,& virtutes infusæ, ac acquisitæ: alia bona hominis absolutè, quibus tamen malè vti potest, vt scientiæ, & artes; item corporis, vita, sanitas, membrorum integritas: Alia verò sunt indifferentia, quia per se non habent rationem appetibilis secundùm honestatē, sed solùm sunt instrumēta, ad aliud hominis bonum comparandum, talia sunt diuitiæ, honor, gloria, potestas inter homines. Quare notanda est Regula, S. August. Epist: 162. ad Probam. *Quidquid licitum est desiderare, id licitum est orare, quod autem licitum non est desiderare, id neq; à Deo petere honestum est.*

Bona spiritualia à Deo petenda absolutè

Dico 1. Bona illa spiritualia quibus per se homo malè vti non potest, absolutè à Deo petenda sunt, ita vt eis opposita petere nefas sit. Patet quia homo viator, quàm maximè desiderare, ac petere debet finem vitæ æternæ,& media,eô per se conducentia,quæ autem ipsis opposita sunt, detestari, ac refugere. Confirmatur ex oratione dominica, in qua constituto fine, quem imprimis desiderare ac petere debemus, videlicet, Dei gloria, & nostra beatitudo, deinceps oramus, quæ tanquam media ad hunc finem conducere possunt, nobis concedi, mala autem impedientia auerti, vt colligitur ex S. August. *Epistola citata.* Oratio autem Dominica, omnium aliarum Sanctarum orationum, veluti exemplar, aut compendium quoddam. Ergo.

Bona animi, & corporis petenda.

Dico 2. Bona animi, & corporis, vt scientia, sanitas, rectè à nobis peti possunt. Est communis. Probatur quia talia bona sunt naturales perfectiones hominis. Ergo per se sunt appetibilia, & absolutè secundùm rectam rationem, consequenter à Deo tanquam auctore, rectè & congruenter petuntur.

Quando licet bona temporalia malaq; petere.

Dico 3. Licitum est interdum, ob bonum finem, petere temporalia mala, & incommoda V. G. infirmitatem, mortem, dolorem. Probatur Quia licet hæc mala sint hominis secundùm naturam, ideòq; ea ratione non appetibilia, tamen in ordine ad finem

altiorem

altiorem virtutis, ac beatitudinis consequendæ, sunt indifferentia, ideóq; aliquibus pro ipsorum constitutione, vtiliora ad animi perfectionem consequendam instrumenta, consequenter á Deo interdum peti possunt saltem sub conditione expressa, vel implicita, si ita expedire iudicet. Aduertendum tamen est, malum corporalis afflictionis, vel tentationis, seu potiùs probationis ad Spiritus profectum, faciliùs homo sibi petere potest, quàm alteri: tum quia in seipsum maiorem potestatem, libertatemq; habet, vt propriis commodis renuntiare possit: tum quia suam quisq; propensionem, constitutionemq; magis cognitam habet, vt sciat, quid sibi vtilius sit, V, G, quando experientia didicit, magis se erga res Diuinas affectum, & à peccatis immunem esse, si corpore æger sit, quàm si sanus.

Dico 4. Bona indifferentia, vt diuitias, honores, ac dignitates, ob bonum finem desiderare, ac petere licet; quamuis ob periculum abutendi eiusmodi rebus, non debent peti, sine adiuncta conditione, si petenti expediat. Ita S.Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 5. Prima pars patet, quia hoc ipso quòd diuitiarum abundantia, honores, ac dignitates, secundùm se indifferentia sunt per intentionem finis boni, seu rectè ijs vtendi ad finem, cohonestantur, bona & desiderabilia redduntur, ideóq; rectæ orationis sunt materia. Secunda pars probatur, quia talia supposita hominis imbecillitate, ita comparata sunt, vt sæpiùs ad spiritualem perniciem, quàm salutem eius inseruiant. Quare Christus Dominus ob maiorem vitæ spiritualis perfectionem, illa contemnere, & abijcere nos docuit potiùs, quàm appetere, & quærere. Quare talia bona, potiùs sub conditione sunt expetenda. Vnde Christus Dominus cognatis geminis, ambientibus sedes collaterales in regno eius, interuentu matris, respondit. *Nescitis quid petatis Matth.* 20. Nota verbum *Nescitis*, fit eni m plerumq; vt nesciamus quid petamus, nam crebrò arbitrati nos petere precationibus nostris bona, cupimus perniciosissima. Celebratur dictum Socratis Philosophi. *A dijs immortalibus nihil petendum vltra, quàm vt bona tribuerent, quia ij demùm scirent, quid vnicuiq; bonum esset.* indifferentia an petenda.

esset. Memorabile etiam dictum est Menedemi Philosophi, dicentis. *Laudabilius est optare quod deceat, quam assequi, quod optes.*

Dices Christus Dominus dixit discipulis, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ergo omnia à Deo impetrari poterunt.

Respondet S. Aug. Tract. 73. in Ioann: *Quidquid petimus aduersus vtilitatem salutis, non petimus in nomine Saluatoris.* Rursus. *Non petimus in nomine Magistri, quidquid petimus præter Regulam ipsius Magisterij, id est, præter formam, quâ nos docuit orare.* Igitur petenda quæ bona sunt, & ad Dei gloriam, nostramq; salutem conducibilia. Inde

Collige 1. Si quis petat à Deo rem malam, non solùm non exercet actum Religionis, & propriè dictæ orationis, quæ est decentium à Deo petitio, sed etiam peccat mortaliter.

Collige 2. Si quis rem indifferentem; V. G. lucrum ex ludo ad vlteriorem honestum finem non referendo, à Deo petat, non exercet actum Religionis, sed peccat quamuis non semper mortaliter. cùm enim lucrum ex ludo secundùm se, illicitum non sit, sed res indifferens, ideò cùm auxilium Dei ad lucrandum petitur, non petitur à Deo concursus ad peccatum, sed petitur auxilium Dei, ad rem indifferentem, seu vt Deus expleat desiderium rei indifferentis, cuiusmodi oratio bona, atq; decens non est, non tamen ita indecens, vt semper sit peccatum mortale.

PETES *An peccatores orare possint, & exaudiri?*

Respondet S. August. Tract. 44. in Ioan: *Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret. Deus propitius esto mihi peccatori.* Neq; obstat illud Ioan. 9. *Scimus quia peccatores Deus non audit.* quod verum est de formalibus, & actualibus peccatoribus, non autem de illis, qui fuerunt peccatores, & resipuerunt, maximè quoad acceptionem, & meritum.

ARTICVLVS III.

Quæ conditiones requiruntur ad orationem, vt sit efficax?

Respon-

Respondeo Requiritur 1. in orante fides: Marci, 11. *Quæcunq; orantes petitis, credite, quia accipietis & fiet vobis*: debet autem esse fides in Christum, quia vt ait S. August. in Psal 108. *Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.* Iacobi cap. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* 2. Requiritur spes. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Et in Psal. 90. *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum.* 3. requiritur, vt orans sit Deo gratus per charitatem, & gratiam. Vnde S. Ioan: Epist. 1. cap. 3. inquit. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Et in Psal. 33. dicitur. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* 4. requiritur humilitas, tam externa, tam interna spiritus. 3. Reg. 3. Salomon legitur fixis in terra genibus, extensisq; ad cælum manibus orasse. Propheta Daniel c. 9. inquit. *Posui faciem ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiunio, sacco, & cinere.* Vnde Abraham Deum deprecaturus. *Gen.* 18. ait. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.* Et per *Isaiam c.* 66. promisit Deus se aspecturum ad pauperculum, & contritum corde. Et Christus Dominus huius conditionis necessitatem docet, in publicano humiliter orante, & Pharisæo ob orandi superbiam repulsam passo. *Luc.* 18. Et Eccl. 35. dicitur. *Oratio humiliantis se nubes penetrat.* in Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* 5, requiritur feruor Spiritus, non enim Deus exaudit preces frigidas, segnes, & oscitantes, sed vt ex intimo corde procedant: Quomodo Dauid orat. *Psalm.* 129. *Deprofundis clamaui.* S. Chrysostomus in hunc locum ait. Deprofundis non tam oris, quam cordis. 6. Requiritur perseuerantia, *vult enim Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.* inquit S. Gregorius in Psalm. 6. Pænitent. Vnde Saluator noster. *Luc.* 18. vt ad hanc perseuerantiam nos prouocaret, iubet nos semper orare, & non deficere, Et S. Paul. 1. Thesal. 5. ait. *sine intermissione orate.* Et ad Colos. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione.* . Quare B. Ægidius socius S. Francisci interrogatus, cui similem existimaret eum, qui ab orando desistit, ingruentibus distractionibus mentis. Respondit *Fugienti è prælio.* Sanctus Ludouicus Episcopus Tolosanus, Ordinis itid-

Conditiones orationis.

Fides.

Spes.

Charitas.

Humilitas

Feruor.

Perseuerantia.

itidem Minorum dicebat. *Omne tempus me perdidisse existimo, quod sine oratione, & Diuinis contemplationibus consumpsi.* 7. Requiritur attentio in oratione, ne mens, huc illuc vagetur. Est autem attentio triplex. Prima ad verba, vt ea rectè efferantur: Secunda ad significationem, vt homo intelligat ea, quæ profert. 3. ad Deum, qui oratur, & rem ipsam quæ postulatur: Atq; hæc postrema, est præstantissima, quæ doctis simul & indoctis conuenit, Deoq; est acceptior, vt potè cum quo cor hominis coniungitur, talis enim attentio haberi potest ab illiteratis, dum latinè orant, etiamsi nullum verbum orationis intelligant, quia sufficit vt Deus intelligat, qui oratur vtq; ad eum mens, & desideria ferantur.

Attentio.

ARTICVLVS IV.

Quæ sint, & quot horæ Canonicæ, seu Diuinum officium.

Nota 1. Diuinum officium materialiter sumptum, seu Horæ Canonicæ per se sumptæ, nihil aliud sunt, quam quædam laudes, & preces ab Ecclesia institutæ ad orandum, & ore laudandum Deum, singulis diebus, certis ac definitis horis. Patet ex se.

Diuinum officium quid.

Explicatur iste terminus (Horæ Canonicæ) quia per sacros Canones præscriptæ sunt. Dicuntur (Diuinum officium,) quia ad Deum laudandum diriguntur: tum quia multa in eo extant, quæ ex Diuinis literis desumpta sunt. Dicitur officium, quia Clerici in hoc præcipuè munere officij recitandi exerceri, & detineri debent: consuetudo enim hæc Ecclesiæ conueniendi, ac noctu diuq; psallendi est antiquissima, ab Apostolis ad hæc vsq; tempora ad nos deriuata, vt videre est apud S, Cyprianum. *Serm. de Orat. Domini cap. 6.* S. August. *Epistola 119. cap. 18.* S. Ambr. *in Psal. 118. Serm. 8.* S. Benedictum. *in Regula cap. 6.* S. Franciscum Patriarcham nostrum *in Regula cap. 3.* vbi dicit. *Clerici faciant Diuinum officium secundùm Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ.* Vbi Seraphicus Pater ad instar strenui Ducis *Iosuæ cap. 6.* instructos esse volens filios suos ad dimicandum contra Dæmones, & reliquos salutis hostes, vult vt in læua habeant lagenam testeam, carnem scilicet propriam, ex terra forma-

Cur officium dicitur.

formatam, sub potestate retinendo: vult in hac lagena lampadē accensam concludi, animam scilicet fide, spe, & charitate fulgentem, cuius fulgor in oculis omnium compareat, confractâ, per mortificationem carnis, lagenâ, quam confractionē lagenæ huius innuit faciendam, dum in hoc capite præcipit fratribus ieiunium. Iubet insuper dextrâ tenere tubas quibus laudes Deo concinant; quarum clangore simul cum lucernarum splendore hostes terreantur, & fugentur. Vt verò ordinatiùs hæ laudes Deo soluantur, addidit *Secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*: ex quâ omnis ordo, & norma recti, Spiritu Dei afflante procedit.

Dico 1. Horæ Canonicæ, formaliter consideratæ, vt sunt actus orationis, nihil aliud esse videntur, quàm actus quidā Religionis, vel obedientiæ, aut etiam iustitiæ, quo non solùm Deus laudatur, verū etiam explicatur desiderium Ecclesiæ, & à Deo, vel à Sanctis petūtur res decentes, iuxta eiusdem Ecclesiæ præscriptū. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 1. Caiet. *ibid. art.* 4. Nauar. de orat. *c.* 4. Less. *lib.* 2. *c.* 37. *d.* 2. Patet ex se hæc definitio. Explicatur hæc particula (Desiderium Ecclesiæ,) vt cognoscamus, quòd à Deo id obtinetur, quod desideratur, quamuis petatur verbis aliud significantibus. Dicitur (à Deo, & Sanctis,) vt significetur, orationem non solùm Deo, sed etiā Sanctis fieri posse: & quòd Deus orandus sit, non solùm in virtute meritorum Christi Domini, verum etiam Sanctorum. Psal. 131. *Memento Domine Dauid &c.* & Daniel 30. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham seruum tuum.* Horæ Canonicæ sunt actus Religionis.

Dico. 2. Horæ Canonicæ sunt septem. nimirum Matutinum, & Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completoriū. Hæc est communior opinio Doctorum. Tum quia Ecclesia tantū instituit septem horas, vt constat *ex c.* 1. *de Celebrat: Missarum.* Tum quia Horæ Canonicæ præscriptæ sunt ad significandum mūdi creationē: sicut ergo septem diebus completa fuit mundi creatio, ita etiam septem Horis Canonicis, Diuinū officium compleri dicendum est. Tū quia Horæ Canonicæ institutæ sunt exemplo Dauidis. Sed Dauid fatetur se solùm septies in die laudâsse Deum. Tum quia Horæ Canonicæ institutæ sunt, ad reuocandum in memoriam passionis Chri- Horæ Canonicæ septem.

Christi Domini. Sed hæc septem præcipuis mysterijs continentur, vt patet ex his quinq; versiculis.

Hæc sunt septennis, propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis.
Sexta cruci nectit, latus eius Nona bipertit.
Vespera deponit, tumulo completa reponit.

PETES 1. *Quo iure præscriptæ sunt Horæ Canonicæ?*

Horæ Canonicæ iure Ecclesiastico præscriptæ.

Respondeo Horæ Canonicæ non sunt de iure Diuino, sed Ecclesiastico, Ita Bellarm. *lib. 1. de bon. oper. c. 19.* Syluest. *Verbo Hora quæsito 8. n. 9.* Probat: Tùm quia neq; ex scriptura, neq; ex Ecclesiæ traditione, neq; ex Sanctorum Patrum testimonio colligitur, Canonicas preces iure Diuino institutas esse. Tũ quia cõmuniter appellantur Horæ Canonicæ, quia per Sacros Canones præscriptæ sunt, & à temporibus Apostolorũ originem trahunt. Actorum 3. *Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam Hinc.*

Collige 1. In Sacris literis non extare præceptum istarum precum, sed exemplum, & factum Dauidis, qui septies in die, Deum optimum laudabat.

Quis potest dispẽsare circa Diuinum officium.

Collige 2. Papa potest cum beneficiario, vel clerico Sacris initiato, dispensare, circa obligationem Diuini officij recitandi, etiamsi aliud onus non iniungat, Episcopus verò non potest, quia recitatio Diuini officij, est de iure cõmuni Ecclesiastico. Episcopus autem regulariter loquendo, potestatem non habet circa ius commune. Ita Nauar. *c. 11. n. 31.* Syluest. *verbo Hora. q. 8.* Suarez. *tom. 2. de Religione. c. 23.* Bonacina *p. 3. n. 1. & 2.*

Collige 3. Superior dispensare cum Religiosis, circa obligationẽ recitandi Diuini officii, iusta de causa potest. Ita Less. *lib. 2. c. 37. dub. 3.* Ratio est, quia obligatio recitandi Diuinum officium in Religiosis, pendet ex cõsuetudine, quæ vim legis habet in Religione.

ARTICVLVS V.

Quæ Personæ ad officium Ecclesiasticum obligatæ sunt?

Nota Obligatio orandi horas Canonicas, ex triplici capite oritur. Primò ex professione Religionis. 2. Ex susceptione Sacri ordinis

dinis. 3. ex beneficio Ecclesiastico. Dico 1. Omnes Religiosi clerici, seu choro deputati, ex consuetudine, vel ex peculiaribus decretis tenẽtur post professionem ad persoluendum Diuinum officiũ etiãsi non sint sacris initiati. Ita Palud. *in 4. dist. 15. q. 5. art. 1* Gabriel *ibid. q. 8. art. 2.* Nauar, *c. 25. n. 97.* Roder. *tom. 2. q. 100. art. 8*, quæ obligatio est sub peccato mortali. Ratio desumitur. Tum ex decretis particularibus Religionũ, quæ consulenda sunt ab vno quoq; Religioso; Tùm ex consuetudine, quæ obligat sub mortali si vim legis obtineat per 40. annos. Dixi (choro deputati post professionẽ.) quia Nouitij per se loquendo, ad onera Religionis, non obligantur ante professionẽ. Ita Roder: *Tom. 1. c. 141. n. 10.* Vasquez *de beneficijs c. 4. §. 1. art. 2.* Dixi (per se loquendo) quia ratione Eleemosynæ, quâ vtuntur, debent. Hinc. Collige 1. Ad singulos Religiosos, hæc obligatio, non ita descendit, quare mortalis peccati damnari aliquis non debet, si alijs in choro ritè canentibus, ipse ob pigritiam sileat, vel omninò absit, dumodò per se priuatim Diuinum officium absoluat. Ratio est, quia religiosi regulariter loquendo, tenẽtur ad chorum ex vi regulæ, quæ obligare non consueuit sub culpa saltem graui, sed potiùs sub pœna, secundùm ordinis vel monanasterij consuetudinem infligenda, obligare solet. Ita Caiet. *Verbo Horæ Canonicæ.* Armilla *eodem verbo* Layman. *lib. 5. tract. 1. cap. 3.*

Religiosi obligantur ad horas Canonicas.

Collige 2. Religiosus qui compellitur ad triremes, vel per sententiam eiicitur à monasterio, non tenetur ad Horas Canonicas recitandas, modò Religiosus nondum promotus fuerit ad sacros ordines, quia tũc tenebitur titulo Sacri ordinis. Ita Sotus *lib. 10. de iustitia. q. 5. a. 3.* Bonac. *tract. de Horis Canonicis disp. 1. q. 2. punct. 2. n. 3.* Rationem assignat, quia Religiosus transfertur ad statum, in quo nõ est consuetudo recitandi Diuinum officium.

Ad triremes Sacerdotes relegati non obligantur.

PETES *Vtrum Religiosi obligentur ad recitandum officium B. Virginis Mariæ, officium Defunctorum. Psalmos Pænitentiales, & Graduales.*

Officium B. Virginis, Defunctorũ an sit sub obligatione,

Respondet Hieronymus à Politio, & Cyprianus Crouserz super *caput. 3. Regulæ.* prædicti officia Fratribus Minoribus aliter obligatoria esse non posse, quàm eodem modò, qui exprimitur in Breuiario Romano, cui se conformare tenentur: in quo cùm non sit obliga-

tio sub peccato mortali ad prædicta recitanda, nec Fratribus Minoribus eo rigore imponi credendum est. Addit Barthol: Fumus: officium Defunctorum in Die Animarum, esse omnibus obligatoriũ, sicut & Diuinum officium, quæ sententia non est improbabilis.

Clerici maioribus initiati obligantur.

Dico 2. Omnes Clerici, qui in sacris constituti sunt, licet nullũ beneficium obtineãt ad horas Canonicas priuatim recitandas, sub culpa lethali sunt obligati. Sumitur *ex c. Dolentes de celebratione Missarum.* & *ex capite Presbyter distinct.* 19, Confirmatur ex antiqua, & generali consuetudine: cùm enĩ singulare munus sit ministerij spiritualis, orare pro populo, iure optimo sancitum est, vel saltẽ consuetudine inductum, & receptum, vt clerici Maioribus initiati, preces, & Horas Canonicas persoluant. Ita Syluest. Angelus *Verbo Hora.*

Dixi (Clerici Maioribus initiati) quia Clerici initiati Minoribus, nullo iure, vel consuetudine vniversali obligantur ad officium Diuinum, vel ad Psalmos aliasúe certas preces recitandas: nisi fortè in aliqua diœcesi cõsuetudo vigeat, tanquã sub peccato obligãs clericos in Minoribus, ad recitandũ quotidie Psalmum Miserere, vel aliquid simile, ea vtiq; obseruanda erit. Et licet nullum extet hac de re præceptum, neq; consuetudo, ex decentia tamen, & honestate, clerici in Minorib. cõstituti, debent magis esse orationi dediti, quã laici. Hinc Collige 1. Clericos teneri Psalmos, quos Episcopus in ordinatione iniungit recitare, quia hoc præceptum est conforme statui clericali, nec excedit potestatem Episcopi. Ita Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 5 Nauar. *de Hor. Can. c.* 7. *n.* 12. Collige 2. Clericum non liberari ab hac obligatione, etiamsi sit suspensus, excomunicatus, depositus &c. Ita Nauar. *loco citato.* Angelus *Verbo Hora* §. Si. Syluest, *ibid. q.* 3. Roder. *tom.* 1. *c.* 141. *concl.* 14. Excommunicatus Clericus, non potest cũ alijs officium recitare, quia per excomunicationẽ arcetur à participatione cum alijs: suspensus verò etiam ab officio, potest cum aliis, etiam in choro recitare, modo nihil faciat pertinens ad officiũ à quo suspensus est; non potest tamen in choro munus hebdomadarij obire, aut dicere *Dominus vobiscum.* quia hæc ad officium pertinere videntur. Ita Bonac. *loco citato. q.* 2. *puncto.* 3. *num.* 4.

Excommunicati, suspensi obligãtur.

Dico 3. Habentes Beneficium Ecclesiasticum, etiamsi non sint

sacris

ſacris initiati, obligantur ad recitandas Horas Canonicas, ſiue beneficium ſit ſimplex, ſiue curatum, ſiue alia præbenda tituli clericalis. Ita definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *Seſſ.* 9. Ratio eſt, quia beneficium datur propter officium: officium autem cõplectitur Horas Canonicas. Aduerte tamen hîc, ſi beneficium ex ſuâ inſtitutione obliget ad recitandas Horas. nam ſi non obligat, vt V. G. beneficium ad pulſanda organa, ad docendum Theologiam, tales non tenentur ad recitandum. Habentes beneficia non initiati ſacris tenentur.

Collige 1. Habens beneficium integrè in commendã, quamuis non habeat titulũ beneficij, tenetur ad Diuinũ officiũ: Ita Graffius *lib.* 2. *c.* 50. *n.* 22. Azor. *lib.* 10. *c.* 3. *q.* 6. Nauar. *de or. c.* 20. *n.* 16.

Collige 2. Coadiutor beneficiarj, non tenetur per ſe loquendo, Diuinum officium perſoluere, ratione coadiutoriæ præciſè. Ita Bonacina *loco citato puncto* 4. Officium non debet mutari.

ARTICVLVS VI.

Quæ, quomodo, quo tempore, quâ ordine, quo in loco, & quâ corporis habitudine, recitandæ ſint horæ Canonicæ?

Quantùm *ad quas ſeu formam, ſub qua recitandæ ſunt Horæ Canonicæ?*

Dico 1. Officium tã publicè in choro, quàm priuatim extra chorum, dici debet iuxta ritum Breuiarij Romani reformati. Ratio eſt, quia lex, & conſtitutio Eccleſiaſtica obligat ſub mortali, in materia graui. Sed Eccleſia præcepit, & cõſtituit, officiũ recitari iuxta Breuiarium Romanum, imò irritat, & caſſat reliqua Breuiaria, vt patet ex Conſtitutione Pii V. & ex Bulla Clementis VIII. & ex Bulla Vrbani VIII. in qua tamẽ permiſſum eſt. Clericis, aut Perſonis Eccleſiaſticis Breuiaria editionis Pii V. & recognitionis Clemẽtis VIII. retinere, iisq; vti, fortaſsè donec abſumantur, excudere verò non licet ampliùs, niſi Vrbani VIII. Officium iuxta ritũ Breuiarij Romani recitandũ.

Dico 2. In quibus Eccleſiis, vel monaſteriis vſus Breuiarii proprii & antiqui, legitimè adhuc viget, retinendus eſt: Non deſunt tamen graues authores, vt Nauar. *lib.* 3. *Conſil.* 15. *de Celeb. Miſſar.* Rodericus *tom.* 1. *q.* 92. *art.* 13. Sa *Verbo Hora n.* 6. Leſs. *lib.* 2, *c.* 37. *dub.* 12. *n.* 74. qui probabiliter aiunt ſecluſo ſcandalo, cuiuis extra cho- Antiquũ & proprium Breuiarium qui tenere poſſunt.

rum, licitum esse posthabito suæ Ecclesiæ proprio, Romanum Breuiarium recitare. Quod maximè affirmari potest de Clericis & Monachis, qui in Academia aliqua versātur, in qua Romani Breuarij vsus est. Aduerte. in illis Ecclesiis, & monasteriis, quæ antiquū Breuiarii ritum retinent, obseruanda est etiam antiqua eorum consuetudo, certis diebus dicendi Psalmos Pœnitentiales, officium B. Virginis, officium Defunctorum &c. quæ etiam á singulis, qui choro non intersunt, priuatim recitanda erunt, si consuetudo; vel statutū exigat. Ita Sotus *lib.* 10. *q.* 5. *art.* 4. Syluest. *Verbo Hora q.* 5. *&* 6.

Officium non debet mutari.

Dico 3. Officiū dicere oportet, non quodlibet, sed sicuti in Romano, vel diœcesano directorio præscribitur. Est tamen communior DD. sententia peccatum tantùm veniale esse, officium sine necessaria causa mutare, V. G. dicere de Sancto, cùm dici debeat de feria. Ita Caiet. *Verbo Horæ c.* 2. Syluest. *q.* 12. Sa. *n.* 14. Est cōtra Angelum. *Verbo Horas* §. 14. Toletum *lib.* 2. *c.* 12. putantes esse mortale, quorum sententia vera esse potest, si officium in fraudem commutetur, V. G. Si dicatur de Sancto, cū de Dominica dici debeat, vt notat Suarez. *c.* 13. *n.* 14. Item si non semel atq; iterum commutatio fiat, sed frequēter, aut perpetuò mutetur. Quare Laymā *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 4. dicit. Si aliud officiū recitetur, propriè nō impleri præceptum, secundùm indiuiduam eius substantiam, quia Ecclesia non quodlibet, sed hoc officium præcepit, videlicet, vt hi Psalmi, hæ lectiones recitentur, quod maximè verum est, si non æquiualens recitetur, nam si quis recitauit de Sancto, cùm debuisset recitare de Dominica; ne peccet talis mortaliter, tenetur compensationem facere, dicendo V. G. nouem Psalmos primi nocturni, ne tanta subsit inæqualitas: Si verò aliquis æquiualens officiū, & non aduertenter dixit, existimandum non est, Ecclesiam talem obligare ad repetendum cum graui onere. ita *idem ibidem n.* 5. Quòd si subsit iusta causa mutandi officium, V. G. quia Lectiones ad manus non sunt, & ob instantes occupationes, debes te exoluere orationis penso, nulla tunc erit culpa officium commutare, V. G. dicere de feria.

Dico 4. Non licet quidquam addere Breuiario, tanquam partem Di

tem Diuini officii notabilem. Ratio est, quia Summus Pontifex, eodem pacto prohibet aliquid addi quo prohibet quidquam detrahi. Imò Suarez. *c.* 13. *n.* 15. & Bonacina *disp.* 1. *q.* 3. *puncto.* 1. *n.* 21. arbitrantur eum mortaliter peccare, qui aliquid addit, tanquam partē Diuini officij, quasi perpetuo ritu hoc statuendo : quia talis vsurpat sibi iurisdictionem magni momenti : Dixi (Notabilem) quia paruitas excusat. Dixi tanquā partem Diuini officij (quia si aliquid addatur, tanquam aliquid extrinsecum, seu concomitanter ad maiorem solemnitatem, non videtur illicitum, vt si inter vnū, & alterū Psalmum, aliquid canatur ad organum, vel musicum instrumentū, hoc enim nullo iure vetitum videtur, teste vniuersali praxi Hinc.

Addere non licet quidquā.

Collige 1. Dum recitatur officium de Sancto, de quo nulla mentio in Breuiario habetur, recitandū esse iuxta Rubricas Breuiarij Romani, ita vt in Ecclesia, cuius est Patronus, recitetur duplex cum octaua, vel sine octaua, de consensu tamen Episcopi : addi etiam possunt Lectiones propriæ sed nōnisi approbatæ á Sede Apostolica, iuxta Rubricas. Ita Bonac. *loco citato.* Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5.

Collige 2. Sacerdotes, & beneficiarii, qui tempore Litaniarum, & Rogationum, non intersunt processionibus, quæ publicè fiunt tenētur in priuato Litanias in Breuiario, vel Calendario descriptas & designatas, sub mortali recitare, alioquin tenētur ad restitutionem, pro rata Diuini officij. Ratio est. Tum quia hæc est pars Diuini officij eo die recitandi vt constat ex Rubricis. Tum quia de illis extat constitutio, *Capite Rogationes, de consecrat. dist.* 3.

Litaniæ recitandæ dum præscribuntur

Quantùm *ad modum.* Dico 1. Horæ Canonicæ, recitandæ sunt studiosè, id est, vt nihil omittatur, nec syllabæ abscindantur, sed recitentur sine Syncopa. Ratio est, quia deficiente hac conditione, Diuinum officium non dicitur studiosè, sed cum defectu, & negligentia. Atq; hinc sequitur quod si aliquis omittat in notabili quantitate, peccat mortaliter, quia violat præceptū in re graui. Similiter & illē qui cum socio ita festinanter recitat, vt nondum expletis versiculis à socio, versiculos sequentes recitare incipiat, obligationi non satisfacit. Hinc. Collige 1. Recitantem cum socio satisfacere obligationi officii recitandi. Ita habetur C. 1. *de celebrat. Missar*; modo quæ se-

Modus recitandi horas Canonicas.

cretò dicenda sunt à singulis integrè dicantur, vt Pater. Aue, Credo, Ita Sanchez in *Summa lib.* 4. *de voto*. Sa. *Verbo Hora n.* 12. qui mos alternatim canendi, originem à Beato Ignatio traxit, qui Angelos alternatim canentes audiuit, vt etiam dicitur Isaiæ 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum*. Et hoc valet, etiamsi is cum quo recitat, non teneatur officium recitare, aut si alius ille recitet, sine attentione interna. Ita Sa. *loco citato*. Less. *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 9. Collige 2. Satisfacit præcepto ille qui non recitat, sed attentè audit Lectiones. Responsoria, cū ab alio dicuntur. Ita Syluest. *Verbo Hora quæsito* 7. Suarez. *c.* 25. *n.* 5. Porrò an deferentes thus, libros transferentes, teneantur eam partem recitare, quæ tunc temporis à choro persoluitur. Affirm Sa. *Verbo Horæ n.* 8. Nauar. *c.* 11. *de orat. n.* 57. Negat Bonacina *disp.* 1. *q.* 3. *puncto* 2. §. 1. *n.* 13. Layman. *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Ratio est, quia non dicitur recitare Diuinum officium, qui verba Diuini officij non profert, vel ad illa non attendit. Ex quo sequitur, quòd dum chorus vnum versum canit alternatim, cum organo, aut alio musico instrumento, necesse est, vt ille versus qui per organum canitur, alta voce ab aliquo in choro proferatur, alioquin non integrè officium recitaretur, cum organum verba non proferat.

Sine interruptione recitandū.

Dico 2. Vt officium studiosè recitetur, opus est vt sine interruptione persoluatur, V. G. ne quis inchoato Matutino, vocetur ad aliqua negotia. Ita habetur. *c. Nullus de consecrat.* Ratio est, quia non decet inchoatam orationem cum Deo, sine causa intermittere, sicut dedecet, vt quis dum Regem alloqui incepit, ab incepto sermone desistat, & alio se conuertat. Cæterum si iusta causa, vel necessitas quæ differri non possit, interruptionem suadeat, omni culpa caret; quia leges Ecclesiæ ita interpretari conuenit; vt moralem facilitatē seruent. Ratio est, quia verum est dicere, hunc intra eundem diem, totum Diuinum officium recitâsse. Atq; hinc sequitur venialem culpam illum committere, qui Diuinum officium, sine causa, cum interruptione recitat. Inde Addunt Nauar. *c.* 16. *n.* 70 Layman *loco citato n.* 7. Si Clericus tardè ad chorum veniat, hora iam cæpta, posse cum aliis cantando pergere, & postea quæ omissa sunt supplere. Ita ex communi sententia docet Sa, *Verbo Horæ* 8.

Dico .3

Dico 3. Officium debet recitari deuotè, ad deuotionem autē requiritur intentio recitandi illud: Quia cùm recitatio Diuini officii, sit actus humanus, humano modo exerceri debet, non potest autē humano modo exerceri, sine intentione orandi. Dico 4. Ad officium debitè recitandum, requiritur attentio, siue illa sit ad verba, siue ad sensum verborum, siue ad Deum, vel ad Christi Domini passionem vel ad aliam rem quampiam cum intentione laudandi Deū, vel ad rem quam petimus. Ita Nauar. *c.* 25. *n.* 133. Less. *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 11. *n.* 64. Sa. *Verbo Horæ n.* 19. Laym. *loco citato. n.* 9. Bonac. *loco citato.* §. 2. *n.* 4. Ratio est, quia si oratio in aliquo casu sub obligationem cadat præcepti Diuini, tunc nullam attentionē, seu mentis eleuationem erga Deum adhibere, est peccatū mortale. Atq; hinc à fortiori sequitur, sine interna mentis attentione, nullam esse orationem. Ergo hoc ipso quod aliquis, sub mortali peccato ad orandū obligatur, attentionem aliquam, siue mentis in Deum eleuationem exercere debet. Hinc.

Deuotè recitandum.

Attentè.

Collige 1. Clericū præcepto Ecclesiæ nō satisfacere, ideòq; mortaliter peccare, si officiū Canonicum absq; vlla attentione interna recitet; atq; mens eius in alienis cogitationibus voluntariè occupetùr, tametsi ad verborum externā prolationē attendat. Ita S. Thō. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 2. Maior. *dist.* 12. *q.* 7. Nauar. *c.* 13. *n.* 19. Sa. *Verbo Horæ n.* 19. Bonac. *loco citato n.* 4. Layman. *l. cit. n.* 10. Est contra Durandum *in* 4. *dist.* 15. *q.* 12. Palud *q.* 5. *art.* 2. Angelum; Syluest. *Verbo Horæ.* Ratio est, quia Ecclesia cùm Clericis officium horarium præcipit, actum orationis præcipit, non est autem oratio, sed nuda, & inanis vociferatio, vbi non est vlla mentis attentio; siue in Deum eleuatio. Neq; valet instantia oppositæ sententiæ authorū, Ecclesia non potest præcipere internā attentionē cùm Ecclesia non habeat potestatem, supra actus internos. Non inquā valet, quia Ecclesia potest internum actum præcipere, quoties internus, est de substantia actus externi, vt in simili patet de præcepto confessionis, quæ internum doloris actum necessariò requirit. Collige 2. Qui voluntariè, & aduertenter, occupat se in aliquā re incompossibili, cum attentione internā, vt si inter recitandum scribat, legat &c. tunc e-

nim non satisfacit præcepto, sed iterum tenetur recitare sub mortali, vt præcepto satisfaciat, Ita Nauar. *c. de orat. n.* 47, Sotus 10. *de iustitia q.* 5. *art.* 5. Secus dicendum de actionibus; cum oratione cõpatibilibus, vt si dum recitet se vestiat, ambulet &c.

Attentio virtualis sufficit.

Dico 5. Ad recitandum horas, sufficit attentio virtualis. Est cõmunis D.D. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto Diuini officij, sufficit illa attentio, cum qua subsistit oratio, & actus humanus: Sed oratio subsistit cum attentione virtuali, Ergo: Minor patet, quia actualis non est omninò necessaria, & habitualis non sufficit. Nota Attentio actualis est illa, quâ quis actualiter attendit, ad sensũ verborum, vel ad mysteria. Attentio virtualis est illa, cum qua quis incipit orare, & virtute illius prosequitur orationem, quãuis inter orãdum inuoluntariè distrahatur. Habitualis attentio est illa, quando aliquis recitat aliquid ex habitu, & vsu, nihil aliud aduertens.

Attentio actualis quæ? virtualis.

Singulis diebus recitandum

Quantùm *ad tempus.* Dico 1. Diuinum officium, singulis diebus recitandũ est, iure Ecclesiastico. Patet *ex c. Dolentes de Celebrat. Missar.* & Bulla Pii V. Tũ ex cõmuni Sacerdotũ & Beneficiariorũ more.

Tempus recitandi Diuinum Officium.

Dico 2. Tempus recitandi Diuinum officiũ, incipit â media nocte antecedentis diei, & perseuerat ad mediã noctẽ, sequentis inclusiuè. Ratio est, quia Diuinum officium singulis diebus est recitandũ, vt constat *ex C. Dolentes de Celebrat. Mis.* dies autem iuxta cõmunẽ Ecclesiæ vsum, incipit à media nocte antecedentis diei, vsq; ad mediam subsequentis, excipitur tamen ab hac Regula Matutinũ, quod cum Laudibus recitari potest, ante mediam noctem, seu in vesperis præcedentis diei, præsertim si honesta, & iusta causa subsit: hoc enim permissum videtur ab Ecclesia, teste consuetudine, quæ sicut apta est ad legem inducendam, ita etiam ad abrogandam, & restringendam. Porrò Laudes possunt differri, vsq; in sequentem diem; quia antiquitus vsu receptum erat, vt propè auroram recitarentur, separatim à nocturnis. Ita Nauar. *de orat. c.* 3. *n.* 28. *&* 64. Bellarm. *lib. de bonis operib: c.* 11. Azor. 1. *p. lib.* 10. *c.* 8. *q.* 4. Hinc.

Collige 1. Volens Matutinum recitare in Vesperis præcedentis, diei; nõ tenetur Solis occasum expectare. Ita S. Thom. *quodlib.* 5. *art.* 20. Bellarm. *loco citato.* Sa. *Verbo Horæ.*

Collige

Collige 2. Non satisfacit præcepto, qui pridie recitat PrimāTer, tiam &c. pro sequenti die. Ita Nauar. *c.* 10. *de orat. n.* 52. Layman. *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 3. *n.* 9. Syluest. *Verbo Horæ q.* 9. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *puncto.* 3. *n.* 3. Ratio est, quia in tali casu, nō recitatur Diuinum officium, tempore ab Ecclesia præscripto. Collige 3. Qui intra huius temporis interuallum, priuatim recitat, non peccat mortaliter, quia adimplet præceptum quoad substantiā, licet non adimpleat, quoad horā à Sacris Canonibus præscriptā, peccat tamē venialiter, vnde S. Seuerinus Episcopus Coloniensis, ob horas non debito tempore persolutas, purgari visus est, teste P. Damiano. Et vni Eremitæ, qui suo tempore Diuinum officiū absoluebat, Angelus vuas maturas afferebat, quando vero anticipabat tempus debitū, crudas apponebat, quando deinde postponebat, putridas ei dabat: quærenti causamEremitâ: respondit Angelus, debito tempore absoluas Diuinum officiū, & sic semper maturas tibi afferam vuas, Collige 4. Recitantes officium in choro, extra horas præscriptas, peccant mortaliter, nec satisfaciunt obligationi. Ita Nauar. *c.* 3. *de orat. n.* 63. Syluest. *Verbo Horæ quæst.* 6. Less. *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 12. *n.* 37. Rationē assignat, quia tempus recitandi officium in choro, ab Ecclesia præscriptum est, vt populus officio assistere, & eo frui possit. Negat Bonac. *loco citato n.* 7, cum Caietano *Verbo Hora c.* 4. peccare mortaliter, præciso scandalo: quia inquiunt circumstantia temporis, non videtur per se loquēdo, materia grauis, cùm non cadat primariò in præceptū officij, sed secundariò. Addit Bonacina. Aliquando licere absq; vlla culpa officium in choro publicè canere, hora anticipatâ, aut postpositâ, propter processionem, vel concionem. Collige 5. Quando in Vesperis diei præcedentis, aliquando recitantur Vesperæ diei sequentis, illæ Vesperæ, nō sunt pars Diuini officij subsequentis diei, sed solùm in honorem illius diei, Ecclesia duas Vesperas instituit. Ita Francolinus. *c.* 17. *n.* 1. PETES *Quo tempore Horæ Canonicæ sunt recitandæ?* Pro intelligentia. Nota Diem aliū esse naturalem, āliū artificialem. Naturalis dies, in se etiam noctē cōprehendens. 24. horas toto anno æquales continet, quæ Romano more à noctis medio numerari incipiunt, vt obseruat Glossa. *in l. more Romano ff. de ferijs.* Nauar. *c.* 3. *de orat.*

In choro quando recitandum officium.

Dies alius naturalis, alius artificialis.

de orat. n. 34. Dies artificialis quatenùs à noctè distinguitur, 12. horas continet ab ortu solis, vsq; in occasum numeratas; quæ pro tépo-rum varietate variæ, & inæquales sunt, de qua die artificiali, intelligé-da sunt verba illa Ioan. *c.* 11: *Nonne duodecî sunt Horæ diei?* de die verò naturali, illa verba Psalmistæ, Ps. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*: quia in hac die naturali. includitur tempus nocturnũ, iuxta eundẽ ibid. *Media nocte surgebam ad confitendũ tibi.* Si igitur dies naturalis, in quatuor partes secetur, emergũt quatuor præcipua tẽpora ad laudãdũ Deũ; nimirũ Matutinum, Diurnũ, siue meridianum, Vespertinũ, & Nocturnum. Dico itaq; Matutinũ recitandũ est, post, vel circa mediã noctem, cũ Laudibus. Prima in ortu solis, circa æquinoctia, tertia hora canonica, hora tertia post ortũ. Sexta circa meridiẽ. Nona post meridiem. Vespertinæ preces; ante occasum in æquinoctio, & Cõpletorium in occasu; vel in illis horis, quæ correspõdent æquinoctio, dum recitãtur ante æquinoctiũ, vel post æquinoctiũ. Ita Hugo de S. Victore *lib.* 2. *de Eccl. officijs c.* 3. Laym. *lib.* 4. *tract.* 1. *c* 3. *n.* 3. *& c.* 6.

Ordo seruandus in recitandis horis.

Quantùm *ad ordinem.* Dico Horæ Canonicæ, recitandæ sunt, iuxta ordinẽ ab Ecclesia præscriptum, ideò priùs recitandũ est Matutinum & Laudes, postea prima; tertia, Sexta, & sic deinceps. *C. Presbyter* 91. *dist. & C.* 1. *de Celebrat. Mis.* Patet quia Ecclesiæ præceptum est, non solùm quòad substantiã, sed etiã quoad modũ. Sed ad modũ præcepti, pertinet ordo Horarũ Canonicarũ. Ergo. PETES *An qui ordinẽ nõ seruat, grauiter peccet, & an repetere teneatur?*

Rñdeo Qui V. G. recitat Primã, ante Matutinum, aut Vesperas ante alias horas, peccat quidem venialiter, dum hoc facit sine iusta causa, quia non obseruat modũ præcepti, & consuetudinẽ, non tamen peccat mortaliter, nec tenetur repetere, quia adimplet præceptum quoad substantiã. Ita Roder. *tom.* 1. *c.* 142 *n.* 4. Syluest. *Verbo Hora q.* 9. Armilla *n.* 25. estq; fere cõmunis, contra Vasquez. Atq; hinc sequitur, eum qui inter recitandum, aduertit se aliquid omisisse, posse prosequi vsq; ad finem, & postea omissum recitare.

Locus recitandi horas Canonicis.

Quantùm *ad locum.* Dico I. Omnes illi. qui choro deputati sunt, Diuinũ officiũ in Ecclesia persoluere tenentur, nisi aliud cogat necessitas, consuetudo, vel fundatoris institutio. Patet. Tum quia *Clement.* I.

ment. 1. *de Celebrat. Missar.* §. *ne igitur*, iniungitur onus canendi Horas Canonicas in Ecclesijs. *Et in c. vlt. 92. dist.* cauetur sub pœna depositionis; vt Choro deputati, ad Chorum accedant. Tũ quia sicut Clericus, qui ratione officij, vel beneficij, tenetur certo in loco Missas celebrare, nõ est tutus in cõsciẽtia, celebrãdo in alio loco, vt docet Nauar. *de orat. tract.* 5. *n.* 3. ita Canonicus, aliusuè ad officium in Choro persoluendũ deputatus, non est tutus in conscientia, dũ officiũ in Choro, iuxta institutionẽ & obligationẽ officij sine iusta causa, non psallit in loco præscripto, & præcepto. Ita Bellar. *lib. de bon. operib. c.* 18. Syluest. Angel. Armil. *Verbo Hora*, Bonacina. *loco citato. puncto.* 5. *n.* 1. vbi addit, *n.* 2. Canonicũ aliumue beneficiarium qui Diuinum officiũ in choro recitare debet, non posse percipere distributiones, quæ conferuntur canentibus in choro, nisi officiũ in Ecclesia publicè persoluat. Ratio est, Tũ quia cessante Causa, cessare debet effectus, nondũ productus: distributiones autẽ sunt effectus præsentiæ in choro. Tũ quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. *Lege si non fuerit, ff. de iureiurando.*

Dico 2. Qui ad Chorũ seu ad officiũ in Ecclesia persoluendũ, deputati non sunt, Diuinũ officiũ, vbiq; recitare possunt. Ita Bellarm. Bonac. *locis citatis.* Ratio est, quia nullũ ius reperitur, quod astringat, vt in Ecclesia absoluatur. Hinc sequitur Canonicũ, qui Diuinis officiis in choro interesse nõ potuit, priuatĩ officiũ vbiq; recitare posest. Aduerte quòd dubiũ Bonac. mouet. Vtrũ Episcopus Horas Canonicas, cum aliis in Ecclesia publicè recitare teneatur. Adducit authoritates pro parte affirmatiua quas resoluit, & adhæret opinioni negatiuæ. Quoad *habitum corporis* Dico per se loquendo, non peccat, qui Diuinũ officiũ priuatĩ recitat sedendo, cum standũ est, aut stando, vel sedendo, dũ genuflectendũ est. Ratio est. quia ritus recitandi officiũ hoc modo, non videtur sub rigore præcepti, sed solũ maioris deuotionis gratia, saltem in priuata oratione: in publica verò facilè fieri potest, vt aliqua culpa interueniat, pro ratione circumstantiæ communicantis actui malitiam.

Deputati ad chorũ in choro persoluant.

Habitus corporis qualis in recitandis horis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum prætermittens Horas Canonicas, mortaliter peccet?

Peccatum est mortale omittere.

Dico 1. Mortaliter peccat, obligatus ad Horas eas omittens, aut partē illarū notabilē. Ita Less. *lib. 2. c. 37.* Nauar. *c. 7. de orat. n. 5.* Laym. *lib. 4. t. 1. c. 4. n. 5.* Ratio est, quia talis negligēs violat præceptū in re graui, pertinente ad virtutē Religionis. Atq; hinc sequitur, vnā horā, V. G. tertiā, Sextā &c. omittere esse peccatum mortale, nō puto verò esse peccatū mortale, vnū Psalmū omittere contra Nauar. *c. 25. n. 68.*

Quot peccata committat, omittens.

Dico 2. Plura peccata cōmittit, qui ratione ordinis Sacri, & beneficii, Diuinū officiū recitare tenetur, vnum cōtra obligationē ordinibus annexā, alterā contra obligationē ex beneficio consurgentē. Ratio est, quia tot sunt peccata, quot sunt virtutes, quæ violātur: hic autē violatur virtus Religionis, & læditur iustitia ratione beneficii. Ita Sāch. *lib. 9. de Matrim. disp. 15. n. 6.* Layman. *loc. c.* Addit Bonac. *loco citato. q. 5. puncto. 1. n. 4.* quòd peccet & cōtra obediētiā, nā in *C. dolentes, de Celebrat. Miss.* imponitur præceptū in virtute obedientiæ: nec implicat inquit eundē actū, qui alias ad virtutē Religionis pertinebat, iterū præcipi ex nouo motiuo, & virtuti obedientiæ subiici, eiusq; omissionē diuersis virtutibus aduersari. Hinc Collige Quòd pœnitens, qui Diuinū officiū prætermittit, tenetur in Confessione titulos suæ obligationis manifestare: Ita Bonac. *loco citato. n. 5:* Dico 3. Beneficiarius, vel sacris initiatus omittens Diuinū officiū, tot peccata cōmittit, quod sunt actus moraliter interrupti. Ratio est, quia tot sūt peccata, quot sūt actus peccaminosi interni moraliter interrupti, vt patet ex *tract. de pœnit. disp. 4. q. 3. art. 7.* Atq; hinc sequitur, vnū numero peccatū omissionis cōmitti in die, qui totū officium omittit. Ita Roderic. *tom. c. 141. n. 16.* Azor. *lib. 10. c. 7, quæsito. 4.* Nauar. *de orat. c. 7. n. 60.*

2\. Beneficiarii omittētes tenētur ad restitutionē.

PETES 1. *An qui recitatione Diuini officij omittat teneatur ad restitutionē?*

Rñdeo Beneficiarii habentes onus recitādi Diuinū officiū, titulo beneficii tenētur etiā ante sententiā iudicis, ad restitutionē fructuū, pro rata omissionis officii, si elapsis sex mensibus, post obtentā beneficii possessionē, officiū culpabiliter nō recitauerint, etiāsi alio die. pensū prætermissū supplere conētur, nisi forte pars omissa leuis sit. Ita Bonac. *loco cit.. puncto 2. n, 1.* vbi adducit Cōciliū Lateranēse sub *Leone X. & decretum Pii V. Anno* 1571. pro conclusione confirmanda.

Dicitur

Dicitur (culpabiliter nō recitauerint,) quia qui bona fide, vel ex legitimo impedimēto omisit, aut ex obliuione naturali, non tenetur ad fructuū restitutionē. Ratio est, quia vbi nō est culpa, nō debetur pœna. Dicitur (Etiāsi pensū alio die prætermissū supplere conētur) quia onus officii est annexū diei, & transit cum ipso die. Atq; hinc

Collige 1. Cōfessarius nō debet pœnitenti in satisfactionē officii prætermissi, æquiualē ē officii recitationē iniūgere sed arbitrio prudentis Cōfessarii iniungēda est cōgrua, & rationabilis pænitentia. & ad restitutionē est obligādus. Ratio est, quia beneficiarius, nō tenetur trāsacto die, officiū præteritis diebus omissū supplere. Ergo neq; Confessarius tale onus debet imponere. Collige 2. Beneficiarius qui vno die omittit totū officiū, tenetur restituere omnes fructus, quos die illo percepit, Si matutinū cū laudibus, medietatē fructuū, si vnā horā omittat, tenetur sextā partē illius medietatis restituere. Ita expressè habetur in Bulla Pii V. & cōmuniter DD. Bonac. *loco citato n. 8.* Collige 3. Obligatur & ille ad restitutionē, qui Diuinū officiū recitauit, absq; vlla attentione. Ita Nauar. *c. 13. de orat. n. 17.* Less. *lib. 2. c. 37, dub. 11. n. 67.* Azor. *lib. 10. c. 11. quæst. 5.* Ille verò qui cū attentione recitauit, sed in peccato, nō obligatur ad restitutionem. PETES 2. *Cui facienda sit fructuum restitutio?* Rńdeo Faciendā esse fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, vt cōstat ex Bulla Pii V. & ex Cōcilio Lateranēsi. Dixi (Fabricæ Ecclesiæ) intellige fabricæ Ecclesiæ beneficii; Potest autē fieri restitutio pauperibus, nō solū loci, in quo beneficiū existit, verū etiā pauperibus alterius loci, nā Bulla loquitur generaliter de pauperibus. Collige 1. Pensionariū, qui paruū officiū B. Virginis MARIÆ prætermisit, teneri fructus restituere fabricæ, vel pauperibus. Ita Bona. *disp. 1. punct. 4. n. 5.*

Vno die omittens non tenetur alio die supplere.

Cui facienda restitutio.

Collige 2. Beneficiarius verè pauper, potest sibi fructus restitutioni obnoxios, titulo paupertatis retinere. Ratio est, quia non videtur deterioris conditionis aliis pauperibus.

ARTICVLVS VIII.

Quænam sint Causæ excusantes, à recitatione Diuini officij?

Infirmitas excusat à recitatione.

Dico 1. Infirmitas grauis, excusat à recitatione Diuini officii, ob quā pronūciatio Verborū valde noceret valetudini corporis. Patet

ex c. Cle-

ex C. Clericus victum dist. 91. Dixi (infirmitas grauis, quia leuis non excusat. Ita Nauar. *de orat. c. 11. n. 6.* Suarez. *c. 28. n. 11.* Layman. *lib. 4. t. 1. c. 6. n. 5. & alij.* Collige 1. Quādo dubitatur, an infirmitas grauis sit, aut leuis, stādū est iudicio prudētis Medici. Ita Syluest. *Verbo Hora q. 4.* Collige 2. Qui per se ipsū Diuinū officiū recitare nequit, nō tenetur per aliū. Patet quia onus recitādi officiū, est personale. Collige 3. Possunt Prælati dispēsare cū Fratribus Minoribus infirmis, in officio Diuino, si nō valeāt illud dicere sine tædio, assignādo eis aliquid aliud, ad arbitriū suū, ex Eugenio 4. qui etiam concessit, cū Prælatis ipsis, quēlibet Presbyterū per quēuis eorū eligendū simili modo dispensare posse. Ita Roder. *tom. 1. q. 24. a, 7.*

Priuilegium pro Fratribus Minorib⁹.

Dico 2. Grauis occupatio, honesta, & necessaria. quæ in aliud tēpus cōmodè differri nō possit, absq; scandalo, vel peccato, vel detrimēto sui, vel proximi, excusat ab officii recitatione. Ratio desumitur ex benigna Ecclesiæ intentione, quæ nō præsumitur cum tanto grauamine obligare. Ita Nauar. *loco citato* Tolet. *lib. 2. c. 14. n. 8.* Layman. *loco citato* Hinc. Collige 1. Qui graui occupatione detinetur, teneri officiū anticipatè recitare, si occupatio anticipatam recitationē permittat, ideò qui summo manè præuidet fore, vt toto subsequēti tēpore, confessionibus audiendis, vel grauibus negotiis detinēdus sit, tenetur anticipatè Diuinū officium recitare: quia tunc temporis viget obligatio præcepti, & potest adimplere.

Grauis occupatio, excusat.

Collige 2. Beneficiarius, aliusuè Diuini officii onere detentus, non potest, sine iusta causa, suscipere negotium, cum officii recitatione incompossibile. Ita Bonac. loco citato n. 3. Suarez. c. 28. n. 32. Patet quia sicut conijciens se in aliquod impedimentū quo posito non poterit præceptū adimplere grauiter peccat, ita & hic. Dico 3. Impotentia excusat à recitatione Diuini officii seruatis impotentiæ terminis & limitibus. Ratio est, quia impossibiliū nō est obligatio l. impossibiliū. ff. de Regulis iuris. Hinc Collige 1. Cæcus aliusue simili defectu obstrictus, Diuinū officiū ex toto recitare non tenetur. Addit Bonac. n. 7. illū qui nō potest totū officiū recitare, teneri ad illā partē recitādā. quā potest, modo illa pars sit notabilis, & præsumatur intēta à legislatore. Col. 2. Clericus qui beneficiū habet ex quo fruct⁹ sufficiētes colligit tenetur cōducere sociū, vt adipleat on⁹ officii, dū illud per seipsū nō potest adimplere fruct⁹ enim beneficii percipit, vt on⁹ officii persoluat: qui verò obligatur ad finē obligatur etiā ad media ad illū cōducētia. Ita Bonac. n. 8. Qui vero Beneficiū nō habet, nō tenetur suis propriis expēsis cōducere sociū, vt cū eo Diuinū officiū recitet, quia talis nō tenetur ex iustitia, sed ex religione, vel obediētia, ad officium Diuinum recitādum.

Negotium impediēs. non debet admitti.

Impotentia excusat

QVÆ

QVÆSTIO IV.

De Iuramento, Periurio, & Mendacio.

In hac Quæstione inquiremus hæc quæ sequuntur.

ARTICVLVS I.

Quid sit iuramentum.

Nota 1. Iuramentum à iure dictum est, quia instar iuris habendum: à Latinis dicitur iusiurandum, nam Latinis idem erat Sacramentum, quod iusiurandum, *cap. Qui Sacramento 22. q. 4.* Iuramentum vnde dictum.

Nota 2. Iuramentum variè à Doctoribus definitur. Aliqui dicunt, iuramentum esse affirmationem, vel negationem sacræ rei attestatione firmatam, vt refert Couaru: *in cap. quamuis de pact. 1. p.* §. 1. *n.* 1. Doctor Subtilis *in 3. dist. 39. q. vnica. num.* 2. ita definit. Iuramentum est assertio dicti, humani, quod ipsum sit verum, & hoc vltimatè. Dicit (est assertio) id est affirmatio, vel negatio, dicti, vel facti; Dicit humani, id est, existentis in facultate iurantis, vt innuat hæc non esse propriè iuramenta. Iuro quòd Deus sit, vel variæ definitiones iuramenti

Sol cras orietur. quia hæc non sunt in potestate nostra, & consequẽter non sunt dicta, vel facta humana. Dicit (vltimatè) ad differentiam simplicis assertionis, in qua restat vlterius progredi, & est adhuc vlterior via asserendi, nimirum affirmare per iuramentum, hoc est, Deum immediatè, vel mediatè in testem adducere, & illud est vltimum, vltra quod non est vlterior confirmatio, iuxta illud ad Hebr. 6. *Omnis controuersiæ finis ad confirmationem, est iuramentum.* Contra hanc definitionem insurgunt aliqui, sed immeritò, quia concordat cum communi, vt mox patebit.

Iuramentum definitur, & explicatur

Dico Itaq; Iuramentum est inuocatio Diuini nominis, in testimonium alicuius rei. Ita communiter DD. In qua definitione quando dicitur, (inuocatio Diuini nominis.) Nota quòd inuocatio Dei, alia est expressa, quando quis, expresse adducit Deum, vt si dicat, Iuro per DEVm, inuoco DEVm, inuoco Christũ. alia tacita, quæ contingit, dum aliquid fit, indicans inuocationem Dei, licet Deus ipse explicitè non adducatur, neq; inuocetur: V. G, si quis rogatus, vt iuret, manu tangit crucem, vel librum Euangeliorum. Ita Rodericus 1. *p. cap.* 191. *Num.* 2. Layman *tract* 3. *de iuramento, & periurio, cap.* 1. *n.* 5. Vel contingit tacita inuocatio Dei, quando iuramentum fit per creaturas, in quibus specialiter relucet, bonitas Dei, quando iuramentum fit per Sanctos, per animam rationalem, &c. dum enim hoc modo iuramus, non volumus creaturas nobis esse testes, sed Deum, qui in ipsis singulari modo residet, accipitur enim continens pro contento, & creatura pro Creatore. vnde subdit Layman. *n.* 6. tantò decentius esse iuramentum per creaturas, quantò illa sanctior, ac excellentior. *An verò censeatur semper iuramentum, dum adducitur creatura in testem, videbimus Articulo* 5.

Oratio nõ est iuramentum.

Hinc Collige 1. Orationem non esse iuramentum, licet in ea inuocetur Nomen Domini, quia in ea non inuocatur nomen Domini in testem. Similiter non esse iuramentum cùm dicitur profectò, in rei veritate, per fidem meam, fide boni Christiani, vel Sacerdotis, vel iuro per meam conscientiam, vel in mea conscientia. Ita Nauar. *cap.* 12. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *de iustitia. cap.* 42. *dub.* 2. *n.* 4. Layman *loco citato. cap.* 2. *n.* 2. Bonacina *circa secundum præceptum*

Disp. 4. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 2. Ratio est, quia nulla ex his modis adducitur Deus in testem, si verba proferantur, vt ordinariè accipi consueuerunt, quia huiusmodi loquendi modi, non adhibentur ad iurandum, sed ad significandum se loqui ex veracitate.

Collige 2. Ille qui enunciatiuè profert talia verba, *coram Deo loquor, Deus scit, Deus videt meam conscientiam*, non emittit iuramentum, quia talia profert per modum narrationis, narrando Deum id scire, & videre absque intentione inuocandi Deum. Si verò prædicta verba proferat inuocatiuè intendendo Deum inducere in testem eius, quod dicit sunt iuramentum. Ita DD. citati. Sicut in lingua Polonica illud verbum Dalibog, si inuocatiuè sumatur est iuramentum, si optatiuè, id est, si Deus dederit, non est iuramentum.

Enunciatiuè verba prolata non sunt iuramentum.

Dalibog quando iuramentum.

Collige 3. Ille qui dicit, *per fidem*, nihil aliud addendo, non emittit iuramentum, (nisi fortè ex intentione, dirigat verba ad fidem Catholicam) Ratio est, quia verbum *fides* absolutè prolatum, abstrahit à fide humana, & Diuina.

ARTICVLVS II.

De Diuisionibus iuramenti, seu Quotuplex sit iuramentum?

Dico Iuramentum esse multiplex. Primò iuramentum, aut est verbale, quod verbis enũciatur: aut reale, quod aliquo signo, vel tactu Euangeliorum, aut subscriptione scripturæ, in qua continetur iuramentum, fit. 2. Iuramentum aliud fit per simplicem contestationem, quâ Deus in testem adducitur V. G. dicendo, *testor Deum, iuro per Deum, &c.* Aliud quod fit per execrationem, vel imprecationem, vt cùm aliquis inducit DEum, non solùm in testem, sed etiam in iudicem, & vindicem, vt si quis dicat *Deus me puniat, si hoc non est verùm; dæmon me arripiat &c.* Ita Bonac. *loco citato puncto.* 2. *n.* 1. Layman *loco citato c.* 4. *n.* 3. vnde sequitur, quòd iurans falsum in iuramento execratorio, non solùm sit periurus, sed etiam peccet contra propriam charitatem, si ex animo illud sibi malum imprecatur, Ista Lessius. *lib.* 3. *cap.* 42. *n.* 9. Layman *loco citato.* Tale iuramen-

Iuramentum multiplex.

Per simplicem contestationem.

ramentum habetur in sacris literis. 2, Corinth. 1. *Testem inuoco Deum in animam meam.* Et in veteri testamento frequenter legitur, vt *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si ita non est.*

Deinde Iuramentum consideratur cum circumstantia notabili exteriori, & hac ratione diuiditur in simplex, & solenne. Simplex est, quod caret omni ritu, & formula solenni iuris. Solenne est, quod fit cum certa formula iuris, vt coram Notario, Iudice, &c. ita Aretinus in 3. *dist.* 39. *q. vnica. art.* 2. vel quod fit per contactum crucis, libri Euangeliorum, &c. Item Iuramentum aliud est assertorium, quod adhibetur ad aliqua præterita, vel præsentia affirmanda, vel neganda, vt iuro per Deum Petrum occisum fuisse à Paulo; Aliud promissorium, quo vtimur ad aliquid futurum affirmandum, vt iuro quòd veniam ad talem locum.

Simplex. Solenne. Assertorium. Promissorium.

Deniq; iuramentum diuiditur in absolutum, & conditionale. Absolutum est quod nullam habet conditionem, nec expressam, nec tacitam. conditionale in quo interuenit aliqua conditio, apposita à iure, vel ab ipso iurante. Ita Aretinus *loco citato.* Bonacina. *loco citato. n.* 1.

Absolutú. Conditionale.

PETES *An iuramentum sit eiusdem speciei, quouis modo fiat?*

Iuramenta.

Dico iuramentum quouis modo fiat, semper est eiusdem speciei. Ita Bonac *loco citato n.* 2. Aretinus *loco citato.* Ratio est, quia iuramentum formaliter consistit in inuocatione Diuini testimonij Sed hæc est eiusdem rationis, quouis modo fiat iuramentum, siue sit assertorium siue promissorium, siue simplex, siue solenne, siue per Deum, siue per Sanctos. Addit tamen Aretinus *conclusione* 4. quòd iuramentum execratorium habet specialem malitiam, quia est contrà charitatem sui, quatenùs homo sibi imprecatur malum, DEumq; ad illud infligendum prouocat, & sic pro diuersitate mali, est diuersa malitia periurij. Similiter addit *Conclusione* 5. quod iuramentum habens annexum maledictum, vel blasphemiam; distinguitur specie, ob circumstantiam adiunctam, ob quam periurium aliam accipit speciem.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum iuramentum ſit licitum, & quid requiratur vt ſit licitum?

Nota Manichæi, vt refert Sanctus Bonauentu *in 3. diſt. 39. q. 1.* & alij hæretici, vt docet Alphonſus à Caſtro contra hæreſes *verbo Iuramentum*, aſſerebant iuramentum eſſe illicitum.

Dico 1. Iuramentum eſt licitum. Patet ex Sacris literis. *Pſalm. 62.* dicitur. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo. Geneſ. 21.* Abraham fœdus init cum Abimelech, & illud iuramento confirmat. & *Deut. 6.* dicitur, *Dominum Deum timebis, & per nomen eius iurabis.* Probatur 2. ex vſu omnium gentium, & omnium Iudiciorum, omnis enim controuerſiæ finis, eſt iuramentum, teſte Apoſtolo *ad Hebr. 6.* Iuramentũ eſt licitum

Dices 1. Matth. 5. dicitur. *Ego autem dico vobis non iurare omninò, neq; per cælum, quia thronus Dei eſt, neq; per terram, &c.*

Reſpondeo Hoc in loco prohiberi iuramentum factum ex quauis occaſione, & ſine neceſſitate.

Dices 2. Ad res humanas non licet ordinare res Diuinas, Ergo iuramentum eſt illicitum, cùm contineat Dei teſtimonium.

Reſpondeo Negando Antecedens, maximè cùm alia ratio non ſuppetat, & ſic licitè vtimur Sacramentis ad procurandam ſalutem corporis.

Dico 2. Vt iuramentum licitè fiat ſequentes conditiones neceſſe vt habeat.

Sit iusiurandum licitum, diſcerne: notato.
Quis, cui, quod, per quod, ad quid, cur, quomodo, quando.

Conditiones iuramenti

Particula *Quis.* ſignificat perſonam, quæ iurare debet, non enim omnes ad iuramentum iudicialiter admitti debent, vt infra patebit.

Particula *Cui*, denotat perſonam, in cuius manibus emitti debet iuramentum ſolenne, nimirum in manibus Iudicis competentis, qualis non eſt laicus reſpectu clerici.

Particula *Quod*, indicat causam materialem, super quam fertur iuramentum, quæ debet esse res licita & honesta, vt patebit articulo sequenti.

Particula *Per quod* declarat, per quid iuramentum fieri debeat, nempe per Deum, & per creaturas quatenùs ad Deum referuntur.

Particula *Ad quid*, indicat finem iuramenti, qui licitus esse debet.

Particula *Cur*, denotat causam mouentem ad iurandum, quæ licita esse debet.

Particula *Quomodo*; modum indicat, vt non fiat vi, aut metu, aut subitò &c.

Particula *Quando*, explicat tempus, quo iuramentum fieri debet, vt non fiat diebus Dominicis, aut solennibus diebus, nisi in magna, & pia causa. *cap.* 1. *de ferijs.*

Requisita iuramenti

Dico 3. Ad quodlibet iuramentum, vt sit licitum, tria requiruntur, nimirum, veritas, iustitia, & iudicium. Ita Bonacina *p.* 3. *n.* 2. Layman. *cap.* 3, *n.* 3. Patet quia Ieremiæ 4. dicitur. *Iurabis viuit Dominus in iustitia, in iudicio, in veritate.* Ratio est, quia in iuramento Deus, qui est summa veritas, & iustitia adducitur in testimonium; Ergo cum iustitia, veritate & udicio adduci debet. Ita Nauar. *cap.* 12. *n.* 3. *estq́ communis Doctorum.* teste Sanchez *in Summa lib.* 3. *cap.* 4.

Veritas iuramenti.

PETES 1. *In quo consistat veritas ad iuramentum requisita?*

Respondeo Quòd consistat in hoc, vt iurans non leui, sed probabili coniectura, & prudenter, putet verum esse, quod iurat, vnde si dubitat esse verum, & iurat peccat mortaliter, ita S. Thom. 2. 2. *q.* 79. *art.* 7. non enim debet Deus adduci in testem mendacij Hinc

Collige 1. Eum peccare mortaliter, qui rem dubiam iurat vt certam, vel è contra; qui verò iurat rem dubiam vt dubiam, non est periurus. ita Nauar. *cap.* 12. *n.* 7. Syluest: *Verbo Periurium q.* 1.

Collige 2. Illum peccare mortaliter, qui promittit aliquid cum iuramento, habens animum illud non præstandi, V. G. qui iurat

iurat se facturum aliquod malum graue, vel leue, cuius exequendi non habet intentionem, nam hoc iuramentum caret veritate, ita Sanchez *l. 3. cap. 4. n.* 34. Bonac. *loco citato n. 6.* qui addit eum qui iurat se fracturum ossa seruo, non intendens frangere, sed solum intendens grauiter punire, non peccare mortaliter, modo iurans, non intendat iurare iuxta sensum verborum, sed iuxta sensum hyperbolicum.

PETES *In quonam consistat iudicium requisitum in iuramento?* Iudicium iuramenti.

Respondeo Consistere in hoc, vt fiat cum necessitate, & reuerentia, quia sine necessitate iurare, non licet, res enim leuis iuramento non est confirmanda. Ita Lessius *de Iuramento Disp.* 3. *n.* 17.

PETES *Iustitia iuramenti in quo consistat?* Iustitia iuramenti.

Respondeo Quòd in hoc, vt iuramentum fiat de re licita. Ratio est, quia iniuria Deo fieret, si adduceretur in testem rei illicitæ. Vnde grauem Deo faceret iniuriam, ipsum adducendo in testem illius, quod est valde contrarium Diuinæ legi, & à quo tenetur sub mortali abstinere: nullus enim obligari potest ad illicitum, nam si hoc impleret, adderet peccatum peccato: si enim iurando non habuit intentionem implendi, peccauit mortaliter, adducendo Deum in testimonium falsi: si autem habuerit intentionem implendi, etiam peccauit mortaliter, volendo illicitum, & prohibitum. Ita Nicolaus de Niisse, *tract. 3. p. 3. port. 3. q. 6.*

ARTICVLVS IV.

Quænam sit materia iuramenti? & de obligatione iuramenti?

Dico I. Materia iuramenti debet esse res licita, non verò illicita. Ita communiter DD. Ratio, est, Tum quia malum semper est vitandum. Tum quia magna iniuria Deo irrogatur, adducendo ipsum in testem rei illicitæ. Ex quo sequitur, vt cùm quis iurat se aliquem occisurum, non obligatur tali iuramento, iuramentum enim non est vinculum iniquitatis, nec obligare potest ad malum, ita habetur, *de reg iuris in 6.* Materia iuramenti.

Dico 2.

Res quæ non possunt iuramento firmari.

Dico 2. Res indifferens, aut impossibilis, aut impeditiua maioris boni, seu Diuinis consilijs contraria, non potest esse materia iuramenti. Ita Sanchez lib. 3. cap. 9. Layman cap. 6. n. 3. vbi dicit, *Iuramentum de opere indifferente nisi ex, fine & circumstantijs cohonestetur, nullam vim obligandi habet.* Ratio est, quia Deus non vult obligare ad aliquid vanum, & otiosum, vel contrarium suis consilijs, seu ad aliquid impeditiuum maioris boni. Limitat Bonacina *disp.* 4. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 2. modò maneat materia illa semper indifferens, vel iuramentum non sit factum in fauorem alterius, nam in tali casu, non est actus indifferens, sed est actus virtutis, nempe fidelitatis.

Quantùm de obligatione iuramenti?

Iuramentum contra consilia Dei.

Dico 1. Iuramenta non obligant quæ fiunt contra consilia Dei. Ita Nauar. *cap.* 12. Azor. *l.* 9. *c.* 5. Quare qui iurauit non ingredi Religionem, aut non dare Eleèmosynam, sine dispensione potest ingredi, & dare Eleèmosynam.

Dico 2. Promissio, aut iuramentum factum contra prius iuramentum, aut contra votum, aut contra priorem promissionem validam non obligat. Ita Bonac. p. 6. n. 1. Ratio est, quia secundum iuramentum, vel secunda promissio, est de re, quæ sine peccato seruari non potest; iuramentum autem quod sine peccato seruari non potest, non obligat, ideò secunda sponsalia iurata, contra prima, etiam sine iuramento facta, sunt inualida, & promissio facta contra prius votum validum, est inualida; consequenter inualida sunt sponsalia facta post votum castitatis, vel assumendi sacros ordines, vel non contrahendi matrimonium. Ratio est, quia tale iuramentum, votum, siue promissio, sunt de re mala, cùm adimpleri nequeant, sine violatione iuramenti, voti, seu promissionis. Ita Azor *lib.* 11. *c.* 7. *q.* 5. Layman. *c.* 6. *n.* 4. Aduertit tamen Bonac. *loco citato n.* 2. Gesta contra obligationem iuramenti esse valida, nisi aliunde sunt irrita. *l. traditionibus C. de pactis, & l. quoties C. de rei vendicatione.* Et sic reuocatio testamenti, facta contra iuramentum, de non reuocando testamento, valida est; Item venditio facta, contra promissionem iuratam de non vendendo, ualida est;

Nota.

matrimo-

matrimonium contra votum simplex castitatis, aut contra sponsalia iurata, cum alia, validum est. Ratio est, quia iuramentum non reddit iurantem inhabilem ad faciendum actum contrarium ex se validum. Ergo gesta contra iuramentum sunt valida. Vide Layman. *c.* 8. *n.* 5. Dicit. *nisi aliundè sint irrita*, quia tales actus à iure irritari possunt.

Leges ciuiles quæ iuramenta irritant.

Dico 2. Iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem, quæ primariò, & immediatè respicit bonum publicum, non obligat. Ratio est, quia iuramentum non obligat ad aliquid faciendum quod sit culpabile, & peccaminosum. Tum quia iuramentum, quod directè vergit in aliquod iniustum præiudicium tertij non obligat. *cap. quamuis, de pactis in 6.* Ergo multò minus obligat si fiat de re aliqua prohibita per legem ciuilem, respicientem bonum commune.

Dico 3. Iuramentum factum, contra legem respicientem bonum particulare, obligat, modo non vergat in præiudicium tertij. Ratio est, quia hæc lex immediatè, fertur in fauorem personæ priuatæ, quælibet autem Persona priuata potest cedere iuri suo, absq; præiudicio tertij.

Fictum iuramentum non obligat.

Dico 4. Ex iuramento facto absq; animo iurandi, non oritur obligatio, ex vi iuramenti, coram Deo; Patet *cap. Ex literis, de sponsalibus.* Ratio est, quia obligatio ex vi iuramenri oritur ex iuramento; iuramentum autem factum sine animo iurandi, non est verum iuramentum, sed fictum. Dicitur (coram Deo) quia in foro externo iurans cogeretur ad seruandum iuramentum, ob præsumptionem veri iuramenti. Dixi (ex vi iuramenti) quia ratione scandali, quod oriretur ex transgressione iuramenti, obligatur iurans stare iuramento facto animo ficto. Vide Lessium. *lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 45.

Animus non se obligandi non ligat.

Dico 5. Ex iuramento facto animo iurandi, sed cum animo non se obligandi, non oritur obligatio ex vi iuramenti. Ita Bonac. *loco citato p.* 7. *n.* 3. citans Sanctum Bonauenturam, Angelum, Syluestrum, & alios. Ratio est. Tum quia Deus non acceptat iuramentum, nisi secundùm hominis intentionem. *cap. humanæ aures* 22.

q. 5. vbi dicitur. *Diuina iudicia talia foris nostra verba audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Si ergo iuramentum ex intimis proferatur, cum animo non se obligandi, Deus non acceptat. Tum quia qui contractui annectit clausulā contra substantiā contractus, non obligatur ad seruandum contractum. Ergo qui apponit clausulam iuramento, contra substantiam iuramenti, non obligatur ex vi iuramenti: clausula autem contra substantiam iuramenti, est intentio se obligandi.

Nota. Dico 6. Ex iuramento facto cum animo non adimplendi, nascitur obligatio ex vi iuramenti. Ratio est, quia intentio adimplendi, non est de substantia iuramenti. Ergo etiamsi iurans habeat intentionem non adimplendi, remanet obstrictus vinculo iuramenti, cùm nihil illi substantiale desit. Ita Lessius *cap.* 42. *dub.* 8. *n.* 41. Bonacina *n.* 5. qui idem dicendum asserit, quando iuramentum factum est absq; animo promittendi. ita habetur. *cap. Debitores de iureiurando.* Hinc.

Collige Qui iurat quouis modo ex prædictis, peccat mortaliter, iurando sine animo iurandi, vel non se obligandi, quoties iuramentum rationabiliter exigitur. Ita Bonac. *n.* 6.

Dolus irritat matrimonium. Dico 7. Iuramentum non obligat, quoties error & dolus, sunt circa substantiam rei promissæ. Est communis DD. Ratio est, quia vt iuramentum obliget, requiritur voluntas, & consensus. Sed vbi est error, vel dolus circa substantiam rei, ibi deest consensus, quia iurans, non intendit iurare rem illam: sed aliam. Atq; hinc sequitur iuramentum non obligare, si dolus, & error versetur circa causam finalem. *Vnde* ille non tenetur stare iuramento, qui iurauit stare contractui venditionis, sed postea deprehendit se notabiliter læsum, in defectu pretij, posse æqualitatem pretij procurare, quia iuramentum factum fuit cum errore versante circa causam finalem, iurauit enim stare contractui venditionis, quia credebat contractum iustum esse.

Metus nō irritat. PETES *An iuramentum metu extortum obliget?*

Respondeo. Iuramentum extortum per metum grauem, obligat in-

gat in

gat in conſcientia. Ita habetur *c. Si verò, de iuramento.* & *c. Ad audientiam, de ijs quæ vi.* Ratio eſt, quia iure naturæ tenemur iurare, vt verum ſit quod iuramus, (modò ſit de re licita iuramentum,) ne Deus adducatur in teſtem falſi. Hoc tamen iuramentum, facilè eſt diſpenſabile ab Epiſcopo. & cum Religioſis poterit diſpenſare ſuus ſuperior. Ita Laurent: de Portel. *Verbo iuramentum. n. 28.* Hinc.

Collige 1. Ille qui iuramento promiſit vſuras, tenetur ad eas ſoluendas. *cap. Debitores, de iureiurando,* & hoc ratione iuramenti, poteſt tamen talis, factâ ſolutiône, repetere ſolutum.

Collige 2. Qui iurauit ſe rediturum in carcerem etiam iniurioſum, tenetur. Ratio eſt, quia regreſſus eſt licitus, cùm ſit actus fortitudinis, & fidelitatis, etiamſi timeatur mors euentura, niſi fortè iurauerit cum limitatione mente concepta vt dicetur *Articulo* 8. Ita Angelus *verbo iuramentùm n. 5.* Leſs. *lib. 2. cap. 42. dubio 6. num.* 28. Eſt contra Nauar. *c. 12. n.* 18. *& alios.* Nota.

Collige 3. Iuramentum in gratiam alteriùs conceptum ſemper obligat, ſi ſine peccato præſtari poſſit. Ita Layman. *c. 6. num. 6.*

Collige 4. Iuramentum de re indifferente, niſi ex fine, & circumſtantijs cohoneſtetur, nullam obligationem inducit. Ita idem *n. 3.*

Collige 4. Qui fecit profeſſionem ſolennem in Religione per metum, quæ eſt de iure inualida, quam poſtea confirmauit iuramento etiam extorto per metum, tale iuramentum non obligat neq; reualidat profeſsionem. Ita Laurent de Portel. *verbo iuramentum n. 29.* Ratio eſt, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, vt dicitur in Regul: iuris. Sed ibi iuramentum eſt acceſſorium, principale eſt votum. Sed votum non obligat. Ergo neq; iuramentum. Atq; hinc ſequitur, votum ſimplex Religionis metu factum, iuramento poſtea confirmatum, non ratificat illud iuramentum, votùm, cùm enim votum illud ſimplex Religionis ordinetur ad profeſſionem, imo obliget ad illam, quæ futura eſt inualida, nemo tenetur ad faciendum actum inualidum. Cætera verò vota ſimplicia

metu facta, & postea iuramento confirmata, sunt valida, quia in aliis votis non requiritur tanta libertas, quanta requiritur in voto Religionis. vide Sanchez, *lib.* 3. *Decal. c.* 11. *n.* 24.

Collige 5. Iuramentum quod faciunt consiliarij in congregationibus de seruando secreto ibi tractato, non obligat illos in quauis re modica sub mortali, sed iuxta grauitatem, vel qualitatem materiæ detectæ, si enim sit materia grauis, erit mortale, si leuis veniale. Ita Nauar. *c.* 12. *n.* 23. Sanchez. cap. 4. *n.* 23.

Collige 6. Iuramentum de futuro alicuius rei faciendæ, vel concedendæ, non extenditur, nisi ad ea de quibus verisimiliter cogitatum est, vel iure optimo cogitare debuit. *c. Quinta vallis de iureiurando,* nam iuramentum non extenditur vltra debitum iurantis intentionem.

ARTICVLVS V.

Vtrum licitum sit iurare per Deum, & per creaturas?

Dico I. Iurare per Deum, est licitum in necessitate. Patet ex *Articulo* 1. *&* 2. Probatur 1. 1. ad Timoth. 5. inquit Apostolus. *Testor coram Deo & Christo IEsu.* Et 2. ad Corinth. 1. *Ego testem Deũ inuoco &c.* Ergo licitum est per Deum iuramentum, 2. probatur ex vsu omnium gentium, & omnium Tribunalium, omnis enim controuersiæ finis est iuramentum, *ad Hebr.* 6. 3. Iuramentum est cultus latriæ apud omnes gentes, per hoc enim tacitè testamur, Deum habere prouidentiam rerum humanarum, & omnium rerum cognitionem, & potestatem. 4. Iuramentum facit, vt reuerentiâ, & timore Diuini Numinis veritatem dicamus, pacta custodiamus, pacem retineamus, controuersias definiamus, quæ omnia sunt bona. Ergo. Dixi *in necessitate,* nam sicut corpori medicamenta adhiberi non expedit, nisi in necessitate, ita iuramento vti, salutare non est. nisi cum iusta, & grauis subest causa. Quare quando Christus Dominus Matth. c. 5. dixit. *Audistis quia dictum est antiquis non periurabis,* id est non iurabis falsum: *ego autem dico vobis non iurare omnino.* id est, ne verum quidem iurare sine necessitate, vel in vanum.

Iurare per Deum est licitum.

Dico 2. Per falsos Deos iuramentum factum, per se loquendo, non est obligatorium. Si tamen aliquis ex conscientia erronea, putet Iouem esse verum Deum, & iuret per eum, tenetur seruare iuramentum, non ex vi iuramenti, sed propter affectum, quem habet putans esse verum, ita Bonacina *q. 1. puncto 1. n. 2*, Hinc. Per falsos Deos an liceat.

Collige 1. Iurare per falsum Deum seriò, esse peccatum mortale blasphemiæ, secùs si ioco. Ita *Idem ibidem.*

Collige 2. Iurare per dæmonem, siue iuramentum sit execratorium, siue contestatorium esse peccatum mortale, quia honor Dei videtur tribui diabolo. Addit ibidem Bonacina, iuramentum præcisâ conscientiâ erroneâ, non obligare.

Quantum ad Creaturas, an liceat per eas iurare?

Sciendum est creaturam quadrupliciter spectari posse. primò secundùm se. 2. vt in ea relucet Deus, vel quatenus ordinatur ad Deum. 3. vt est aliquid ad nos pertinens, quod obligamus Deo. 4. vt falsò putatur habere aliquid Diuinitatis, Primo modo iurare per creaturam, non est iuramentum, quia ipsa non potest esse per se testis, vel prima veritas. Ita Nauar. *c. 12. n. 5.* Si verò inuocetur aliquis Sanctus in testem, sed non vt suprema veritas, non est propriè iuramentum, ordinariè tamen talis formula, V. G. testor coram Sanctis eius, Ita accipitur, vt illa censeatur primariò in testem vocari Deus, qui in Sanctis habitat, & secundariò Sancti. Secundo modo iurare per creaturas, est iuramentum, quia Deus censetur in testem adduci, & sic qui iurat per cælum, censetur iurare per eum, qui habitat in cælis, &c. Tertio modo est iuramentum, V. G. cum iuratur per vitam parentis, vel rem aliam charam, sicut Ioseph iurauit, *Genes, 42.* per salutem Pharaonis, à qua sua felicitas pendebat obligans illam Deo, si verum non esset, quod dicebat. Quarto modo non licet iurare, quia committeretur blasphemia, tribuendo creaturæ attributa Dei : & hoc modo prohibuit Christus Dominus per creaturas iurare, ne sensim homines inducerentur ad idololatriam. Ita Aretin. *in 3. dist. 39. art. 3.* Quando verò creatura adducitur in testem simul expresso nomine Dei in obliquo, *vt iuro per* Per creaturas quomodo liceat iurare.

ignem Dei &c, est verum iuramentum, quia tunc adducitur creatura in testem, vt refertur ad Deum. Ita Rodericus *l. p. cap.* 191. *num.* 1,

ARTICVLVS VI.

Quæ Personæ iurare possint ?

Personæ ad iuramentum non ádmittendæ.

Dico 1. Non omnibus permissum est iurare iudicialiter, iuramentum enim iuuenis ante 14. annum, & puellæ ante 12. non admittitur; similiter hominis periuri. Ita habetur *cap. Paruuli* 22. *q.* 5. Ratio primæ partis est, quia non habent sufficientem vsum rationis, ad iuramentum verò requiritur maturum iudicium. Secundæ partis ratio est, quia præsumitur peieraturus, qui semel peierauit.

Dico Omnis creatura intellectualis Deum agnoscens potest iuramentum emittere, dummodo vt inquit D. Subt, *in* 3. *dist.* 39. habeat qualitatem testis idonei, nimirum vt habeat intentionem. & sic infideles, Iudæi, hæretici, (exceptis Atheis) iurare possunt, quia qui Deum agnoscit potest ipsum in testem adducere. Addit Bonac. *puncto* 10. *n.* 1. Angelos, & Christum Dominum, cùm loquebatur cum hominibus potuisse iurare, quâ homo erat. DEVS verò quoad se, & quoad rem ipsam, non potest iurare, quia ipsemet est infallibilis veritas, nec indiget testimonio ad confirmanda sua dicta, per metaphoram verò frequenter Deus iurasse memoratur in sacra scriptura.

Deus non iurat.

In manu laici Clerici an iurare possint.

Dico 3. In manu laici, præstare non debent iuramentum coactiuum Clerici. Ita Layman, *tract.* 3. *cap.* 12. *n.* 5. In tribus tamen casibus permittit ius cum licentia Episcopi Clericis iurare coram iudice sæculari. Primò in actu testificationis. *cap. quanquam.* 24. *q.* 1. 2. Quando coram eo, qui non est eorum superior, iurant de calumnia. *cap. Nos.* 22. *q.* 7. 3. Quando coguntur à laico iurare corã ipso, tanquam suo superiori. *cap. Peruenit de iureiurando.* Vide Bonacinam *loco citato. n.* 2.

Per nuncium valet iuramentum.

Dico 4. Iuramentum potest præstari per nuncium, vel procuratorem. Ita habetur. *c.* 1. *de statu regular* ; *in* 6. Ratio est, quia qui per

qui per aliū facit, per ſeipſū facere cenſetur. Porrò ille, cuius nomine fit iuramentum, obligatur, non verò procuraror, vel nuncius. Hinc

Collige 1. Quando lex iuramentum perſonale requirit, non poteſt fieri per alium. *cap. Si verò. de ſent. excom*: Quare iuſiurandum quo quis teſtificari debet, non poteſt fieri per procuratorem *c. licet de teſtibus.*

Collige 2. Ad iuramentum nomine alterius emittendum, requiritur ſpeciale mandatum in cauſa particulari. *cap. Finali de procurator*: in 6. vnde ſi Dominus reuocauerit mandatum, non valebit iuramentum procuratoris, etiamſi procurator eſſet inſcius reuocationis, iuramentum enim non obligat abſq; intentione, & conſenſū. Ita Caiet. 2. 2. q. 89. a. 1. ad 4. *An verò iuramentum poſsit ab eo exigi, qui creditur peieraturus.* dicetur Articulo 8.

ARTICVLVS VII.

Vtrum pacta, & contractus alioquin irriti, acceſſione iuramenti confirmentur?

Dico 1. Pacta, & contractus alioquin iure ciuili irriti, aut minùs efficaces, interdum acceſsione iuramenti confirmantur. Quare illi qui rem licitam promiſit cum iuramento, tenetur promiſsionem adimplere, licet illa promiſsio iurata fuerit mala, ratione alicuius prohibitionis. V. G. ſi ſubditus prohibeatur à ſuperiore, facere alteri promiſsionem, abſq; conſenſu Superioris, inferior tamen promittat rem licitam alicui, cum iuramento, ſine conſenſu ſuperioris, tenetur ſeruare iuramentum, quia iuramentum eſt de re licita, licet promittens peccauerit contra prohibitionem Superioris. Ita Layman *cap. 8. n. 1. & cap. 6. n. 7.* Bonac. *p. 4. n. 3.* Irrita per iuramentum firmantur.

Dico 2. Si promiſsio, vel pactum ex parte exigentis, vel acceptantis turpitudinem continet, vel prohibitionem legis naturalis, vel Diuinæ, vel Canonicæ. appoſito iuramento, non confirmatur. Ratio eſt, quia ſunt de rebus illicitis. Hinc. De rebus illicitis an valeat.

Collige Eum qui iurauit tradere pecuniam meretrici pro copula, teneri ſecuta copula ſoluere, nam eſt promiſſio rei licitæ, & debitæ.

debitæ ex iustitia, quamuis supponat actionem turpem, Ita Bonac. *disp.* 4. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 2. *& communiter DD.*

Dico 2. Qui vi iniusta à priuato adactus est, ad promissionem iuratam, facile liberationem impetrat. Patet *ex Petito Articuli* 4.

An autem iuramentum factum de re prohibita, per legem Ciuilem obliget, patet ex 2. *Conclus. Articuli* 4.

ARTICVLVS VIII.

De Iuramento Iudiciali.

Dico 1. Iuramenti iudicialis plures sunt Species, nimirum iuramentum calumniæ. iuramentum in litem, iuramentum litis decisiuum, & hoc, vel est necessarium, vel voluntarium: iuramentum necessarium plerumque reo, & non actori deferendum est ad litis decisionem. ita *communiter DD.* Vide Layman *cap.* 5. *num.* 1. 2. *&* 3.

iuramenti Iudicialis species.

Dico 2. Iuramentum licitè potest exigi ab eo, qui creditur peieraturus, modo iusta subsit causa exigendi iuramentum. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 4. & alij apud Lessium *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 10. *num.* 49.

Periuriũ eũ permittendum.

Ratio est, quia non petitur, nec intenditur periurium, sed permittitur, multa enim mala permittuntur ob bonum finem, sicut pater permittit furtum filij, & Dominus serui, vt eorum fidelitatem experiatur.

Dixi (iusta de causa) quia non existente iusta causa, non debet exigi iuramentum ab eo, qui creditur peieraturus: quilibet enim tenetur ex charitate Dei, offensam impedire, quoties absque suo damno, & commodè potest impedire, aliâs peccabit inducens mortaliter. Aduertit tamen Bonacina. *p* 11. *n.* 3. vt inducens probabiliter credat peieraturum, nam si solum dubitet, non peccat per se loquendo, quia in dubio non debemus præsumere alterum velle peccare. Ex his Colligit Bonac. *ibidem. n.* 4. magis peccare illum, qui curat adduci falsum Deum in testem veri, quam qui

iurat

iurat adduci verum Deum in testem falsi: quia iurans per falsos Deos, tribuit cultum Dei, falso Deo, quod est idololatria, & blasphemia, opposita primo præcepto, & grauius peccatum periurio; iurans verò falsum per verum Deum, committit periurium oppositum secundo præcepto.

PETES *Vtrum iurare liceat alio sensu, quàm alter intelligat?* Alio sensu an liceat iurare.

Respondeo Ex iusta causa esse licitum. Ratio est, quia iurans non est periurus, cùm ipsius iuramentum sit de re vera, iuxta eum sensum, quem iurans intendit; ita Nauar. *cap.* 12. *n.* 8. Bonacina *q.* 1. *p.* 12. *n.* 4. Vnde hinc sequitur, eum qui iuramento promisit latroni centum, addendo tacitè in mente sua, si debeo, non peccasse iurando, quia iustam habebat causam ita iurandi, & ambiguâ oratione & restrictione occultâ, vtendi.

Collige 1. Eum posse vti amphibologia, vel restrictione, qui ab alio quàm à suo iudice interrogatur, vel etiam dum interrogatur à suo iudice, sed non iuridicè. Item dicendum de teste iuxta Nauar. *cap.* humanæ aures. 22. *q.* 5. *n.* 9.

Collige 2. Adulteram, quæ interrogatur à marito, an sit adultera, posse negatiuè respondere, intelligendo, vt teneatur illi reuelare. Ita Azor. 1. *p. lib.* 11. *c.* 4. *q.* 5.

Collige 3. Eum qui iuridicè interrogatus in iudicio, veritatem negauit, vel vsus est amphibologia, sine iusta causa, peccare mortaliter. Ita Bonacina cum alijs Doctoribus *p.* 12. *n.* 7. Ratio est, quia facit iniuriam iudici interroganti. Idem iudicium est de illo qui vtitur amphibologia in contractibus, quia facit iniuriam parti.

Collige 4. Si aliquid ab aliquo petatur incusso metu, vt iuret se facturum aliquid, quod est peccatum, potest iurare se id facturum, intelligendo in mente, si id licitè poterit absq; peccato. Ita Laurent. de Portel. *in Dub. regul. verbo iurament. n.* 17. Nota

Collige 5. Quando taxa alicuius rei est iniusta, si pluris vendens, aut defraudans, in pondere, vel mensura, vt sibi satisfaciat pro iniustitia pretij, potest hic rogatus à iudice, an pluris vendide- Nota.

rit, vel defraudauerit in pondere, vel mensura, id negare, & asserere se vendidisse pretio taxato ab ipsa iustitia. Et per hoc multi alij casus resoluentur. Ita Laurentius de Portel. *loco citato. n.* 11.

ARTICVLVS IX.

Quibus modis tollatur obligatio iuramentorum.

Dico 1. Iuramenti obligatio ne inducatur, impediri potest, vel per legem, destruendo omninò contractum humanum supra quem cadit; destructo enim fundamento, simul etiam destruitur id quod ipsi innitebatur. Sed iuramentum est accessorium contractui. Ergo vel prohibendo executionem, ita vt sine peccato nequeat adimpleri. Vide Sanchez. *lib.* 3. *cap.* 22. Bonacinam *disp.* 4. *q.* 1. *p.* 17. *n.* 1.

Impediri potest iuramentũ.

Dico 2. Obligatio iuramenti iam inducta, quatuor modis auferri potest. Primò mutatione materiæ, vt si materia iuramenti fit illicita, iuramentum enim non est vinculum iniquitatis; aut si materia fiat impossibilis, ad impossibile enim nemo obligatur, ita *idem ibidem n.* 2. 2. Remissione, seu relaxatione eius, in cuius fauorem factum est iuramentum, is enim potest cedere iuri suo, absq; iusta causa remittendo rem sibi debitam, etiamsi iuramentum factum sit in modum voti; vt si voueas Deo, & iures te daturum pauperi Eleëmosynam; liber eris ab obligatione voti, & iuramenti, si pauper condonet obligationem. Ita Rodericus *cap.* 245. *n.* 10. Ratio est, quia qui hoc modo vouet, & iurat, censetur solùm se obligare sub conditione tacita, si ille, in cuius fauorem iuramentum factum est velit acceptare. Et hoc non solùm verum est, quando vnus tantùm iurat alteri, verum etiam quando vterq; vicissim, tunc enim potest vterq; iuramentum condonare, vel alter solus alteri, cùm sit eadem ratio. Ita Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 52. *n.* 4. Tertio tollitur iuramentum per irritationem factam per superiores quibus subiecta est materia iuramenti. Atq; hinc sequitur, omnes illos, qui possunt irritare vota subditorum, possunt etiam irritare, seu rela-

Quatuor modis obligatio iuramenti auferri potest.

Qui irritare possunt iurameta.

ſeu relaxare iuramenta illorum, ſi ſint ſolùm facta Deo. Vnde Prælati Religionum, poſſunt relaxare omnia iuramenta ſubditorum facta Deo. Eſt communis DD. Porro requiritur iuſta cauſa, vt relaxetur iuramentum, illæ verò cauſæ ſufficiunt ad relaxandum iuramentum, quæ requiruntur ad relaxandum votum, de quibus *ſequenti Q. Articulo* 11. Atq; hic ſuperior reſpectu ſubditorum, pater reſpectu filiorum, Dominus reſpectu ſeruorum, maritus reſpectu vxoris in iis rebus; in quibus tales perſonæ ſunt ſubiectæ. Ratio eſt, quia nullus iurare poteſt in præiudicium alterius.

Aduerte hîc 1. Qui conſentit in iuramenta ſubditorum, non poteſt licitè absq; noua cauſa, ea iuramenta irritare, quia obligatio ſemel extincta, non reuiuiſcit. *C. de remiſsione pignorum.*

Aduerte 2. Qui habent priuilegium, diſpenſandi, vel commutandi iuramenta pia, in honorem Dei principaliter concepta, non poſſunt vi eius priuilegii relaxare iuramenta directè in hominum vtilitatem edita, quamuis acceptata nòn fuerint. Ita Laurent: de Portel *n.* 45. Layman. *c.* 11, *n.* 8. poteſt tamen Papa indirectè in quibusdam caſibus, relaxare iuramenta, vt vaſallorum qui iurârunt fidelitaté principi ſuo, poſtquam incidit in hæreſim. *cap. Ad Apoſtolicæ, de ſentent. & re iudicata in 6.*

PETES, *An iuramenta caſtitatis, Religionis, peregrinationis. Romanæ, vel Hieroſolymitanæ, poſsint inferiores ſuperiores, irritare?*

Reſpondeo Si talia iuramenta fiant; cum animo promittendi Deo, tunc induunt rationem voti, ſeu claudunt, & confirmant votum, & proinde ſunt reſeruata, ſicut ipſa vota. Si vero non fiant animo promittendi, neq; vllam promiſſionem includant, quia iurans non habuit intentionem promittendi, ſed ſolùm aſſerendi, tunc non ſunt reſeruata Papæ, ſed Epiſcopo, quia ſunt pura iuramenta, aſſertiua, & non vota. Ita Laurent de Portel. *n.* 44. Aduertit hic Bonacina *p.* 17. *n.* 12. commutantes vota ex facultate ſibi delegata, non videntur poſſe commutare iuramenta talibus votis annexa, præſertim iuramenta promiſſoria, hæc enim non ſunt vota cum non fiant Deo, ſed homini, — Iuramenta caſtitatis qui irritant.

Quarto modo obligatio iuramenti tollitur, per commutatio-

nem, quando ſuperior ſubditi ſui commutat iuramentum in aliud dum modò ſit cauſa ſufficiens ad commutandum, vt patebit ex ſequenti Quæſtione. Hinc.

Collige 1. Iuramentum etiam homini præſtitum irritari poteſt, ſi verſetur circa materiam alterius diſpoſitioni ſubiectum, aut circa promiſſionem, quæ dominatiuæ poteſtati Patris, tutoris, Prælati, mariti &c. ſubdita eſt, Ita Layman *c.* 11. *n*, 2.

Collige 2. Iuramenta continentiæ perpetuæ, Religionis alteriusuè materiæ reſeruatæ, ſi pœnalia, aut conditionata ſint, perinde, vt vota eiusdem conditionis, ab Epiſcopo relaxari poſſunt. Ita *idem ibidem n.* 4.

Collige 3. Iuramentum in hominis vtilitatem principaliter editum, ſi non eſt propriè confirmatorium promiſſionis, ſed per ſe ſtans, Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali authoritate relaxari poteſt. ita *idem ibidem. n.* 6.

Collige 4. Directa relaxatio iuramentorum quæ fit per modum abſolutionis, aut diſpenſationis, ad Eccleſiaſticos tantum prælatos pertinet, indirecta verò laicæ poteſtati competere poteſt. ita communiter DD.

Collige 5. In omni iuramento promiſſorio, tacitè conditiones hæ intelliguntur. 1. Si potero; 2. ſaluo iure ſuperioris. 3. Niſi is cui iuramentum fit, obligationē remittat. 4. Si res notabilem mutationem non accipiat, ita Layman. *cap.* 9. *n.* 4.

conditiones iuramenti.

Collige 6. Obligatio iuramenti propriè promiſſorij, tranſit ad hæredes, aut Succeſſores eius, cui iuratum eſt. Si autem non ſit propriè promiſſorium, ſed per ſe ſtans, tunc obligatio eius ad hæredes non tranſit. ita *idem ibidem cap.* 10. *n.* 4. & 5. Porrò Bonacina *p.* 15, *n.* 1. negat obligationem iuramenti præciſè transmitti ad ſucceſſores, ſed ſolùm obligationem contractus ſuper quem tranſit iuramentum *l. neceſſario* § *quòd ſi pendente ff de periculo, & commodo rei venditæ.* Ratio eſt; quia obligatio iuramenti perſonalis eſt, obligatio autem perſonæ non tranſit ad hæredes.

An id ad Hæredes tranſeat

ARTI-

ARTICVLVS X.

Quomodo iuramentum sit interpretandum.

Dico 1. Iuramentum cadens supra promissionem, factam cum aliqua conditione tacita, eo modo interpretandum, quo explicatur ipsa promissio. Ratio est, quia iuramentum sortitur conditiones actus, super quem cadit, *C. de non numerata pecunia.* & est accessorium actus super quem cadit, accessorium autem sequitur naturam principalis, iuxta *regulam iuris* 42. in 6. Ita communiter DD. Inde Collige 1. Illum qui cum iuramento promisit nuptias Bertæ, diuiti, sanæ, virgini, bonæ famæ &c. quæ post promissionem incidit in infirmitatem, paupertatem, vel in fornicationem, &c. non teneri stare iuramento, nec teneri eam ducere vi iuramenti, quia iuramentum habet eam tacitam conditionem, quam habent & sponsalia.

Quomodo interpretandũ.

Collige 2. Ille qui promissit aliquid Petro cum iuramento, non tenetur stare promissioni. si Petrus fiat ingratus, nolitq; suam promissionem seruare, nam promissio censetur facta, cum tacita promissione, si stet promissis, aut si se ingratum non præbuerit. Ita Sanchez *in Summa lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 1.

Varij casus & modi iuramẽti explicantur.

Collige 3. Illum qui iurauit se soluturum alteri centum, posse vti compensatione, non soluendo, si alter sibi totidem debeat, nam promissio censetur facta cum tacita conditione, nisi aliunde satisfecero, vel compensauero. Ita Rodericus t. *p. c.* 192. *n.* 4. Layman *cap.* 9. *n.* 6. dum modo iurans non habuerit animum obligandi se alteri, non vtendo compensatione, nam talis promissio est absoluta, non conditionata.

Collige 4. Ille qui promisit aliquid absenti cum iuramento, poterit promissionem antequam acceptetur reuocare, quia censetur facta cum conditione si acceptetur. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 12. *dub.* 7. Limitat Bonacina *p.* 16. *n.* 2. modo promissio iurata, non sit facta per modum voti, vt patebit seq: Q.

Collige 5. Eum qui iurauit inimico se nihil damni illaturum non peccare contra iuramentum, si noceat ex noua causa superueniente intelligitur enim iuráſſe non nociturum ex causa præterita, nisi nouam dederit.

Collige 6. Iuramentum extendi non debet, vltra intentionem iurantis; iuramentum enim ad ea solum extenditur, de quibus verosimiliter cogitatum est, vel iure optimo cogitari debuit. Ita Syluest. *V. Iurament. 3. q. 1.*

Collige 7, Iuramentum præstitum circa materiam iuris, interpretandum est secundum limites iuris. Et sic qui iurauit seruare decreta & Regulas alicuius congregationis, aut statuta Reipublicæ &c. tenetur ea seruare, quæ sunt maioris momenti, & quæ sunt in vigore, (nisi aliter constet de mente iurantis) si ita interpretatum est, tale iuramentum à viris Doctis; seruandum esse sub peccato mortali. Ita Bonac. *p. 16. n. 2.*

Collige 7. Eum qui iurauit celare secretum sibi commissum, non peccare contra iuramentum detegendo secretum, quoties illud celare non potest, absq; graui suo, vel alterius damno, nam promissio secreti, censetur facta, cum hac conditione, modo non noceat. Ita Syluest. *V. iurament. 4. q. 15. & alij.*

Iuramentum strictè interpretandum.

Dico 2. Iuramentum in dubio strictè est interpretandum. Ita habetur *cap. 1. de iureiurando in 6. & l. quidquid astringendæ, ff. de verborum obligationibus.* Ita Roder. 1. *p. c.* 189. *n.* 10. Et sic soluitur illa difficultas, quomodo explicandum sit iuramentum, aut votum non ludendi, explicandum enim est & intelligendum de ludo illicito, nisi aliter colligatur de mente iurantis, aut vouentis. Ratio est, quia iuramentum restringendum est, vt quantum fieri potest minùs obliget, nam vbi agitur de obligatione contrahenda stricta interpretatio facienda est. *c. 1. de iureiurando in 6.* Hinc.

Collige Medicos non admonentes ægrum, vt confiteatur, illumq; visitantes, nondum facta post tertium diem confessione, peccare peccato periurij, vbi decretum Pii V. super hoc est receptum & dum speratur admonitio profutura. Ita Rodericus 1. *p. c.* 246. Bonacina *p. 16. n. 9.* 10.

ARTI-

ARTICVLVS XI.

Quid sit periurium, & quale peccatum.

Nota 1. Nomen periurij accipitur, vel generatim pro omni iuramento, cui ex tribus comitibus aliquid deest, nimirum, vel iustitia, vel iudicium, vel veritas, de quibus *Articulo 3. petito 2.* vel propriè pro iuramento cui deest veritas, siue præsens, vt si falsum sciens confirmes, siue futurum, vt fidem datam, & iuramento confirmatam, sine iusta causa non serues. periurium quid.

Nota 2. Actum iurandi esse bonum moraliter, benè circumstantionatum; tunc autem debitè est circumstantionatus, quando habet bonum finem intentum, & obiectum tam iuratum, quam per quod iuratur.

Dico 1. Omne periurium est peccatum. Probatur Tum quia quod est contra rectam rationem est peccatum. Sed periurium est cōtra rectam rationem. Ergo. Tum quia periurium plerúq; claudit in se mendaciū, quod est ex se malū. Tum quia omnis peierans contumeliā facit Diuinæ veritati, dū eā adducit ad cōfirmationē falsi.

Dico 2. Omne periurium deliberatè factum, est peccatum mortale. Ita D. Subt. *in 3. dist. 39. q. vnica.* Probatur Omne deliberatè factum contra præceptum Diuinum est peccatum mortale. Sed omne periurium, siue illud, quod est in iureiurando promissorio verbali doloso, siue quod est iuramentum promissorium verbale, & motale simul, & aliud quodcunq; est contra Diuinum præceptum. Ergo quodlibet est peccatum mortale. Minor probatur, quoniam periurium, quod est in assertorio iuramento, & illud quod est in promissorio doloso, siue sit de re licita, siue de illicita, est contra præceptum Decalogi *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Ergo. Confirmatur 1. Quia iurans tenetur sub mortali curare, quantum in se est, ne faciat Deum testem falsi, qui autem violat iuramentum promissorium, seu qui iuramentum non adimplet, dum non habet iustum impedimentum non adimplendi, quantum in se est, facit Deum testem falsi. Confirmatur 2. Omne peccatum pro quo infamia viro infligitur, & pœnæ graues, est mortale peccatum. Sed pœnæ periurij sunt graues, nam apud Scythas, & Ægyptios plectebantur Periurium est peccatum mortale.

bantur pœnâ capitis. Apud Indos, manuum, pedumq; extremorum abſciſsione. In multis locis punitur periurium abſciſsione manus. Iure ciuili ſunt infames, ſi periurium erat in nocumentum alterius, *l. Si quis maior C. de transactionibus.* Et iure Canonico ſunt infames *c. Infames.* Dixi *Deliberatè factum,* cùm enim iuramentum graue pariat obligationem, neceſſaria eſt illa aduertentia, & deliberatio, quæ ad grauem culpam requiritur.

PETES, 1. *Vtrum violans iuramentum in re parui momenti peccet mortaliter?*

An iuramentum in re leui ſit mortale.

Reſpondet D. Subtilis (*loco citato* §. *Quantum ad primum communiter conceditur.*) ex ſententia aliorum, vnum periurium leue, non eſſe peccatum mortale, ex propria verò ſententia dicit transgredientem iuramentum in re parua ſeriò promiſſa, peccare mortaliter. Ratio eſt, quia quod principaliter requiritur in iuramento, eſt veritas, quæ eſt eiusdem rationis in re parua, & magna. Ergo ſicut violans iuramentum in re magna, peccat mortaliter, ita & in re parua, niſi fortè promiſſarius non curet illam rem paruam, tunc enim obligationem condonat. Neq; par eſt ratio de voto, & de iuramento, nam in voto attenditur honor Dei, qui in re parua læditur ſolummodò leuiter, in iuramento vero principaliter attenditur veritas, ob cuius defectum grauis iniuria irrogatur Deo, cùm iurans videatur facere, vt Deus ſit adductus in teſtem falſi. Hinc

Iuramentum comminatorium an ſit ſeruandum.

Collige 1. Emittens iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna, quam iuſté poteſt infligere, tenetur iuramentum adimplere, modo eius adimpletio non ſit impeditiua maioris boni, aut non ſit ſublata cauſa propter quam adimpleri debeat. Et hoc verum eſſe dicit Bonacina *p.* 14. *n.* 3. ſi ſit comminatorium ad correctionem, nam ſi ſit comminatorium, ex paſſione, irâ, ſeu animo vindictæ inordinatæ, non debet ſeruari, quia non habet tale iuramentum materiam bonam, cùm fiat cauſa vindictæ.

Collige 2. Iuramentum promiſſorium, in quo non fuit dolus, incautela, aut coactio, obligat iurantem ad nunquam habendum oppoſitam voluntatem ei, cui iurauit. Ita D. Subt. in 3. *diſt.* 39. *q. vnica.*

PETES

PETES 2. Vtrum iurans ex consuetudine peccet mortaliter?

Ex consuetudine iurantes an peccent.

Dico 1. Qui habet consuetudinem iurandi, sed non mentiendi, non peccat mortaliter, etiamsi non conetur talem consuetudinem euellere. Ita Doctor Subt. *in 3. dist 39. q. vnica.* Vbi sic probat. Si primus actus non est peccatum mortale. Igitur nec quicunque alius, ex quocunque habitu fiat, nam habitus inclinans, non potest actum grauem reddere leuiorem, nec grauiorem, quantùm ad genus peccati, nam habitus genitus ex actibus semper inclinat ad actum eiusdem rationis, cum his ex quibus generatur. Ergo habitus & consuetudo ad rationem peccati nihil faciunt, sed deliberatio, & consensus in actum illicitum, & ideò periurium, non ex consuetudine, sed ex pleno consensu, cùm autem actus iurandi sit indeliberatè, non est mortalis.

Dico 2. Qui consuetudinem habet iurandi, & coniungendi mendacia cum iuramento, peccat mortaliter, si talem consuetudinem euellere non conetur. Ratio est, quia censetur esse in proxima occasione peccandi mortaliter, cùm illa consuetudo inducat ad coniungenda iuramenta cum mendacio, & æquè exponat periculo iurandi verum, et falsum, qui autem est in proxima occasione peccandi mortaliter, peccat mortaliter, quoties aduertit, & non conatur euellere. *Ita communiter DD.*

Collige Iurare incertum, vel dubium, maximè in condemnabilibus, (Si iudex accipiat iuramentum, vt simpliciter assertiuum iurati, ex quo conuictus aliquis per illud condemnatur ad mortem, vel ad aliam pœnam) est peccatum mortale, maximè si iuret falsum, quod verum putat, imò etiamsi verum iuret, quod tamen non est sibi omninò certum; Ita Doctor Subtilis *in 3. dist. 36. q. vnica.*

Notent iudices.

ARTICVLVS XII.

Quid sit, & quotuplex adiuratio?

Dico 1. Adiuratio est contestatio rei sacræ, cuius reuerentia, intẽdimus alterum promouere ad aliquid præstandũ. Ita S. Thom. *2. 2. q. 90. a. 1.* V. G. cum adducitur Deus, vel res sacra, vt eius amore, vel timore res petita obtineatur. Porrò alia est deprecatiua,

Adiuratio quid?

quæ fit deprecando, alia imperatiua, quæ fit præcipiendo, & timorem incutiendo per contestationem rerum sacrarum: Dæmones nō adiurantur adiuratione deprecatiua, quia hæc includit subiectionem, & submissionem, quæ cum dæmonibus illicita est, sed adiurantur adiuratione imperatiua, quia Ecclesia habet specialem in dæmones potestatem sibi communicatam, *Lucæ.* 1. vbi dicitur *Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis.* Adiuratione verò deprecatiua vtimur erga Deum, vel Sanctos, vel homines ad aliquid deprecandum, vt patet ex communi Ecclesiæ vsu, quæ verbis adiurationis finem orationis imponit. Per Dominum nostrum, &c.

Creaturæ quæ adiuranda. Dico 2. Sola rationalis creatura adiuranda. Ratio est, quia ipsa sola potest reuerentiā rerum sacrarum, & amore, vel timore Dei compelli ad aliquid agendum, & sic adiurari possunt homines viatores, & beati, Angeli boni, & mali, imò DEVS ipse per modum obsecrationis. Creaturæ verò inanimatæ, per se non adiurantur, sed quatenus respiciunt creaturam rationalem, vt cùm id aqua, vel sal exorcizatur, vt in eius vsu Deus assistat, & diaboli vires contundat, eumq; expellat, ità vt in illius vsu, nocere non audeat. Ita Bonacina *q. 1. p. vltimo. num.* 3. vbi aduertit *num.* 5. non licere adiurare dæmones, vt opem ferant ad fugandas grandines & similia. Ratio est, quia Christus Dominus, tantùm reliquit potestatem arcendi dæmones, non autem cum eis societatem habere: ob idq; neq; licitum esse adiuratori præcipere dæmoni superiori, vt inferiorem fuget.

PETES 1. *An qui adiuratur obligetur præstare id, quod ab eo petitur?*

Respondeo Si adiuratur inferior, & imperatiuè, tunc tenetur illi obedire, modò superior intendat imponere præceptum Ita Bonacina, *num.* 6.

PETES 2. *Ad quos pertinet potestas adiurandi, & expellendi dæmones?*

Respondeo Ad Clericos insignitos ordine Exorcistarum, quoties adiuratio fit secundùm ritum exorcismorum. Ita Delrius *Disquis. Magic. c.* 2. *q.* 3. *Sect.* 3.

PETES

PETES 3. *An liceat aliqua petere à dæmone, corpus humanum obsidente?*

Respondeo Licere solùm ea, quæ spectant ad aliorum vtilitatem, vel ad ipsum expellendum: & sic petere licet, quâ de causa ingressus sit, quod nomen habeat, quanta cum multitudine corpus illud obsideat. Ratio est, quia hæc sunt media ad dæmonem repellendum. Aduertant Exorcistæ, vt curiosa, & minùs necessaria non exquirant, quòd si aliqua dicat, non est illi credendum, quia est pater mendacij. Ita Delrius *loco citato*. Hinc. Notent Exorcistæ.

Collige In adiuratione posse committi peccatum, quoties sine debita reuerentia, & necessitate adiuratio fit.

ARTICVLVS XIII.

Quid sit, & quotuplex Mendacium, & quale peccatum.

Nota 1. Mendacium propriè loquendo, est locutio contra mentem, cum nimirum aliud loquimur exterius, aliud interius sentimus; nomine locutionis accipi potest omnis significatio, siue verbis fiat, siue gestu, siue alia ratione, potest enim mendacium fieri actibus, & gestibus, his enim sæpè vice verborum vtimur, vnde simulatio, est mendacium in gestu. Sicut autem ad veritatem tria requiruntur, nempe voluntas dicendi verum, ipsa locutio, & significatio mentis iudicio conformis, ita tria ad mendacium requiruntur, voluntas dicendi falsum, ipsa locutio, & significatio mentis iudicio contraria, ex quibus consequitur quartum, id est deceptio alterius. Sed hoc non est necessarium ad rationem mendacij, sicut nec intentio deceptionis, quia potest quis velle mentiri, vt non possit conuinci ex propria confessione, etiamsi norit alterum non crediturum, regulariter tamen qui mentitur, intendit falsam opinionem in animo alterius ingenerare, siue decipere, quare deceptio, est effectus ordinariè consequens mendacium. Mendacium quid? Ad ueritatem tria requisita. Tot & ad mendacium.

Nota 2. Mendacium esse intrinsecè malum, & indispensabile, ita D. Subtilis *in 3. dist. 38. q. vnica. n. 6.* Ratio est, quia si mēdacium Mendacium intrinsecè malum.

dacium licitè fieri posset, Deus per alium mentiri posset, vel dicere falsum, & sic non esset infallibilis testis veritatis, quod est contra S. Scripturam, & SS. Patres, ex quibus habetur non posse mentiri Deum. *num.* 24. *Ad Hebr.* 6. *Ad Titum.* 3. S. *Aug.* 22. *Ciuit. c.* 25. S. Ambros. *l.* 6. *Epistola.* 17. Ex quo sequitur. Mendacium non posse quoad materiam mutari, vt liceat, sicut furtum, & occisio, quia materia eius non est limitata, nec dependet ex dominio Dei, nam præcepta secundæ tabulæ non omnia sunt dispensabilia vt D. Subtilis tenet *in* 3. *dist.* 37.

Quomodo fiat mendacium.

Nota 3. Mendacium formaliter quatuor modis contingit. Primò quando quis affirmat aliquid esse, quod verè non est, & ipse cognoscit esse. 2. Quando quis negat aliquid esse quod verè est, & ipse cognoscit esse. 3. Quando scienter dubium pro certo affirmat. 4. Quando affirmat certum pro dubio. Ratio est, quia in his modis adest intentio dicendi falsum, & consequenter mendacium formaliter committitur, mendacium autem formaliter, & directè opponitur veritati, quæ sicut procedit ex affectu veri, ita vt locutio sit conformis menti, ita mendacium ex affectu falsi, ita vt oratio à mentis iudicio dissentiat, non quòd falsitas per se ametur, sed quia absolutè est volita, etsi propter aliud.

Dico 1. Mentiri est contra mentem ire, seu dicere contra mentem, Patet ex Notandis, maximè ex primo.

Mendacium varium.

Dico 2. Mendacium dupliciter diuidi potest, secundùm propriam rationem, vel vt opponitur veritati, vel ratione finis, ob quē committi solet, & sic est vel Iocosum, vel officiosum, vel perniciosum. ita D. Subtilis *loco citato n.* 7. Iocosum committitur causa recreationis absq; alterius damno; Officiosum committitur, dum intenditur bonū vtile alterius, vel fuga alicuius damni. Perniciosum cōmittitur intentione nocumēti alterius, quod est omniū pessimū.

Est peccatum mendacium.

Dico 3. Omne mendacium est peccatum. Ita D. Subt. *loco citato n.* 7. S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *estq; communis* DD. Probatur Tum quia omne illicitum est peccatum. Sed mendacium est illicitum. Ergo. Minor patet quia ex se dicit intentionem malam, id est intentionem decipiendi, ideò formaliter includit malum velle & sic non po-

non po-

non potest esse actus bonus. Tum quia est contra præceptum legis naturæ. *Quod tibi non vis alteri ne feceris.* Ergo omne mendacium est peccatum, Ex quo sequitur mendacium esse intrinsecè malum, imò adeò malum vt licitum fieri nō possit, licet bono fine committatur, vt ob finem conseruandæ vitæ propriæ, vel alterius, vt patet ex *c. Ne quis arbitretur.* 22. *q.* 2.

Dico 4. Non omne mendacium est peccatum mortale. est communis DD. nisi aliquis intendat decipere proximum in fide, & moribus, vel nisi materia sit mortalis.

Dico 5. Mendacium perniciosum, quod est nociuum ex se, vel nocet cui mentior, vel de quo mentior, est peccatum mortale, ex deliberatione factum, & circa rem non parui momenti. Ita D. Subt. *loco citato n.* 7. Probat sic Mendacium perniciosum prohibetur illo præcepto. *Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.* Non enim præcisé est falsum testimonium, quod datur, vel perhibetur in iudicio, sed etiam est falsum testimonium quando aliquis ex certa deliberatione asserit quod ignorat, vel cuius oppositum nouit esse verum, siue in iudicio, siue extra iudicium id fiat. Atqui transgressio grauis Diuini præcepti, est peccatum mortale. Ergo & mendacium quod est ablatiuum rei magni momenti, est peccatum mortale: Confirmatur Sap. 1. dicitur. *Os quod mentitur occidit animam.* Sed non occiditur anima nisi propter peccatum mortale. Ergo. Et Psal 5. dicitur *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Quando est mortale.

Dico 6. Mendacium tam officiosum, quàm iocosum, non est peccatum mortale, si fiat ex affectu veniali, si verò fiat ex affectu mortali, erit mortale. vt si quis propter seruandam vitam alicuius, ex amore præsentis vitæ illius supra Deum, mentiatur. Ita Aret. *in* 3. *dist.* 38. *a.* 5.

Iocosum & officiosum quale peccatum.

Dico 7. Ex circumstantia personæ, ex quo ipsa non est specialiter obligata, non transfert veniale in mortale. Vnde eum qui est in statu perfectionis exercendæ, (vt est Prælatus iudicando, & prædicando) peccare mortaliter mentiendo iocosè, vel officiosè. Ita D. Subt. *loco citato n.* 10. Quod ita explicat, si mendacium illud ita dicatur, vt non percipiatur esse dictum scorsum, & vt remotum ab

Quando Prælatus peccat mortaliter mentiendo.

actu docendi, vel iudicandi, nam si ex forma loquendi apparent manifestè dictum illud fuisse iocosè, & seorsũ ab actu docendi & iudicandi, non esset peccatum mortale. Ratio conclusionis est, quia vilescit auctoritas per talia, in similibus actibus.

Religiosi mentiendo quomodo peccāt.

Dico 8. Qui sunt in statu perfectionis addiscendæ, vt religiosi subditi, non magis tenentur ad vitanda mendacia iocosa, & officiosa ex vi status, quam alij. Ita D. Subt. *loco citato n.* 11. Est contra Sanctum Bonauenturam *in* 3. *dist.* 38. *art.* 1. *q.* 2. Alensem 2. 5. q. 139. & alios. Probat. Quia status tantũ ligat eos ad ea, quæ vouerunt. Sed hoc non vouerunt Religiosi. Ergo. Aduertit tamen D. Subtilis ibidem, quòd strictiùs Religiosi, & Sacerdotes teneantur vitare mendacia, ratione scandali, scandala enim actiua pusillorum sunt vitanda, iuxta illud Matth. 18. *Væ autem homini illi per quem scandalum venit.* Porrò scandala non data, sed accepta, non sunt vitanda, vt habetur Matth. 15. de Pharisæis.

Abraham non est mentitus.

Aduerte Quòd D. Subtilis excusauerit Abrahã à mendacio. Genes. 22. quia non dixit contra illud quod habuit in mente, nam licet intenderet immolare Isaac, credebat tamen eum miraculosè resuscitandum à Deo, & secum reuersurum ad pueros, vnde quando dixit. *Reuertemur ad vos,* dixit quod habuit in corde, atq; ita non fuit mentitus. Similiter D. Subt. *loco citato n.* 13. Excusat Iacob à mendacio in illis verbis. *Ego sum Esau primogenitus tuus;* quia secundùm Diuinam prouidentiam primogenitus erat, Rebecca enim mater Iacob, edocta erat ab oraculo, quod ius primogenituræ, debitum erat minori, vt patet Gen. 25. nam Deus iura, & dominia pro libitò æquissimè confert, quia ipsius sunt. Porrò Mendacium Ioseph dicit D. Subtilis *n.* 14. fuisse iocosum. Vide Aretinum 3. *dist.* 38. *q. vnica. a.* 14. Non excusat autem Raab. Rachel, & obstetrices.

Neq; Iacob.

QVÆRES.

Vtrum licitus sit vsus amphibologiæ, æquiuocationis, & simulationis?

Æquiuocatio est licita.

Quantùm *ad amphibologiam & æquiuocationem.* Respondet D. Subtilis *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *a.* 3. *& dist.* 21. *q.* 2. cum communi sen-

tentia

tentia Doctorum, licitam esse, quando iniustè interrogatur aliquis, & respondere cogitur. Ita Lessius *lib. 2. cap. 47. dub. 6.* Layman. *c. 13. n. 5.* Ratio est, quia in amphibologia, & æquiuocatione, non loquitur contra propriam mentem, sed vtitur oratione ambiguâ, iustâ accedente causâ. Vnde vti signis, vel rebus indifferentibus ex quibus scis alios decipiendos, mendacium non est, alioquin omnia stratagemata essent peccata. Et sic Iudith excusatur à mendacio à multis Doctoribus. Sicut & S. Athanasius, qui cùm à settellitibus ad necem quæreretur, quâ fugiebat nauiculâ conuersâ in contrariam fluminis partem, iis, qui se insequebantur ex industria occurrit, & quærentibus quantùm inde abesset Athanasius, respondit, eum non longè abesse. Hoc idem de S. Francisco legitur, vsum fuisse amphibologiâ, & de multis aliis.

Quantùm ad *simulationem*; Sciendum est iuxta D. Subtilem *in 3. dist 38. q. vnica ad vltimum.* simulationem posse fieri tripliciter. 1. Ostendere se habere aliqua bona, quæ non habet, & talis simulatio est hypocrisis, & ex genere suo peccatum mortale. Ratio est, quia talis simulatio est mendacium perniciosum, & consequenter peccatum mortale, & sic fingens se habere sanctitatem quam non habet, vt seminet errores, peccat mortaliter. 2. Quando aliquis per signa simulat se non habere peccata, & habet, mendacium enim est se Christianum dicere, & opera Christi non facere. 3. Quando aliquis vtitur signis, quæ ex natura sua non sunt signa, quæ significent id, ad quod assumuntur; talis simulatio est laudabilis, dummodò aliquid aliud non misceatur, & talis fuit simulatio Dauid, & secundùm aliquos simulatio Iehu. Inde. Simulatio quæ licita & quæ illicita.

Collige 1. Qui vitæ sanctitatem fingit, ad extorquendam Eleemosynam, qua verè indiget, non videtur reus mortalis culpæ. Ita Bonacina. *d. 10. q. 1, p. 2.*

Collige 2. Mulier quæ defectum virginitatis tegit, modis licitis, & tanquam Virgo matrimonium contrahit, non peccat grauiter. Ita *idem ibidem. n. 8.*

QVÆ-

QVÆSTIO V.
De Voto, Obligatione, & Relaxatione eius.

In hac Quæstione quærentur hæc quæ sequuntur.

ARTICVLVS I.
Quid ſit Votum.

Votum actus Religionis.

Nota Votum verum ac validum ex ſe, eſt actus Religionis, quod patet ex illo loco Iſaiæ 19. *Illa die cognoſcent Dominum AEgyptij, & colent eum in muneribus, & vota vouebunt, & ſoluent,* vbi tam vouere, quàm ſoluere ponuntur inter actus Diuini cultus; per votum enim redditur cultus Deo, non quidem præceptus, ſed ſpontaneus, quidquid enim offertur, ſiue promittendo, ſiue offerendo, ſiue exhibendo, non offertur ei, niſi per modum cultus, nulla enim commoditas, vel vtilitas Deo ex operibus noſtris, ſed tantùm honor, & gloria, nam alterius commodi, non eſt capax, & ideò promiſſio Deo, ſolo honoris & cultus titulo, fieri poteſt.

Quid ſit votum.

Dico Itaq; Votum eſt voluntaria, & deliberata promiſſio, facta ſoli Deo, de aliquo meliori bono. Ita communiter DD. Dicitur, *promiſsio*, vt indicetur ad votum non ſufficere propoſitum, votum e-

tum enim inducit obligationem, propositum verò non, quia natura simplicis propositi variabilis est, consequenter proponens aliquis facere, potest mutare propositum; illudq; non facere, iuxta illud, *Sapientis est mutare consilium*, seu *propositum*. Dicitur *deliberata*, ad votum enim sequitur plena animaduersio, vnde amens tempore amentiæ inualidè vouet. Dicitur *voluntaria*, votum enim debet esse voluntarium. Vnde votum metu graui extortum, vel dolo, aut errore factum circa substantiam, vel causam finalem extortam, non habet vim voti, quia non adest sufficiens voluntarium circa votum. Dicitur *promissio facta soli, Deo*. cùm enim votum sit actus Religionis, non potest fieri nisi soli Deo, mediatè, vel immediatè, tacitè, vel expressè, vt patebit *Articulo* 4. Dicitur *de bono aliquo meliori*. per hoc indicatur materia voti, quæ debet esse bona, & honesta, non tamen intelligas *de meliori*, ita vt id, quod vouetur debeat esse optimum, sed ita intelligitur, vt sit melius, quàm eius oppositum, quia materia voti debet esse aliquid Deo gratum : id autem est Deo gratū, quod est melius quàm eius oppositum. Ita Rodericus 2 .p. c. 94. *cum communi sententia Doctorum*. Explicatur definitio voti.

ARTICVLVS. I.

Quotuplex sit votum?

Dico 1. Votum aliud est personale, quo Deo promittitur aliqua actio ipsius personæ, vt oratio, peregrinatio &c. vel aliqua omissio, vt abstinentia à ludo &c. Reale, quo res aliqua promittitur Deo, vt Eleèmosyna. Mixtum includit personale, & reale, vt cùm quis vouet peregrinationem Czestochouiam, cum intentione offerendi aliquid. Voti diuisio.

Dico 2. Votum aliud est expressum, quod verbis illud exprimentibus celebratur. Aliud est tacitum, quod non fit verbis illud exprimentibus, sed quatenùs aliquid fit, cui est annexum votum, vt cùm aliquis suscipere intendit maiores ordines, tacitè emittere vult castitatis votum.

Dico 3. Votum aliud est simplex, aliud sollenne. Pro intelligentia.

Nota Ex D. Subtili *in 4. dist. 38. q. vnica n. 2.* Quòd ratio voti solennis, & simplicis, non consistat in hoc, quòd illud sit publicum, hoc priuatum, quia è contra potest eis contingere, solenne enim potest esse priuatum, & simplex publicum, sed in hoc consistit votum solenne, quòd habeat annexam quandam Ecclesiæ institutionem, ratione cuius debet in publicum venire, & sic vouens alterius potestati subiicitur: & tale votum tantùm fit in professione tacita, vel expressa in Religione approbata, & in susceptione maiorum ordinum, omne autem votum, quod non est his duobus modis solennizatum, est votum simplex. Ita definitum est *cap. vnico. de voto in 6.* Ex quo sequitur quòd votum solenne, & simplex, ratione obiecti sunt eiusdem speciei, quia eadem est materia, & obiectum vtriusque voti scilicet continentia; tamen transgressio voti solennis, est grauior ratione perfectioris status. Hinc

Ratio voti solennis, & simplicis.

Collige 1. Quòd votum solenne, & votum simplex differunt. Patet. Quia votum solenne dirimit Matrimonium etiam consummatum. Et sic Religiosus professus inualidè, & illicitè contrahit matrimonium. Definitum est in in iure, *cap. citato.* & in multis Concilijs nouissimè in Tridentino *Sess. 24. Can. 9.* Ratione probat D. Subtilis sic. Quia Ecclesia illegitimauit sic vouentem, & hoc fuit rationabile, quia ipse posuit se in potestate Ecclesiæ, quantùm ad oppositum eius, ad quod est contractus Matrimonij. Vouentem autem priuatè, non illegitimauit, quia non sic se posuit in eius potestate, sed quia se posuit in manu Dei ad oppositum seruandum, & consuluit animæ suæ apud Deum, ne transgrediatur, nam Ecclesia reliquit eum iudicio Diuino, Vnde votum simplex continentiæ, & Religionis, licet impediat contrahendum, non tamen dirimit contractum. *C. Rursùs Qui Clerici, vel vou.*

Differt solenne à simplici.

Collige 2. Professio facta in approbata Religione, dirimit Matrimonium celebratum ante professionem, modò Matrimonium sit tantùmmodò ratum, & non consummatum; consequenter coniugatus, si ante consummatum Matrimonium professionem faciat in Religione approbata, liber remanet ab obligatione Matrimonij, eò quòd ipsius Matrimonium dissoluatur per professionem sequentem.

quentem. ita Trident: *Sess.* 24. *cap.* 4. Ratio est, quia hic effectus ex priuilegio Diuino fuit concessus professioni in Religione. quod non est concessum consecrationi Episcopi, vel susceptioni ordinis. Porrò Matrimonium consummatum, celebratum ante professionem, non dirimitur per subsequentem professionem; patet, quia nullo iure constat ipsum dirimi.

Collige 3. Solum votum castitatis factum in manu Prælati, absq; voto obedientiæ, & paupertatis, etiamsi fiat intra Religionem, non est votum solenne: requiruntur enim tria simul, in quibus radicaliter stat omnis perfectio, & per quæ tāquā in radice consecrantur omnes operationes vitæ Religiosæ. Ita Angelus *Verbo votum.* Laurent. de Portel. *Verbo Votum. n.* 25.

Dico 4. Votum aliud est absolutum, quod sub nulla conditione concipitur. Aliud conditionale, quod fit sub aliqua conditione; Vnde Votum factum sub conditione contra naturam, & substantiam voti, aut rei quæ voto promittitur est inualidū. *cap. finali, de conditionibus appositis.* V. G. qui vouet Religionem ea conditione, vt aliquid proprii reseruet, inualidè vouet, quia conditio apposita, repugnat professioni Religionis, in qua emittitur votum paupertatis, cui repugnat proprietas. Ita Syluester. *Verbo Religio.* 3. *quæst.* 3. Sanchez. *lib.* 4. *cap.* 23. *n.* 10, Hinc. Votum absolutum & conditionatum.

Collige 1. Votum factum sub conditione impossibili inualidum est. Ita Syluester *loco citato.* Ratio est, quia vouens sub conditione, non vult obligari, nisi ea conditione posita, cūm autem conditio impossibilis poni nequeat, fit vt vouens non remaneat vinculo voti obstrictus.

Collige 2. Votum factum sub conditone turpi, vt plurimúm esse inualidum, quando vouens cupit talem conditionem euenire. Ratio est, quia vouens sub conditione turpi, moraliter loquendo, dirigit voluntatem ad malum finem, consequenter censetur vouere ad malum finem, votum autem factum ad malum finem, non obligat. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 5. *n.* 36. Si verò cōditio turpis apponatur solùm per modum conditionis, nec vouens ad illam dirigat votum, censeo votum valere, siue vouens intendat Conditionata vota quæ valida.

 illam

illam conditionem adimpleri, siue non. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad votum, nimirum intentio, materia honesta, & finis honestus, vt suppono, nec votum pendet ab ea re turpi, nisi tanquam à conditione. Ita Angelus *Verbo Votum.* 1. Sanchez. *lib.* 4. *c.* 6. *num.* 17. Suarez. *lib.* 2: *c.* 5. *de voto.*

Collige 3, Votum factum sub conditione honesta contingente, obligare adimpletâ conditione. V. G. vouens dare Elèèmosynam si sanitatem recuperabit, illâ recuperatâ, tenetur dare. Ita Sanchez. *lib.* 4. *c.* 23.

Collige 4. Vouens aliquid sub conditione futura; non potest facere quicquam, quo se reddat ineptum ad Voti executionem sècutá conditione, modo conditio sit possibilis, & moraliter reddatur euentura. *&* modò conditio non pendeat à voluntate vouentis. V. G, si aliquis voueret suscepturum se sacros ordines, si beneficium aliquòd à Deo obtinuerit, talis non potest matrimonium contrahere, ante illud beneficium obtentum, maximè si conditio sit possibilis. & adimpletio conditionis non pendeat à voluntate vouentis. Ita Roder. 2. *p.* *c.* 98. Syluest. *Verbo Votum.* 2. *n.* 2. Layman *cap.* 6. *num.* 2.

Collige 5. Promittens certam Elèèmosynam alicui, si Deus eum præseruet ab aliquo peccato, tenetur ad Eleemosynam, si spontè peccet, ne ad illam teneatur. Ita Syluester *loco citato.* Suarez, *lib.* 4. *de Voto. cap.* 17. *num.* 9. *&* 15. Addit Layman. *num.* 2. Non peccare vouentem, si appositam conditionem euitet, vel impediat, ne voti obligationem contrahat; nisi lege, aut præcepto obligatus sit ad conditionem seruandam, tunc enim peccabit contra virtutem Religionis, nisi seruauerit. Ratio est, quia vouens non censetur se voluisse obligare, nisi positá tali conditione, quamuis ergo ex causa, vel culpa vouentis conditio non ponatur in esse, votum non obligat. Ita Suarez. *loco citato.* Bonacina. *Disp.* 4. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 7. verùm probabiliùs videtur oppositum *in Corrolario* 5. *positum.*

ARTICVLVS III.

Quid ad Votum requiratur?

Dico I.

Dico 1. Ad Votum requiritur deliberatio rationis, quæ necessaria est vt actus voluntatis sit simpliciter liber, ita vt fiat cum dominio simpliciter morali, id est sufficiente ad actum simpliciter humanum. Ita Caietanus 2. 2. q. 130, *art.* 1. Syluester *Verbo iuramentum* 4. *n.* 4. Nauarrus *c*, 12. *num.* 24. 25. Suarez. *lib.* 1, *c. de Voto. n.* 6. & 7. Ratio est, quia votum est quædam lex priuata, quá quis se Deo obligat, nemo autem censetur se velle obligare, nisi plenam habeat deliberationem eius, quod facit, consequenter si semiplenam tantùm habeat deliberationem, votum non tenet: nec obligat sub mortali, aut veniali. Ex quo sequitur plenam deliberationem non habere illos, qui repentino quodam motu vel consuetudine, vouent, vel iurant, non aduertentes quid faciant. Porrò Plena & perfecta animaduersio censetur illa, quæ sufficit ad mortale, in materia peccaminosa: huiusmodi autem perfectam deliberationem defuisse non est sufficiens iudicium, quod vouentem statim pæniteat voti, nam homo mutatis circumstantiis. facilè mutatur, & multi multos contractus ineunt, quos statim pœnitet celebrâsse. Ita Angelus *Verbo Votum* 10. *n.*6. Sanchez. *lib.* 4. *c.* 1. *n.* 10. Deliberatio ad votum requiritur.

Dices Cum animaduertentia imperfecta, potest homo peccare mortaliter. Ergo poterit etiã obligare se, cum tali animaduertentia imperfecta.

Respondeo Nego Sequelam, quia promissio debet esse volita directè, ad peccatum verò satis est, vt sit inuoluntarium indirectum. Hinc

Collige 1. Amens tempore amentiæ inualidè vouet: Secùs si voueat cum habet lucida interualla. Item validè vouet, qui votum emittit ex calore iracundiæ, modò tantus non sit, vt vsum rationis abstulerit. Ita Layman. *c.* 7. Amens an vouere possit.

Collige 2. Quando votum est in se volitum, sufficit deliberatio virtualis; vt si quis animo vouendi incipiat ceremonias, sed cùm peruenit ad formam voti, animo distrahitur ad alia, talis enim validè vouet, quia habet deliberationem virtualem sufficientem ad votum. Quandò verò votum non est volitum in se, non sufficit deliberatio virtualis. Deliberatio virtualis sufficit.

In voto voluntas debet esse libera. Dico 2. In vouendo debet esse voluntas libera, nimirum, vt non metu, vel dolo, iniustè votum extorqueatur: votum enim metu graui & iniurioso extortum, est irritum, vt patet *cap. Perlatum* & *cap. Abbas de iis quæ vi.*

Aduerte hic votum factum ex metu graui illato à causa intrinseca, validum est, & obligat, V. G. qui vouet aliquid intuitu morbi, Ratio est, quia huiusmodi votum spontè emittitur, estq; vouenti gratum, & bonum. Porrò votum factum ex metu graui incusso ab extrinseco, non ad extorquendum votum, sed ad alium finem validum est. V. G. aliquis fugiens hostem, vouet Religionem, vt Deus præpotens illum seruet incolumem: quia metus non est causa directè voti, sed occasio. Votum verò factum ex metu graui iniustè incusso à causa extrinseca, seu libera, ad extorquendum votum, inualidum est, saltem iure Ecclesiastico modo vouens cognouerit illum metum sibi incuti ad extorquendum votum. Ita Sanchez. *cap. 3, num. 9.* Valentia 2. 2. *disp. 6. q. 6. puncto. 4.* Patet *ex cap. Dilectus, de iis quæ vi.* vbi decernitur votum fuisse validum, nō factum per metum grauem. Ergo factum per metum grauem, non est validum. Metus gravis. Metus verò grauis dicitur ille, qui cadit in constantem virum, quo eligitur minus malum, vt maius malum probabiliter imminens fugiatur, quod non possit facilè impediri. Leuis. Metus autem leuis, quo maius malum eligitur ad fugendum minus, & talis metus non irritat votum. Ita Emmanuel Sa. *Verbo metus num. 3.* Nauar. *cap. 12. n. 51.* Dixi in Conclusione (iniurioso) quia metus iustè incussus, non irritat votum: nulla enim fit iniuria vouenti, ratione cuius votum debeat esse inualidum. Inde

Nota. Collige nullum esse votum professionis, à fæmina emissum, ob timorem patris, minantis graues iniurias, etiam citra mortem, aut exilium. Ita Sanchez. *loco citato n. 22.* Bonacina. *Disp. 4, q. 2. p. 3. n. 7.* Similiter illum non teneri voto castitatis, qui metu cadente in constantem virum, accessit ad suscipiendos sacros ordines: Ita Sanchez. *lib. 7. de Matrim. disp. 29.* Angelus; Sotus, apud eundem.

Dico 3. Votum factum per errorem, aut dolum versantem circa substantiam, & rem, promissam, non obligat. Ratio est, quia

per ta-

per talem contractũ irritatur contractus onerosus, vt dixi in Æquilibrio. Ergo multò magis irritatur votũ, quod est promissio gratuita, & liberalis; nihil enim est magis contrarium consensu, quàm error; de ratione autem voti, est promissio voluntaria, vt dictum est.

Dico 4. Votum simplex factum per errorem, & dolum, circa causam finalem, & motiuam, non est validum. Ratio est, quia tale votum censetur factum sub tacita conditione, si causa finalis, & motiua subsistat. Causa igitur finali non subsistente, votum non subsistit. Ita Less. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 2. *num.* 12. Dixi (votum simplex,) quia votum solenne, non irritatur per dolum & errorem, circa causam finalem: quia sicut Matrimonium non irritatur per talem errorem, vel dolum, ita nec votum solenne, quod est veluti matrimonium spirituale cum Christo. Votum simplex quando irritum.

Dico 5. Votum factum per errorem, vel dolum, circa causam tantùm impulsiuam, validum est. Patet quia adest sufficiens voluntarium; vouens enim intendit, & vult promittere subsistente causá finali; cum voueat ob causam finalem. Ergo subsistente causá finali validum est votum, quamuis adsit error, vel dolus circa causam impulsiuam. V. G. vouens tradere Eleemosinam alicui ex motiuo paupertatis, sed libentiùs adhuc vouit, eo quòd credat illum probum esse, tenetur votum seruare, quamuis is sit improbus. causa verò finalis, vel impulsiua, cognoscitur ex affectu, quo quis mouetur ad vouendum. V. G. si vouens magnum habeat affectũ ad rem præstandam voto promissam, præcisa causa finali, censetur causa impulsiua: Si verò magnum habeat affectum, & desiderium obtinendi rem, quæ mouit ad vouendum, censetur causa finalis. Causa impulsiua nō irritat.

Dico 6. Si quis intendat vouere, interiùs tamen nolit se obligare, probabiliùs est talem non teneri voto. Ita Nauar. *c.* 12. *n.* 27. Angelus *Verbo Votum.* 1. *q.* 7. *& alij.* Ratio est, quia actus ille est irritus, cui apponitur, aliqua conditio, vel clausula, quæ est supra substantiam actus. V. G. si quis dicat se vendere rem, & nolit eam alienare à se, ita in proposito. Ergo.

ARTICVLVS IV.

Cuinam votum fiat?

Dico

Votum Deo soli fit.

Dico 1. Votum propriè soli Deo fit. Probatur Cùm enim votum sit actus Religionis, quæ respicit Deum, illi soli, fieri potest, mediatè, vel immediatè, tacitè, vel expresse.

Dico 2. Vota possunt fieri Sanctis, id est quatenùs fiunt Deo in Sanctis, vt dum vouemus Deo nos facturos, quod promittimus Sanctis. Pro intelligentia.

Quomodo fiunt vota Sanctis.

Nota Tribus modis posse fieri vota Sanctis. Primò Quando promissio verè & propriè soli Deo fit, quamuis id quod promittitur, cedat in cultum, seu in honorem Sancti: nam sæpè actio, quæ exercetur circa vnam personam, potest promitti alteri personæ, & non illi circa quam versatur, V. G. si quis promittat Petro, dare filio eius centum florenos aureos pro studijs, donatio quidem circa filium exercendam est promissio, tamen non fit filio, sed soli patri: eodem modo possumus Deo promittere, talem imaginem alicui Sancto erigere. Secundo modo possumus promittere aliquid Sancto vnica solùm promissione ad illum ordinata, nulla alia promissione Deo immediatè facta, siquidem promissiones hæ duæ sunt distinctæ, nec vna pendet ab alia. Ergo homo potest facere priorem, & non adiungere posteriorem, & talis promissio dum fit alicui Sancto, fit ei, non solum quâ rationalis est, sed etiam quâ sanctus est, & sic talis promissio altior est, quam ciuilis & humana: non tamen est illa, quæ fit Deo soli, ac proinde ista promissio non est votum propriè dictum; potest tamen dici hæc promissio religioa, non quidem vt à virtute religionis elicita, sed vt res quædam sacra, & quæ in actibus religiosis, & sanctis versatur: propriissimè itaq; talis promissio dicitur actus Duliæ. Tertio modo dicuntur Vota fieri Sanctis, quatenùs fiunt coram ipsis tanquam testibus, ad maiorem reuerentiam, aut tanquam intercessoribus, ad consequendum id, propter quod vota emittuntur. Et sic dum in Religionibus tempore professionis forma talis adhibetur; Voueo Deo, Beatissimæ Virgini, Sancto Franscisco, & omnibus Sanctis, ista verba perferuntur ad Sanctos, vt ad testes, & intercessores. Et licet nonnulli vouentes, hunc modum in votis Sanctorum, non intelligant, neq; intendant, eorum

tamen

tamen intentio piè explicanda est, prout videlicet Ecclesia Sancta docet, & intendit. In quibusdam Religionibus, clariùs forma professionis profertur. Voueo Deo, coram B. Virgine Maria, & tota curia cælesti.

Dico 3. Vota facta Episcopo, aut alteri Prælato, fiunt Deo in personis præfatis. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 3. Suarez. *lib.* 1. *de Voto c.* 16. *n.* 5, Nauar. *c.* 12. *n.* 25. *& alii. Hinc*

Collige Votum ab eo non emitti, qui homini dicit. Promitto tibi me non ampliùs accessurum ad domum suspectam, seu me non ampliùs lusurum, quia hæc promissio non fit Deo, sed homini, vt docet Sanchez. *in opere morali lib.* 4. *c.* 1. *n.* 42. Similiter qui promittit aliquid alicui Sancto, animo se obligandi soli Sancto, non autem Deo, cùm hæc promissio non sit facta Deo, sed homini Sancto, consequenter non est votum, nec actus Religionis Diuinæ, sed singularis obseruantiæ. ita Sanchez. *loco citato. num.* 43.

promissio homini non est votum.

ARTICVLVS V.

Quænam sit materia Voti?

Dico 1. Opus malum, non potest esse materia voti, consequenter si votum fiat de re mala inualidum est. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. D. Subt. *in* 4. *dist.* 30. *q.* 2. *num.* 4. Ratio est, Quia Votum cùm sit actus Religionis debet fieri de re, quâ Deus colitur. Sed Deus opere malo non colitur. Tale votum fuit Iephte, qui vouit offerre in holocaustum. quidquid ei esset obuium redeunti ex victoria, *Iudicum.* 7. qui filiam obtulit in sacrificium. Lyranus tamen noster, & alii recentiores dicunt, non obtulisse occisione corporali, sed ciuili duntaxat, eam ab hominum consortio segregando. Hinc

Opus malum non est materia voti.

Factum Iephte.

Collige 1. Votum de re à superiore prohibita, inualidum est, quia est de materia illicita: votum verò rei licitæ factum ab eo, qui prohibetur vouere, validum est, licet vouens peccet vouendo contra præceptum superioris. ita Sanchez. *lib,* 4. *c.* 6. *n.* 3. Ratio est, cur sit validum, quia materia ipsius est, vt suppono licita. Vnde qui iusta de causa, vouit se amplius non emissurum votum, absq;

 consi-

consilio confessarij, teneatur stare voto facto, contra prius votum de non vouendo, quamuis peccet vouendo, non præmisso confessarii consilio.

Vota indiscreta. Collige 2. Inualidum esse votum de immoderatis macerationibus corporis, quæ iuri naturæ aduersantur, maximè si macerationes coniunctæ sint, cum periculo mortis, aut alicuius morbi, vel impeditura sunt vouentis officium.

Materia voti debet esse bona. Dico 2. Opus quod voto promittitur, debet esse moraliter bonum. Ratio est, quia materia voti debet esse res ad cultum Dei pertinens. Ergo debet esse bona.

PETES Quale sit peccatum vouere actum malum?

Peccatum st vouere malum. Respondeo . Vouens opus malum, vel bonum ad malum finem, peccat duplici peccato mortali, si materia, & finis sit mortalis: Quòd si sit actus malus venialis, aliqui tenent, votum illius esse tantùm veniale. Ita Syluester V. *Iuramentum* 2. q. 2. Sotus *l.* 7. *de Iustit. q.* 1. *art.* 7. Sed contrarium videtur probabilius, vt docet Caietan. in Summa *Verbo Votum. cap.* 3. Bonacina. *Disp.* 4. *q.* 2. *p.* 4. §. 1. *n.* 10. Dixi (peccat duplici peccato) vno propter affectum, quem vouens habet ad opus prauum: altero contra Religionem voti, cùm faciat irreuerentiam Religioni, volendo se obligare ad peccatum. Addunt aliqui quod est tertium peccatum blasphemiæ, quando id attribuitur Deo, quod non potest habere. Ita Nauar. *loco citato, n.* 33. Hinc

Causa impulsiua non inualidat. Collige 1. Si quis ita voueat, vt malus finis solùm sit ratio applicationis ad votum, seu causa impulsiua ad votum, V. G. si quis voueat Religionem, vt lautè viuat, validè vouet, quia lautus victus, non est finis primarius voti, sed est tantùm causa impulsiua. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 5. *n.* 36. Nauar. *c.* 12. *num.* 39.

Collige 2. Quando opus bonum vouetur, ad consequendum bonum ex aliquo malo, seu supponens actionem malam, vt si quis voueat Religionem, si ex duello incolumis extiterit, vel si ex fornicatione filium susceperit, tunc votum tenet, quia incolumitas, filius, non sunt quid malum, sed bonum, licet duellum, fornicatio sint peccata. Ita Bonacina *Disp.* 4. *q.* 2. *p.* 4. §. 1. *n.* 8. Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 5. *& alij.*

Collige

Collige 3. Si quis ita voueat ob malum finem, vt prauus ille finis, sit finis, & voti, & operis, tunc votum est inualidum, V. G. si quis voueat Eleemosynam, ad impetrandam vindictam, vel turpes amores, quia opus bonum, non potest esse materia voti, dum dirigitur, & ordinatur ad malum obtinendum. Similiter votum non est validum, quando vouetur opus bonum, ad agendas gratias pro malè fine obtento; nam Deus non acceptat aliquid, vt sit auctor peccati, aut in gratiarum actionem, quasi fuerit auctor peccati, Ita Bonacina *loco citato*. Lessius *loco citato*. Ob finem malum vouere non licet.

QVÆRES I.

Vtrum Votum possit de omni actu bono fieri?

Dico 1. De actu bono qui non est in nostra potestate, non potest fieri votum, V. G. si quis voueat se nunquam peccaturum venialiter, quia sine speciali gratia non possumus euitare venialia in hac vita; nullus verò rationabiliter alteri promittit, quod non est in sua potestate. Ita Rodericus. *cap.* 94. *n.* 4. Suarez. *lib.* 2. *de voto c.* 3. validum autem putant votum fugiendi omnia peccata mortalia; quia est votum de re moraliter possibili, cum gratia Dei. Hinc De quo actu bono fit votum.

Collige Emittens duo vota incompossibilia, eodem tempore adimplenda, inualidè vouet; Secùs si diuerso tempore sint adimplenda, Ita S. Antoninus 2. *p. tit:* 11. *c.* 2. Sanchez. *lib.* 4. *c.* 5. *n.* 22. apud Layman. *c.* 2. *n.* 4. Si quis plura vota eaq; impossibilia edidit, seruare debet quod dignius est; alioquin prius præfertur posteriori.

Dico 2. Opera aliâs præcepta possunt esse materia voti. Colligitur ex S. Thoma. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Layman. *n.* 9. Probatur 1. *Gen. c.* 28. Votum fecit Iacob, se Deum solum culturum pro Deo, id enim sonant illa verba. *Erit mihi Dominus in Deum*. 2. Religiosi per votum castitatis, non solùm vouent abstinentiam à nuptiis, sed etiam continentiam â fornicationibus, quæ tamen cunctis est præcepta. Confirmatur Iuramento possum me obstringere ad ea seruanda, ad quæ aliâs tenebar, cur non etiam voto? Opera aliâs præcepta sunt materia voti.

Dices Votum si inducat nouum vinculum supra præcepti vinculum. Ergo si bis eandem rem aliquis voueat, inducetur duplex vinculum.

Respondeo Nego Consequentiam, aliud enim est vinculum præcepti, & aliud voti, & diuerso fundamento vtrumque nititur, & sic obligationi præcepti, potest obligatio ex voto superinduci, votum autem eodem semper fundamento nititur, etiamsi pluries multiplicetur.

QVÆRES II.

Vtrum res indifferens possit esse materia voti?

Votum de re indifferente non est validũ.

Dico 1. Votum de re indifferente, non est validum. Ita Nauar. *cap.* 12. *num.* 37. Syluester *Verbo Votum* 1. *q.* 4. Rodericus 2. *p.* *c.* 94. *n.* 6. Layman. *cap.* 2. *num.* 8. & alij. Ratio est, Tum quia materia voti debet esse res ad cultum Dei pertinens, votum enim est actus Religionis, res autem indifferens, non pertinet ad cultum Dei, quia non habet rationem mali, nec boni. Tum quia res indifferens, non est magis Deo accepta, quàm eius opposita: votum autem debet esse de meliori bono quàm eius oppositum. Inde sequitur 1. Inualidum esse votum, quo quis vouit non abscindere vngues die Sabbati, in honorem B. Virginis, quia abscissio vnguium, nihil confert ad honorem Dei. Sequitur 2. Inualidum esse votum illius, qui vouit adire aliquam ciuitatem, causa illius inuisendæ, secùs si fiat causa inuisendæ alicuius sacræ imaginis. Ita Nauar. *loco citato* & *alii*.

Res indifferens potest esse materia voti.

Dico 2. Res indifferens, potest esse materia voti, his conditionibus concurrentibus. Primò quando adest honestus finis: V. G. non transire per talem viam, si ibi adest occasio peccandi. 2. Si materia indifferens inseruiat ad bonum finem consequendum, V. G. votum non nendi in die Sabbati, in honorem B. Virginis, est inualidum, esset verò validum, vt vouens possit illo tempore recitare Rosarium, nam abstinentia à nendo, conducit occasioni recitandi Rosarium, quæ impediebatur per illud opus. 3. vt bonus finis sit intentus

tentus à vouente; nam si finis non intendatur à vouente, res manet indifferens, si verò finis honestus intendatur; ab eo cohonestatur. 4. conditio, vt honestus finis, tempore voti non cessauerit. Ita Bonacina. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 4. §. 2. *num.* 4. *citans multos authores*, Hinc.

Collige 1. Vouens si dubitet, an materia promissa sit indifferens, vel bona, tenetur votum implere. Ita Rodericus *c.* 94. *n.* 7. Patet tùm quia possessio stat pro voto. tum quia in dubio jus præsumit pro valore actus. *C. de Abbate, de verborum significat. & l. quoties de rebus dubiis.*

Collige 2. Votum rei bonæ, factum ob finem indifferentem, validum est; quia est de bono meliori, quàm sit eius oppositum. Ita Angel: *V. Votum & alij.*

Collige 3. Votum factum ad obtinenda bona temporalia, valet, modo non vitietur ex alia circumstantia, Ita Sanchez. *lib.* 4. *cap.* 7.

Dico 3. Quando materia voti, partim est bona, & partim indifferens, partim possibilis. & partim impossibilis, partim honesta, & partim turpis, validum est quoad partem bonam, possibilem, & honestam. Ita Suarez. *lib.* 2. *de voto cap.* 3. Layman. *c.* 2. *n.* 3. Ratio est, tum quia vtile, per inutile non vitiatur. *C. vtile. de Regulis iuris in 6.* Tum quia hoc votum censetur factum per modum plurium votorum, licet ergo votum rei indifferentis, impossibilis, & turpis, sit inualidum, tamen rei bonæ, possibilis, & honestæ, est validum, modò tamen vouens, non promiserit rem bonam, & malam, per modum vnius, vel vnam, dependenter ab alia, tunc enim ad neutram tenetur partem, si alteram adimplere nequeat: quia vouens non intendit se ad vnam partem obligare, nisi etiam se obligaret ad aliam. Hinc

Quando materia voti est bona, & indifferens.

Collige 1. Vouens adire CZestochouiam pedes, si postea laborare cœpit ex pedibus, tenetur curru adire. Ita Syluester. *Verbo Votum* 2. *q.* 1.

Collige 2. Vouens duo, principale, & accessorium, tenetur seruare primum, si alterum seruare nequeat, nam principale nó cessat, cessante, accessorio: non tenetur autem ad accessorium, qui

principale seruare non potest, nisi hoc intenderit: patet, quia hæc præsumitur rationabilis intentio vouentis, qui censetur se solùm obligâsse ad accessorium, dependenter à principali, seu ad vtrumq́; per modum vnius, V. G. qui vouit adire Romam indutus sacco, si Romam adire nequeat. non tenetur se induere sacco: Ita Sanchez. *cap.* 10. *num.* 10.

PETES *An votum, promissio, & gesta contra prius votum sint valida?*

Dico 1. Promisio de re aliqua, contra prius votum validum, est inualida; V. G. qui promisit Deo castitatem, & postea alteri promittit matrimonium, inualidè promittit, quia est promisio de re illicita.

Dico 2. Gesta rei ex se licitæ, contra prius votum, sunt valida. Ratio est. quia votum non reddit vouentem inhabilem ad agendum. Ergo ipsius acta sunt valida. Inde sequitur validum esse matrimonium factum ab eo, qui simplex votum castitatis habet, nam est actus rei ex se licitæ; grauiter tamen peccat contrahendo, quia facit cōtra votum castitatis, & debitum petere nō potest absq; dispensatione, vt infra dicetur.

ARTICVLVS VI.

Quænam personæ vouere possint,

Nota Differunt inter se votum, & propositum rei alicuius faciendæ; nam per votum voluntas resolutè deliberatè, & cum obligatione proponit: at per propositum, non resolutè acceptat. Signa verò an fuerit propositum solùm sunt hæc. 1. Si paulò antequā deliberauit, vel paulò post, dubitat an voluerit se obligare, est signū solius propositi. 2. Si verba ore, aut mente prolata indicant solùm propositum, & non promissionem, vt si dixit, *Faciam hoc.* Tertiò quando quis est certus de verbis promisionis, & consideratis omnibus circumstantijs. adhuc dubitat, credendum est fuisse verum votum. Ita Laurent de Portel. *V. Votum. n.* 5. Nauar, *lib.* 4. *Consiliorum titulo de voto, Consilio,* 8. *num.* 3.

Differentia inter proprositum & votum.

Dico 1.

Dico 1. Omnis homo viator, qui rationis vsum habet, & est sui iuris, vouere potest. Est communis Doctorum. Patet ex Articulo 3. Conclusione prima. Qui vouere possint.

Dico 2. Cùm ad vouendum requiratur sufficiens deliberatio, & aliquando sit dubium, an prædicta deliberatio præcesserit: vt hoc cognoscatur, hæc regula statuenda est: Si factum est votum ex metu leui, à morbo, tempestate, iracundia, vel simili affectione, præsumendum est pro voto, & credendum semper est fuisse sufficientem deliberationem. Si verò sit dubium, an vouens, quando vouit, haberet plenum rationis vsum, ob teneram ætatem, tunc si cõstet habuisse septennium completum, præsumendum est pro voto, & dicendum, quòd valeat, quia in tali ætate, præsumit ius sufficientem deliberationem. Si verò constet non fuisse expletum septennium, non obligat votum, quia non præsumitur ibi sufficiens vsus rationis. Si verò dubium sit, an vouens compleuerit septennium, præsumendum est votum valere, quia non solent vota emitti, ante septennium. Ita Sanchez. 4. *Decalogi n.* 13. *&* 14.

Dico 3. Non possunt Religiosi vota facere absq; licentia sui superioris. Ita Angelus *Verbo Votum* 2. *num.* 3. Sanchez. *lib.* 4. *c.* 33. *& alij.* Ratio est, quia Religiosus non est amplius sui iuris, sed est traditus Religioni, & est cõstitutus in potestate Superioris. Addit Layman. *c.* 7. *num.* 14. Etiamsi licentiam Superior dederit, potest tamen rescindere votum, iusta de causa, & hoc verum est, tam de internis, quàm externis votis. Religiosi an possint vota facere.

Dico 4. Vxor non potest facere vota, quæ impediunt domus, aut familiæ gubernationem, aut quæ sunt præiudicialia marito. Similiter filij ante annos pubertatis facere vota: Item serui inuitis Dominis, non possunt emitere vota. Ratio est, quia prædicti sunt in potestate dominatiua præfatorum.

ARTICVLVS VII.

De Obligatione voti, & quomodo votum explicandum sit?

Dico

Statim votum implendum.

Dico 1. Vouens tenetur quam primùm moraliter potest, votum adimplere, si tempus ipse non determinauit; si autem tempus determinauit diem, & annum, illo tempore obligatur ad implendum votum. Ita Rodericus 2. *p. c.* 99. Suarez. *lib.* 4. *de voto. c.* 10. *n.* 7. 1. pars patet, quia Eccl: 5. dicitur. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere*, & Deut. 23. *Cùm votum voueris Domino, non tardabis soluere.* Tum quia debita quibus erga homines tenemur, soluenda sunt quamprimùm, nisi præfixus sit terminus ad soluendum. Ergo & vota Deo promissa, quæ sunt ipsi debita. Tùm quia si votum non obligat statim, quamprimùm commodè potest, non potest assignari tempus, in quo nam obliget. Ergo obligat statim. Ex quo sequitur, quòd qui data opportunitate, ad impletionem voti differat notabiliter, peccat mortaliter, nisi iustam differendi causam habeat, iusta enim de causa licitum est voti executionem differre, nam votum vires accipit ab intentione vouentis, vouens autem non præsumitur voluisse sibi tam strictam obligationem imponere, vt voti adimpletionem iusta de causa differre nequeat, præsertim si aliquis differat impletionem voti, ad illud vsque tempus, cùm votum in Dei honorem vergat. Secunda pars Probatur Quia sicut grauiter peccat qui ieiunium ab Ecclesia indictum certo die non seruat, ita qui votum vouet tempore præscripto, tenetur illud implere.

Votum intra tempus præfixum non solutum non ligat.

Dico 2, Qui votum non soluit intra certum tempus præfixum, non tenetur eo tempore elapso votum persoluere. Est Nauar. c. 12. Azorij. *lib.* 11. *c.* 15. *q.* 11. Suarez. *lib.* 4. *c.* 13. contra Syluestrum, & Angelum *Verbo votum*. Ratio est, Tùm quia votum obligat eo modo, quo obligant præcepta Ecclesiæ. Sed præcepta Ecclesiæ. V. G. ieiunandi, & Missam audiendi, non obligant elapso tẽpore ab Ecclesia præscripto. Tùm quia vouens, promisit rem illam dependenter à tempore, & vtrumque promisit per modum vnius, & hoc maximè verum est, si tempus non fuit adiectum per accidens, sed vt votum intra illum terminum, statim adimpleatur, & vltra non differatur. Quare vouens aliquid in honorem alicuius diei, non tenetur amplius illud præstare, eo elapso tempore. V, G. qui vouit sabbato ieiunare, in honorem Beatissimæ Virginis, elapso

sabba-

sabbato, non tenetur alio die ieiunare. Similiter qui vouit aliquid recitare, coram aliqua imagine ex peculiari deuotione illius imaginis, non remanet obligatus ad alibi recitandum. Secùs si hoc non vouit ex peculiari deuotione illius imaginis, sed ex deuotione promissæ materiæ: sicut si quis voueat ingredi Religionem S. Francisci Patris nostri in die ipsius, in honorem Sancti, tenetur adhuc eo die transacto Religionem ingredi, si illo die non est ingressus, quia intentio vouentis, non ferebatur principaliter, sed secundariò in honorem talis temporis. Hinc.

Collige 1. Vota realia facta in honorem certi temporis, obligant, elapso illo tempore, V. G. qui vouit minutam Eleemosynam singulis diebus sabbatiuis, videtur obligandus ad eam faciendam, si tempore præfixo eam non fecit. Ita Sanchez. *cap.* 14. *num.* 37.

Collige 2. Qui non potest votum adimplere præfixo tempore, satisfacit anticipando, si terminus fuit præfixus, ne vltra differetur voti executio. Ita Bonacina *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 5. §. 1. *n.* 13. vbi addit vouentem teneri votum anticipare, & præuenire, si præuideat fore, vt superueniat impedimentum, quo votum præfixo tempore adimplere non possit, modo terminus appositus fuerit, solùm ad differendam, non verò ad suspendendam voti obligationem. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *a.* 3. Syluest. *Verbo votum* 2. *q.* 3. Ratio est, quia votum statim ac fit obligat. Ergo si præuideatur impedimentum in posteriori parte temporis, adimplendum est votum in priore parte.

QVÆRES.

An aliquis possit obligari voto alterius?

Dico 1. Personale votum obligat tantùm vouentem; Reale verò obligat etiam successores, & hæredes, qui tenentur implere illud. Prima pars est communis DD. Ratio est. quia materia voti personalis est actio, seu officium personale ipsius vouentis, Sed actio, & officium vouentis; non potest transmitti ad hæredes. Ergo neq; transmitti potest obligatio voti personalis. Hinc Collige votum peregrinationis quod votum vouit pater, heredes non tenentur im-

Personale votum quem obligat.

tur implere, nisi fortè ita vouisset, vt si non posset per se, saltem impleret per alium, tunc enim hæres deberet dare sumptus alicui, qui id præstet. Item filij vota parentum, quibus eos offerunt ad religionem, non tenentur implere, nisi ipsi consenserint, imò si eos parentes in monasterium intruserint, possunt inde exire, post annos pubertatis. Ita Nauar. *c.* 12. *n.* 47. Layman. *c.* 3. *n.* 6. Ratio est, quia in iis quæ pertinent ad vitæ statum, quilibet est sui iuris. Ergo pater non potuit suo voto filium promittere Religioni. Aduerte tamen hîc, parentem qui vouit filium Religioni, teneri curare, quantùm potest, vt Religionem ingrediatur, & filius deberet se conformare voluntati patris in hoc, quia fortasis hæc est voluntas Dei.

Secunda pars probatur. Quia hæres dum adit hereditatem, censetur inire contractum soluendi omnia debita realia defuncti, cuius personam quoad hoc repræsentat. Quod intelligitur saluâ legitimâ portione, non enim potest suâ liberali promissione, filiorum legitimam portionem minuere. Habetur *cap. fin.* 17. *q.* 4. vbi in persona Augustini dicitur. Quicunq; vult exheredato filio facere heredem Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, imò Deo propitio neminem inueniet.

Collige Si bona defuncti non sufficiant ad satisfaciendum omnibus votis, hæres tenebitur votum persoluere de meliori bono, si illud cognoscat, aliter tenebitur primum votum persoluere. Ita Sanchez. *lib.* 4. *c.* 15. *n.* 8. Layman. *c.* 2. *n.* 4.

Hæres tenetur ad votum mixtum.

Dico 2. Heres tenetur votum mixtum, quoad partem realem persoluere, quoties votum mixtum est æqualiter reale, & personale: nam si votum sit reale tantùmmodo accessoriè, heres non tenetur votum defuncti persoluere. Ratio est, quia accessorium sequitur principale, & destructo principali, destruitur accessorium. Ex quo sequitur si defunctus non suscepit peregrinationem ad limina Apostolorum quam vouerat, hæredem non teneri ad expensas, & sumptus, quos defunctus in ea peregrinatione fecisset. Aduerte Si vouens dum fecit votum, habuit expressam intentionem obligandi hæredem, obligatio transit ad hæredem. Ita Rodericus 2. *p. c.* 90. *n.* 99. Syluest. *Verbo Votum. q.* 11. Ratio est, quia sicut vouens qui absolutè

absolutè vouit, non potest seipsum eximere ab obligatione voti, aut aliorum debitorum; ita neq; potest eximere heredem.

QVÆRES II.

Quomodo votum sit explicandum.

Respondeo Votum est explicandum iuxta intentionem vouentis, quia votum est veluti quædam lex priuata, lex autem priuata obligat in quantùm legislator intendit. Ergo votum adimplendum est secundùm eas circumstantias, quas vouens vouit, & ad quas se intendit obligare. Si verè non constet de intentione vouentis, seruandæ sunt hæ regulæ. *Prima est*, vt attendantur, verba vouentis, & explicentur secundùm communem sensum. Ita cum aliis Layman *c. 3. n. 3.* limitat Angelus *Verbo Matrim. 2. n. 8.* modò vouens nouerit illorum verborum significationem. Inde Votum quomodo est explicandum.

Collige 1. Qui vouit simpliciter castitatem, tenetur ad omnimodam castitatem, & non solùm ad coniugalem. Ita Bonacina. *p. 6. n. 4.*

Collige 2. Vouens ieiunare quolibet die sabbati, tenetur ieiunare, quamuis in eum diem incidat dies Natalis Domini, modò vouens hunc diem non exceperit: sicut Fratres Minores, tenentur ex vi Regulæ ieiunare, quamlibet feriam Sextam, etiam & illam in quam incidit Dies Natiuitatis Domini, vt declaratur in Clementina *de verborum significatione, c. Exiui.* Ratio est, quia verba horum votorum sunt generalia, pro qualibet die sabbati, aut feriæ sextæ, quãuis esus carnium aliis fidelibus eo die permittatur. Addunt graues DD. hoc verum esse, etiamsi vouens excepisset illum diem, si illius diei meminisset, dum vouit, non enim obliuio diei Natiuitatis Domini tollit intentionem simpliciter ieiunandi, qualibet die sabbati, aut feriæ sextæ. *Secunda Regula est seruanda*, vt votum strictè explicetur, seruatâ verborum proprietate, & communi intelligentiâ; quâ vitandum est periculum peccati, quod vitatur explicando strictè votum. Hinc

Collige 1. Qui vouit non bibere vinum, potest sumere vtramq; ablutionem in Missa, aliàs esset contra communem vsum, et Ecclesiæ præceptum *c. ex parte, de Celebratione Missæ.* Nota

Collige 2. Eum qui vouit ieiunare, non definiens quantitatem dierum, satisfacere voto, ieiunando vno die, nisi verba voti important quandam perpetuitatem. Similiter qui vouit ieiunare pluribus diebus, satisfacere ieiunando duobus diebus; quia duo dies veniunt nomine plurium, vt habetur *Regula pluralis, de Regulis iuris in 6.*

Tertia Regula est, vt quando dubitatur de intentione vouentis, seruetur materia voti, ac si esset materia alicuius legis Diuinæ, vel humanæ, seu explicetur votum ad modum legis Diuinæ, vel humanæ. V. G. qui vouit abstinere à carnibus, tenetur abstinere, & à iure, in quo carnes coctæ sunt: nam votum intelligitur sicut præceptum Ecclesiasticum, præceptum autem Ecclesiasticum obligans ab esu carnium, obligat & ab esu iusculi. Ita Sanchez. *in summa c. 11. n. 48. & alii.*

ARTICVLVS VIII.

Ad quid obliget votum castitatis, & non nubendi & Religionis?

Ad quid obliget votum castitatis.

Dico 1. Qui habet votum castitatis, vel virginitatis, tenetur abstinere à matrimonio, & ab actibus matrimonialibus, & ab omnibus actibus illicitis venereis, tam internis quàm externis. Ratio est, quia vt dicitur 17. *q. 1. vouentibus non solùm nubere, sed velle nubere damnabile est*: nam per contractum Matrimonij contrahitur obligatio ad copulam: virginitas verò, & castitas important obligationem ab omni copulâ, & actu venereo. Hinc Sequitur Primò obstrictum voto castitatis, mortaliter peccare, contrahendo matrimonium, petendo debitum, & consummando matrimonium. Et licet obiectum matrimonij non sit copula, sed potestas ad illam, vt docet D. Subtilis in 4. *dist. 30. q. 2. n. 5.* vbi dicit in contractu Matrimonii non includi debitum, nisi sub conditione, si petatur; vbi dicit Beatissimam Virginem certificatam fuisse à Deo, Ioseph id nunquam petiturum, & sic absolutè vouisse B. Virginem virginitatem. Sequitur 2. Qui vouit castitatem tenetur petere dispensa-

tionem

tionem ad petendum debitum, si sine dispensatione contraxit Matrimonium, quis autem possit dispensare dicetur infra Articulo 11.

Sequitur 3. Qui habet votum castitatis, non tenetur post Matrimonium ratum religionem ingredi, vt castitatem seruet. Ita D. Subtilis *loco citato, num. 6.* Ratio est, quia Religio est aliquid longè difficilius, quod non censetur promitti ab eo, qui votum simplex castitatis emittit, aliud enim est votum castitatis, & aliud Religionis; nam qui habet votum simplex Religionis, peccat quidem contrahendo matrimonium, quia constituit se in statu incompossibili adimpletioni voti, & contracto matrimonio, & nondum consummato, tenetur religionem ingredi, quia voti adimpletio est ei adhuc possibilis, & licita, consequenter peccat mortaliter consummando matrimonium, quia per consummationem matrimonij, apponit impedimentum executioni voti, tamen consummato matrimonio, licitè potest, non solùm reddere, verùm etiam petere debitum, quia qui vouit religionem, non tenetur vi voti ad seruandam castitatem ante professionem, nisi aliter expresserit, vouens enim statum aliquem, non tenetur ad onera status, nisi assumpto eo statu, & votum ingrediendi, vel profitendi in religione, non habet pro materia castitatem, sed statum in quo vouenda est castitas. Ita Bonacina. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 5. §. 5. *n.* 5. citans Suarez, & alios. Vbi addit quòd mortua vxore, tenebitur vouens religionem ingredi, quia illius votum non cessauit absolutè per contractum Matrimonii, sed suspensum fuit ad tempus: quamdiu impedimentum perseuerabat. Vide Sanchez. *lib.* 9. *disp.* 3. *n.* 11.

Votum castitatis & Religionis distincta.

Dico 2. Qui votum habet non nubendi, peccat nubendo, facit enim contra votum, contracto tamen matrimonio potest petere, & reddere debitum. Patet quia votum non nubendi, non æquiualet voto castitatis, sed solū importat negationē status matrimonialis, quæ negatio cum sit facta impossibilis per matrimonium iam contractum, sequitur obstrictum eo voto posse licitè petere, & reddere, etiamsi causam habeat diuortii. Ita Bonacina *loco citato n.* 6. vbi addit quòd neq; habens huiusmodi votum, peccet fornicando con-

do contra præfatum votum quia tale votum non æquiualet castitati, nisi vouens habeat intentionem vouendi perfectam castitatem Hinc.

Collige Habens votum non nubendi, non tenetur contracto, & nondum consummato matrimonio, ingredi Religionem. Ita *idem ibidem. n.* 7.

QVÆRES.

Ad quid obliget votum Religionis.

Suppone Esse opus bonum vouere, & alios inducere ad Religionem, quia status religionis est status perfectionis, dummodò inductio non fiat minis, aut precibus importunis,

Certam vouens debet ingredi illã.

Dico 1. Qui vouit ingredi certam religionem, tenetur eam ingredi, quando in ea viget regularis obseruantia. Patet quia tenetur stare voto facto Deo licet poterit aliam arctiorem ingredi, si voluerit, quia votum, non est impeditiuum maioris boni, seclusâ verò dispensatione, non poterit aliam minùs arctam adire, aut in illa perseuerare ante professionem, factâ tamen professione, potest in ea permanere, vt habetur *cap. penult. de Regularib. in 6.* Ratio est, quia votum solenne in Religione etiam laxiori, liberat á voto simplici, vt docet S. Thom. 2. 2. *q.* 189. *a.* 8. *ad* 3. Nauar. *cap.* 12. *num.* 48.

Collige 1. Vouens ingredi religionem strictiorem, peccat mortaliter, si ingrediatur laxiorem, sine dispensatione, quia minus dat, quàm promisit.

Mendicantes Prælati possunt recipere vouentes strictiorẽ.

Collige 2. Mendicantes prælati possunt recipere ad suum ordinem, etiam illos, qui vouerunt intrare ordinem strictiorem, vt habetur in Compendio priuilegiorum *V. Nouitius.* per quod priuilegium Prælatus Mendicantium, potest recipere ad suùm ordinem, vouentem intrare etiam Carthusiam. Circa, quod. Aduerte 1. Quòd taliter recipiendus cum voto Carthusiæ, vel alterius, teneaur hoc priùs manifestare Prælato recipienti, vt dispenset, prædictum enim priuilegium expresè dicit, vt Prælatus recipiens priùs dispenset, & tunc recipiat, aliâs tacens peccabit, professio tamen emissa valebit.

Ita Lau-

Ita Laurent. de Portel. *Verbo De Voto simplici Religionis n*, 37. Aduerte 2. Qui vouit strictiorem, non potest sine graui causa petere dispensationem ad laxiorem, primæ enim vocationi Dei respondendum est, aliás non erit benedictio Dei, & hoc maximè verum est, si aliquis voueat ingressum religionis talis,& perseuerantiam in illa, cum tali enim sine iustissima causa, non potest fieri dispensatio. Ita Laurent. de Portel. *loco citato. n.* 42.

Vouens certam strictiorem intret in eam.

Dico 2. Qui vouit aliquam certam religionem, ad quam nō fuit admissus, liber est ab obligatione voti; modo per ipsum non stet, ne recipiatur; & verè repulsam sit passus. Prima pars patet, quia ad impossibile votum non obligat: Secunda constat, quia nulli culpa propria patrocinatur. Tertia pars probatur, nam si passus sit repulsam ob iustam causam, illa durante liber est à voto. Hinc.

Qui non admittitur in certam religionē sine sua culpa, est liber.

Collige 1. Eum qui non fuit admissus ob inscitiam, & imperitiam, teneri acquisitâ peritiâ, & scientiâ religionem ingredi; votum enim non fuit extinctum, sed suspensum. Vnde tenetur scientiam acquirere, aut aliquam artem addiscere, vt admittatur ad Religionem, si tempore voti sciebat necessariam esse scientiam, vel artem, vt admitteretur, secùs si ignorabat. Ita Rodericus 2. *p. c.* 97. Azor. *lib.* 11. *c.* 12.

Collige 2. Egrediens ex Religione iusta de causa, vel expulsus à Religione semel susceptá, ob morbum, vel impedimentum temporaneum, non tenetur redire ad Religionem illis causis cessantibus, iam enim suo voto plenè satisfecit. Ita Laurent de Portel. *loco citato. n.* 49. vbi limitat primò, dumodò non vouerit perseuerantiam in ordine. 2. limitat si expellatur ob defectum ætatis requisitæ, quá aduemente tenetur redire. 3. nisi culpá suá expellatur ab ordine, tunc enim nondum voto satisfecit, & talis tenetur adire, vnum, aut aliud monasterium.

Quando aliquis liber est à voto Religionis.

Collige 3. Qui vouit religionem in generali, tenetur aliam, & aliam inquirere, si ad aliquam non admittatur, Ita Rodericus *loco citato n.* 4. Syluest. *Verbo Religio* 2. *q.* 16. probabiliter tamen sustinent Doctores quòd non teneatur monasteria adire extra propriam regionem.

Collige

Non admissus ad Religionem an possit matrimonium contrahere.

Collige 4. Qui vouit religionem ad quam in perpetuum non admittetur, potest matrimonium inire manendo in seculo, si credat fore, vt nunquam admittatur, nisi fortè principaliter vouerit castitatem, nam si tam religionem quàm castitatem vouit, tenetur in seculo seruare castitatem. Ita Bonacina *disp*. 4. *q*. 2. *p*. 5. §. 6. *num*. 18.

Collige 5. Qui post votum religionis matrimonium contraxit, tenetur ante illius consummationem religionem ingredi. Ita *idem ibidem n*. 19.

Collige 6. Qui vouit religionem in genere, antequam ingrederetur, & profiteretur in vna, non tenebitur aliam inquirere, si ab ea in qua professionem emisit, expellatur. Ratio est, quia omne votum simplex per solenne votum religionis irritatur. Habetur *c. penultimo de Regularibus in* 6.

ARTICVLVS IX.

Quale peccatum sit transgressio votorum?

Opus factum ex voto magis meritorium.

Suppone Quòd meliùs sit facere aliquid ex voto, quàm sine voto, & consequenter opus ex voto factum, esse magis meritorium. Est communis DD. Patet quia opus voto promissum, non solùm habet honestatem quam haberet præciso voto, sed etiam habet honestatem voti, per quam opus constituitur in materia religionis, & Deo sacratur. Tum quia homo per votum, se Deo magis firmiter tribuit, & cum maiori voluntatis affectu, & firmitate operatur.

Violatio voti est peccatum mortale.

Dico 1. Violatio voti ex suo genere, est peccatum mortale, nisi inaduertentia & paruitas materiæ excuset. Ita habetur *c. licet de voto*. Probatur. Tum quia violatio voti, est contra reuerentiam Deo debitam, & grauem Deo infert iniuriam. Tum quia violatio promissionis factæ homini, est mortalis in materia graui. Ergo etiam violatio promissionis factæ Deo.

Excusat paruitas materiæ.

Dico 2. Votum in materia leui, etiamsi illa materia parua, sit materia tota voti, vel pars excusat à mortali. Est Nauarri *c*. 12. *n*. 4. Suarez. *lib*. 5. *de voto*. *c*. 4. *n*. 10. contra Caiet. 2. 2. *q*. 89. *art*. 7. Angelum *Verbo votum*. Probatur. Tum quia votum non

magis

magis obligat, quàm lex Diuina; Sed lex Diuina in materia leui non obligat sub mortali. Ergo neque votum. Tum quia modica fit iniuria Deo, per violationem voti, in parua materia, quod verum est, etiamsi vouens habuerit intentionem obligandi se sub mortali, in materia leui, nam materia leuis, non videtur capax tantæ obligationis.

Dices Quod ad honorem Dei spectat, non est censendum parui momenti. Sed votum etiam in materia leui spectat ad Dei honorem. Ergo non debet censeri parui momenti. Respondeo Non omne quod ad honorem Dei spectat, est ita magni momenti, vt violatio eius inducat peccatum mortale, nam aliâs sequeretur, quòd qui vouit coronam, si in illa omitteret pater noster, peccaret mortaliter, quod falsum est.

PETES *Quomodo materia voti cognoscitur esse grauis, vel leuis?*

Respondeo Materia voti cognoscitur sufficiens ad peccatum mortale, vel ad veniale, ex magno, vel exiguo honore, qui ex voti adimpletione redundat in Deum, & ex comparatione ad legem, & ad alia præcepta; nam si materia illa præciperetur à lege, et suffi- ceret ad mortale, censeretur etiam materia grauis respectu voti, Ita Suarez. *n.* 12, & 14. Hinc. Vnde cognoscitur materia voti grauis.

Collige 1. Eum qui semel non adimplet votum recitandi quinquies salutationem angelicam, non peccare mortaliter. Si autem sæpiùs prætermittat materiam leuem, affirmat Suarez. *lib.* 5. *de voto. c.* 4. *n.* 9. & 10. talem peccare mortaliter. quod verum est, si illi actus habeant inter se vnionem, & vnus aggrauet alium. Iam verò quotiescunque votum est de pluribus actibus leuibus, quorum singuli totales sint, & diuisim, ac singillatim præstandi sint, siue in distinctis diebus, siue in diuersis etiam horis eiusdem diei, ex multiplicatione transgressionum venialium, non peruenitur per se loquendo ad mortale, quia tunc nulla est vnio inter actus. Vnde si quis voueat decem vicibus in die mentem eleuare in Deum, licet decies omittat, non est grauior decima, quàm prima. Item dicendum de voto non mentiendi iocosè. Qualis leuitas excusat

Collige 2. Eum peccare mortaliter qui semel non adimplet votũ sumendæ Eucharistiæ, aut confessionis faciendæ, aut celebrandi sacri. Tum quia adimpletio huius materiæ, maximè conducit ad cultum Dei. Tum quia hæc est materia sufficiens ad peccatum mortale in præcepto Ecclesiæ.

Collige 3. Non adimplens votum in materia graui, factum cum intentione obligandi se tantùm sub veniali, venialiter tantùm peccabit. Ita Nauar. *c.* 23. *num.* 49. Suarez *lib.* 4. *de voto.* *c.* 4. *n.* 4. Ratio est, quia votum, est lex quædam priuata, obligans iuxta intentionem vouentis.

Dubitans de voto quid facturus.

Dico 3. Qui dubitat an votum fecerit, non peccat illud non adimplendo. Ita Roderic. 2. *p.* *c.* 99. *n.* 5. Angelus, & alii apud Suarez. *lib.* 4. *c.* 5. *n.* 4 Ratio est, quia hoc est dubium iuris, id est voti, quod est lex quædam priuata, in dubio autem iuris, melior est conditio possidentis suam libertatem. Quare qui dubitat an vouerit mille, vel tantummodò quinquaginta, tenetur solùm ad quinquaginta.

Votum emissum circa materiam aliàs præceptam.

Dico 4. Si materia voti sit debita ex alio præcepto, violans illam, duo committit peccata: vnum contra virtutem, ad quam pertinet materia debita ex alio præcepto, aliud contra religionem voti, id est, contra promissionem Deo factam. Ita Nauar. *c.* 12. *n.* 34. Suarez. *loco citato* *c.* 3. *n.* 11. Ratio est, quia hic adest priuatio duplicis perfectionis. Ergo sunt duo peccata. Si autem pœnitens oblitus fuit circumstantiæ voti in priori confessione, potest solam confiteri illam circumstantiam, non repetendo actum peccaminosum.

Dico 5. Vouens sufficienter votum adimplet, dum nihil cogitans de voto, illud adimplet: V. G. qui vouit inuisere limina Apostolorum satisfacit voto, etiamsi illa visitet, adeundo alterius rei causâ Romã, quia adimplet rem promissam, modo vouens non vouerit etiam peregrinationem, & laborem itineris.

Pœnitens vouisse, an peccet.

Dico 6. Ille quem pœnitet vouisse, non peccat mortaliter, si non habeat intentionem, omittendi rem promissam, vel non adimplendi votum. Ita Roderic. 2. *p.* *c.* 99. *n.* 3. Layman *c.* 4. *n.* 3.

Nauar.

Nauar. *c.*12.*n.*55. Ratio est. Tum quia sicut non est peccatum mortale, nolle vouere futurum, ita neq; est peccatum mortale, nolle vouisse, (peccaret tamen mortaliter, qui non haberet intentionem adimplendi votum in re graui.) Tum quia hæc pænitentia, non est de obiecto prohibito, ex vi obligationis voti.

ARTICVLVS X.

Quænam sint causæ ob quas tollitur votum ?

Dico 1. Sublatâ causâ finali, propter quam fuit factum votum, cessat obligatio voti. Ratio est, *Tum quia in cap. Cum cessante, de appellationibus dicitur,* Cessante causâ cessat effectus, quòd de finali intelligitur. causa verò finalis est illa, quæ ita mouet disponentem, vt ea existente, opus non fieret. Tum quia votum, non obligat vltra mentem, & intentionem vouentis, vouens autem non censetur habuisse intẽtionem obligandi se, cessante causâ finali voti, quod fuit emissum ob talem causam. Cessante causa finali cessat obligatio voti.

Dico 2. Cessat obligatio voti, superueniente notabili impedimento, quo cognito vouens non vouisset. Patet. Tum quia vouens non præsumitur habuisse voluntatem obligandi se superueniente tali mutatione. Tum quia votum censetur factum sub hac tacita conditione, nisi superueniat notabilis mutatio. Ita Nauar. *c.* 12. n. 7. Suarez. *loco citato c.* 9. *n.* 4. Quando verò dubitatur an mutatio talis sit, & tanta, vt votum eâ præuisâ, factum non fuisset, adimplendum est votum, quia hoc magis cedit in honorem Dei. Hinc Impedimentum, superueniens tollit obligationem.

Collige 1. Non quamlibet mutationem sufficere, ad tollendam voti obligationem, vt patet *ex articulo* 3. Prædicta igitur regula intelligenda est, quando superuenit tanta mutatio, præsertim ex parte materiæ, vt eâ existente, aut præuisâ, votum iudicio prudentis factum non fuisset, Ita Emmanuel Sa, *Verbo Votum. n.* 19. Caietan. 2. 2. *q.* 103. Ratio est, quia superuenit notabilis mutatio ex parte materiæ. Idem dicendum est quando materia voti facta est impossibilis, in perpetuum, aut illicita, aut indifferens, aut impeditiua maioris boni, vel ex toto, obligatio voti cessat ex toto, & in

perpetuum. Ita Nauar. *cap.* 12. *num.* 39. Syluest. *Verbo votum* 2. q. 1. *& alij.*

Collige 2. Quando dubitatur, an mutatio sit talis, & tanta, vt votum eá præuisâ, factum non fuisset, adimplendum est votum. Ratio est, Tum quia possessio stat pro voto; Tum quia magis hoc cedit in honorem Dei. Ita communiter Doctores.

Votum quando non obligat.

Collige 3. Votum non obligat, quando seruari non potest, sine magno damno, vel periculo vitæ; hoc tamen intellige, nisi vouens habuerit intentionem formalem, vel virtualem comprehendendi etiam hunc casum, quo pacto videtur votum emittere, qui sine limitatione vouet perpetuò, infirmos curare in hospitali. Ita Suarez. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 2. *&* 4. *& alij.*

ARTICVLVS XI

De Modis quibus tolluntur, & extinguuntur vota?

Tribus modis vota tolluntur.

Nota Tribus modis possunt tolli vota simplicia, scilicet per irritationem, commutationem, & Dispensationem. Porò Irritatio, est obligationis voti ablatio per dominatiuam potestatem, sub qua continetur ille, qui obligatur voto. Commutatio voti, nihil aliud est, quàm loco prioris obligationis, alterius substitutio. Dispensatio voti, est nomine Dei condonatio obligationis voti, quam vouens erga Deum contraxerat vouendo.

Irritatio. Commutatio. Dispensatio.

Quantùm ad irritationem quinam possint irritare vota?

Papa potest irritare, & quæ.

Dico 1. Papa potest tantùm ea irritare vota, quæ ipsius administrationi obesse possunt. Ratio est, quia licet Papa plenissimam habeat dominatiuam super fideles, circa res spirituales, non tamen habet potestatem dominatiuam in iis, quæ priuatâ fiunt auctoritate, neq; homines tam laici, quàm spirituales sunt illi ita subiecti, vt ab eius voluntate omninò pendeant: potestas autem irritandi competit alicui, vel ratione materiæ illi subiectæ, vel ratione subiectionis personæ. Ita Nauar. *cap.* 12. *num.* 76. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 31. Suarez. *lib.* 6. *cap.* 2. Hinc

Sequitur 1. Summum Pontificem non posse irritare votum illius, qui vouit carnis suæ macerationem, aut ieiunio se affligere, quia

quia non videtur circa hæc habere potestatem dominatiuam, licet aliqui oppositum sentiant, quia Papa est superior omnium, sed horum sententiam improbabilem putat Lessius *loco citato.* Sequitur 2. Episcopum non posse omnia vota suorum Clericorum, & laicorum irritare, nam ratio quæ affertur pro Summo Pontifice, à fortiori militat in Episcopo. Exceptis votis vergentibus in præiudicium salutis, vel Ecclesiæ. Ita Suarez *loco citato. n.* 8.

Sequitur 3. Papam posse irritare vota Religiosorum, quæ possunt irritari à suis Prælatis, quia ipse est Supremus Superior, & habet dominatiuam potestatem in omnes Religiosos, qui votum illi obedientiæ præstant. Ita Nauarrus. *cap.* 12. *num.* 76. Layman. *cap.* 7. *num.* 8.

Dico 2. Potestas irritandi vota est in patre respectu filiorum impuberum, tam vota realia, quàm personalia, quàm mixta: vel à tutore, vel à matre quæ est in loco tutoris. Ita Suarez. *lib.* 6. *cap*, 6. *n.* 22. Lessius *dubio* 14. *n:* 82. Layman. *c.* 7. *n.* 10. Ratio est, quia ius propter immaturum impuberum iudicium, voluit eorùm votis, hanc tacitam conditionem inesse, nisi pater, vel tutor contradixerint, vt colligitur *ex capite mulier.* 32. *q.* 2. *c.* 1. *&* 2. Dixi (filiorum impuberum) quia difficultas est inter Doctores, an vota facta ante annos pubertatis irritari posśint, transacto tempore impubertatis, & est opinio probabilior affirmantiū, quia illa cōditio, nisi pater, & tutor contradixerint lapsu temporis non amittitur. Ergo possunt transacto impubertatis tempore irritari: modò pubes post acquisitam pubertatem non ratificauerit vota tempore impubertatis facta, cùm ratificatio sit veluti quædam voti emisśio.

In Patre est potestas irritandi.

PETES *Quinam dicatur impubes?*

Respondeo Impuberum dici masculum vsque ad 14. annum ætatis à die natiuitatis, & fæminam vsque ad 12. annum.

Dico 3. Omnia Religiosorum vota, excepto voto arctioris religionis irritari possunt à superioribus seu Prælatis. Ita Angelus *Verbo votum* 2. *n.* 3. Suarez. *lib.* 6. *c.* 7. Layman. *c.* 7. *n.* 6. Ratio est, quia Religiosus non est amplius sui iuris, sed est traditus religioni, & est constitutus in potestate Superioris. Et hoc verum est de

Vota Religiosorum quæ possunt irritari.

votis internis, & externis. Vnde infert Rodericus noster contra Syluestrum, cessare etiam votum visitandi loca Sancta. Addo hoc idem dicendum de Prælatis Monialium.

Dixi (Excepto voto arctioris religionis) quia votum arctioris, Religionis, cùm non subiaceat voluntati Prælati, non potest ab eo irritari: imò *cap, licet de Regularibus*, conceditur religioso transitus ad arctiorem religionem, inuito & recusante superiore, petita saltem, & non obtenta licentia. Limita, nisi fortè Bulla Summi Pontificis prohibeat egressum, propter iustas causas, vt certò factum esse constat in multis Religionibus.

Collige 1. Superiorem posse irritare vota à Religioso facta ante Religionis ingressum : quamuis non videtur esse necessaria irritatio, cùm omnia vota personalia cessent per professionem religionis approbatæ. *cap. Sacrosanctæ de voto, & voti redemptione.*

Collige 2. Superior potest irritare votum Religiosi, etiam postquam in illud ipse consensit, quanquam peccabit, si hoc faciat absq; iusta causa.

Collige 3. Subditus potest vouere omnia illa, quæ regula non contradicit, neq; Superior prohibuit, nec subditum impediunt ab obsequio Religionis, & talia vota statim ligant, donec Superior non contradicat. Quare si Religiosus voueat rem expresè prohibitam à prælato, votum est nullum. Ita Rodericus *tom. 2. c. 39. n. 3. estq; communis Doctorum.*

Collige 4. Si Religiosus factus sit Episcopus, non potest Prælatus irritare istius vota, quæ ante emisit in Religione; quia iste positus est extra potestatem dominatiuam Prælati.

QVÆRES.

Vtrum Prælatus possit irritare vota Nouitiorum?

Nouitiorum vota an possint irritari.

Respondeo Negatiuè, quia Nouitiorum voluntas, nondum est subiecta plenæ dominationi Prælatorum. Ita Nauar. *c. 12. n. 65. & alij.* siue hæc vota emiserint ante ingressum, siue in Nouitiatu. Possunt tamen Religiosi Prælati suspendere vota Nouitiorum personalia, quæ impediunt Religionis obsequia. & sic suspensa non

sa non obligabunt; donec in professione commutentur, vel extinguantur, Dixi (si impediant obsequia) quia si non impediunt, non poterunt. Dixi (personalia) quia vota realia, vt de danda Eleemosyna suæ substantiæ, vel quid simile, etiam non poterunt irritare quia quoad hoc nondum sunt subditi prælatis: Ita Laurent. de Portel. *Verbo voti irritatio. n.* 70. cum aliis Doctoribus. Porrò vota Nouitiorum emissa ante egressum Religionis, possunt postea irritari à prælato post professionem, ac si emissa essent post professionem. Ita Syluester *Votum* 4. *q.* 7. si impediant obsequia Religionis. Aduerte hic. Cùm Prælatus habeat potestatem dominatiuam, supra subditum, potest omnia vota illius irritare ipsò subdito inuito, dispensare verò, vel commutare non potest, ipso subdito inuito.

Dico 4. Vota seruorum possunt à dominis irritari, vel suspendi, si ipsis dominis præiudicant. Ratio est, quia Domini habent potestatem dominatiuam super seruos. Ergo possunt eorum vota irritare, quatenùs ipsi præiudicant. Aduerte. Quòd vota famulorum non possint irritari ab hero, quia herus non habet potestatem dominatiuam in famulos, potest tamen eorum vota quoad obsequium sibi debitum præiudicialia suspendere. Ita Suarez. *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 6. *& alij.*

Vota seruorum an possint irritari.

Dico 5. Vota vxoris præiudicialia marito, vel quæ impediunt domus gubernationem, possunt irritari à marito. Vnde vota abstinentiæ, ieiunij, peregrinationis & similia facta ab vxore, præiudicantia actui matrimoniali, vel gubernationi domus, possunt irritari à marito, non autem possunt illa irritari, quæ non sunt præiudicialia marito. Ita Syluester *Verbo votum* 4. *q.* 2. Rodericus *c.* 90. *num.* 10. *& alij.* Inde.

Vota vxoris quæ irritari possunt à marito.

Collige Quòd vxor posset ea vota mariti irritare, quæ sunt sibi præiudicialia. V. G. votum longæ peregrinationis &c. Ita Lessius *dub.* 10. *n.* 83. Ratio est, quia par est ratio dē vxore, quæ de marito.

Quantùm ad Communicationem *Quinam possint commutare vota?*

Quinam possint vota commutare.

Dico 1. Quilibet potest sua vota commutare in euidenter melius. Ita Nauar. *c.* 12. *n.* 75. Rodericus *c.* 100. *n.* 4. Layman. *c.* 8. *n.* 19.

8. *n.* 19. Desumitur *ex cap. Peruenit de iureiurando.* vbi habetur, *Propositum seu promissun non infringi, ab eo, qui in melius illud commutat.* Tum quia qui votum commutat in melius, nullam Deo facit iniuriam, cùm rem illi gratiorem exhibeat, & voluntati eius satisfaciat. Aduerte hic quod melius in præsenti materia sit illud, quod omnibus consideratis est Deo gratius.

Potest fieri in æquale commutatio.

Dico 2. Probabile est, quod vouens possit vota sua commutare, non solùm in euidenter melius, verùm etiam in æquale. Ita Rodericus 2. *p. c.* 110. Suarez. *lib.* 6. *cap.* 19. *n.* 3. Ratio est, quia nulla fit Deo iniuria, cùm res illi æquè grata reddatur per commutationem voti factam, non per actum iurisdictionis, sed per subrogationem materiæ æquè Deo gratæ. Et hæc commutatio voti in æquale, non requirit authoritatem Prælati, si euidenter constet esse æquale: si verò commutandum sit in id, quod dubitatur an sit æquale, tunc non potest fieri commutatio absq; authoritate prælati. Hinc

Qui vouit Religionem, non potest vouere Episcopatum

Collige 1. Habentem votum Religionis, non posse illud propriâ authoritate commutare in susceptionem Episcopatus. Ita decernitur *cap. per tuas, de voto; & voti redemptione.* Ratio est, quia Episcopatus, non efficit hominem perfectiorem, quàm Religio, licet supponat perfectiorem. Ita Miranda *in Manuali t.* 1. *q.* 20. *art.* 9. Layman. *c.* 6. *n.* 15. Bonacina *d.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 3. *n.* 8. vbi citat multos Doctores. & contrarium sentientes refellit.

Commutatio non est necesse vt fiat in indiuisibili.

Collige 2. Non est opus, vt commutans votum, mathematicè commutet in materiam æqualem; res enim moralis non est mensuranda mathematicè. Ita Laurentius de Portel. *loco citato. num.* 90.

Collige 3. Promittens Eleemosynam certo pauperi, si ipse acceptauit, non potest promittens illam dare alteri pauperiori, quia commutaret votum factum in præiudicium tertij. Si verò pauper prior nondum acceptauit, neq; de voto sciuit, posset dare alteri pauperiori, quia tunc esset commutatio in euidenter melius. Ita *idem ibidem. num,* 89.

Dico 3. Non solùm Papa, & Episcopi, aut alij gaudentes ordi-

ordinariâ potestate dispensandi, possunt vota commutare, verùm etiam illi, qui à Summo Pontificè, vel ab Episcopo, aut alio facultatem ordinariam habente, commutare possunt vota: quia hæc facultas delegabilis est, vt patet ex praxi Ecclesiæ. Aduerte hic quoties Prælatus debet commutare votum subditi, debet esse iusta causa: quia cùm id non faciat potestate dominatiuâ, sed spirituali à Christo Domino tradita, ista committitur, ei tanquam fideli, & prudenti seruo dispensandi res Christi Domini, quæ prudentia requirit causam. Ita S. Thomas *2. 2. q. 88. art. 12.* Iusta causa commutandi vota esse debet

Aduerte 2. Ad commutationem minor requitur causa, quàm ad dispensationem, quia dispensatio omninò liberat, commutatio verò in aliud æquiualens commutat, si fiat in melius, nulla alia requiritur causa. Vnde habens facultatem commutandi, non habet facultatem dispensandi, quia sunt actus distincti, & commutatio est quid minus, quàm dispensatio.

Aduerte 3. Iusta requiritur causa, vt votum commutetur in minus, qualis causa, est difficultas in voto persoluendo, vtilitas, vouentis, & repugnantia Superiorum. Ita Nauar. *c. 12. num.* 76. Suarez. *c.* 18.

Dico 4. Illi qui potestate ordinariâ commutant vota, vt sunt Prælati Regulares erga subditos, possunt illis commutare omnia illa vota, quæ cum illis possunt dispensare.

Dico 5. Confessarii Regularium possunt commutare omnia illa vota secularium, quæ possunt dispensare Religiosi confessarij. Ita Sanchez. *Tom. 2. Moral: lib.* 10. *cap.* 17. Ratio est, quia cui licet maius, licet etiam & minus, *iuxta regul. iuris. 53. in 6.* Sed commutatio est minus, quàm dispensatio, quia hæc remittit totum, illa verò partem,

Aduerte hic commutatio quæ fit per priuilegium, non est necesse, vt fiat in opus æquale, sed sufficere si fiat in minus. Ita Less. *lib. 2. c. 4. d. 11. n. 95.* Emman. Sa, *Verbo voti irritatio. n.* 10. Ratio est, quia quisque potest propriâ authoritate commutare votum in æquale absque priuilegio. Ergo concedendum est habenti priuilegium commutandi, posse commutare in minus, dummodò sit

iusta causa commutationis in minus, nimirum vel difficultas in voto persoluendo, vel vtilitas vouentis, &c.

QVÆRES.

Vtrum facultas commutandi vota, extendatur ad reseruata vota Summo Pontifici?

Vota Papæ reseruata.

Suppone Vota simplicia reseruata Papæ, sunt votum Religionis, votum castitatis, peregrinatio ad limina Apostolorum, Hierosolymam; & Compostellam.

Dico Facultas commutandi vota, non extenditur ad reseruata Papæ, nisi in priuilegio exprimantur. Ratio est, quia huiusmodi facultas intelligenda est, iuxta Regulas iuris; *in regula autem iuris; 81. in 6. dicitur. In generali concessione, non venire ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, si specialiter rogaretur.* Hinc

Collige 1. Non posse Religiosos per priuilegia ordinaria, commutare ista quinque vota Papæ reseruata, idque intellige etiamsi aliquod votum ex istis quinque velint commutare, in aliquid euidenter melius, quia ipso facto, quod sint Papæ reseruata, tollitur inferioribus omnis potestas illa commutandi. Ita Sot. 7. *de iust. q. 4. a. 3.* Neque vnum reseruatum ex illis quinque potest commutari in aliud reseruatum, ex eisdem quinque præterquam in votum Religionis. Ita Suarez. *lib. 6. de voto. c. 1. n. 17.* Et habetur *cap. Scripturæ de voto.* vbi dicitur, non sufficere tunc solum commutari votum in ingressum Religionis, sed ingressum cum effectu professionis secutæ.

Transacto Iubileo non possunt commutari vota.

Collige 2. Qui voluntariè, vel ex obliuione tempore Iubilei, non curauit commutari vota, quæ habebat, probabilius est, non posse transacto eo tempore, à simplici confessario eorum dispensationem, vel commutationem obtinere. Ratio est, quia commutatio, sicut & dispensatio voti, non potest peti, vel obtineri ab eo, qui caret iurisdictione: confessarius autem non priuilegiatus, transacto Iubilei tempore, caret iurisdictione, cùm facultas commutandi, & dispensandi, alligata sit tempori quindecim dierum, vt constat ex forma Iubilei.

Collige

Collige 3. Facultas concessa Religiosis Confessariis mendicantibus ad commutanda vota secularium, non limitatur, vt solùm commutent vota illorum, qui sunt illius diœcesis, in qua est confessor, sed extenditur ad omnes vndequaque venientes. Ita Laurent. de Portel, *loco citato. n.* 103. Nota

Collige 4. Quando alicui committitur potestas commutandi, vel dispensandi in voto, potest etiam iuramentum commutare, quia censetur idem vinculum soli Deo exhibitum, atque illud quod resultat ex voto. Ita Sanchez. *l. 8. de Matrim. d. 2. n.* 18. Sicut è contra. qui commutat, vel dispensat iuramenta, potest etiam & vota. Si autem votum, vel iuramentum factum sit in præiudicium tertij, id est hominis, non potest, quia neque Papa per se hoc facere potest. Ita Laurentius de Portel. *num.* 99.

Quantùm ad dispensationem, *Quinam possint dispensare in votis?*

Nota In Ecclesia extare veram, & propriam potestatem dispensandi in votis. & alijs obligationibus, quibus homo erga Deum obstrictus tenetur, iuxta illud Matth. 16. *Amen dico vobis, quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis;* quæ verba cùm sint generalia, explicantur de omni vinculo contracto erga Deum. Porrò huiusmodi potestatem habent Prælati iurisdictionem habentes in foro externo, quia hæc potestas est iurisdictionis spiritualis, non ordinis, tradita Apostolis, & relicta successoribus. Dispensatio.

Dico 1. Summus Pontifex potest dispensare in omnibus votis. Patet quia est supremus vicarius CHRISTI Domini, cui data est suprema potestas. Papæ.

Dico 2. Episcopi possunt dispensare in votis suorum subditorum, modò ea non sint Papæ reseruata; hocque ex iusta causa; & votum non sit iam à tertia persona acceptatum. Ratio est, quia Episcopi habent potestatem in suos subditos in omnibus casibus, qui summo Pontifici non sunt reseruati. Dixi (modò ea non sunt Papæ reseruata) quia solus Papa cum secularibus dispensat in quinque votis reseruatis: Religionis, Castitatis, Peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellam. Habetur *in Extrauaganti, Etsi* Episcopi

Dominici, & de pœnitentia & remiss. est communis Doctorum. In Iubileis nunquam conceditur facultas dispensandi in voto Religionis, & castitatis, imò expressè eximuntur, cæterarum trium peregrinationum communiter in Iubileis Magnis conceduntur facultates dispensandi?

QVÆRES.

An Episcopus possit dispensare in votis Papæ reseruatis?

Episcopi an possint dispensare in votis papalibus.

Dico 1. In voto castitatis poterit, quando imminet graue periculum, expectando dispensationem Papæ, vel legati, vt est periculum, magni scandali, & damnum tertiæ Personæ, aliás non potest. Hinc

Collige 1. Quando vterq; coniux ex communi consensu vouit castitatem, propter periculum incontinentiæ, potest Episcopus dispensare, vt petant, & reddant sibi debitum. Similiter Quando vnus votum fecit castitatis, & postea contraxit Matrimonium, potest cum illo dispensare Episcopus, si adsit periculum incontinentiæ, vt possit petere debitum, qui tamen mortuo altero coniuge, tenetur castitatem seruare. Item potest dispensare in voto castitatis per metum emisso. Item in eo voto castitatis, de quo dubitatur an sit validum, & in voto non perpetuo castitatis. Vide Bonacinam in Decalogo *d. 4. q. 2. p. 7. num. 15. §. 4.* vbi addit tutiùs esse quærendam dispensationem á Papa, vel á legato ipsius, si commodè obtineri potest.

Collige 2. Non est licitum coniugi obstricto voto castitatis petere debitum absq; dispensatione, votum enim castitatis inducit obligationem abstinendi ab omni actu venereo: potest tamen & tenetur reddere alteri petendi coniugi, maximè illi, qui non sciuit de voto castitatis alterius ante contractum matrimonium, quia ille habet ius petendi, & obligatio iustitiæ præualet obligationi castitatis. Ita Bonacina. *de Matrim. q. 4. p. 6, n. 32.*

In voto Religionis.

Dico 2. In voto Religionis potest Episcopus dispensare in ijs casibus, in quibus potest in voto castitatis. Item commutare vo-

tum

tum Religionis arctæ in laxiorem. Ita Bonacina. *n.* 21, Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 13. *n.* 105.

Dico 3. In voto triplicis peregrinationis, si morbus superueniat, vel paupertas, & non possit adiri Summus Pontifex, tunc in tali casu potest Episcopus dispensare. In voto virginitatis, si vouens solùm clarè intendit abstinere à prima vice tantùm, quá perditur virginitas, hoc enim non est absolutè votum castitatis. Ita Laurent. de Portel. *loco citato. n.* 78. Similiter potest Episcopus dispensare in modo trium illarum peregrinationum, vt scilicet eant non mendicando, vel pedester, quia hoc non est dispensare in voto, sed in qualitate illius. Item in votis dubiis possunt Episcopi dispensare. In peregrinationis votis.

Dico 3. Omnia vota quæ possunt Episcopi dispensare cum suis subditis, possunt etiam dispensare Prælati Regulares cum suis subditis. Ita Sanchez. 4. *Decalogi. c.* 39. *n.* 4. Ratio est, quia erga subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem, imò & in aliquibus, habent plura priuilegia, quàm Episcopi. Addo ex Laurentio de Portel. *n.* 80. Posse Confessarios Mendicantium ex suis priuilegiis dispensare cum secularibus in votis Papæ reseruatis, quoties Episcopi possunt ratione circumstantiæ occurrentis, non posse verò Prælatos, vel Religiosos, quando illæ circumstantiæ occurrentes non efficiunt, vt materia desinat esse verè reseruata; & sic Religiosi in periculo manifestæ incontinentiæ dispensare non possunt, quod tamen Episcopi possunt, ex tacita delegatione Papæ. Si verò habeant Religiosi licentiam à Papa, possunt. Religiosi circa vota Papæ quid possint.

Dico 4. Prælati possunt dispensare vota Nouitiorum. Ita Rodericus 2. *parte cap.* 89. *num.* 10. Nauar. *cap.* 12. 65. *n.* Ratio est, quia Nouitij gaudent priuilegiis professorum, vt tenent communiter Doctores. Religiosi circa Nouitios quid possint.

Porrò Abbatissæ non possunt cum Monialibus tam professis, quàm Nouitijs, quia carent iurisdictione spirituali.

Collige Prælatum posse secum dispensare, &. alteri facultatem dare, vt secum dispenset. Ita Rodericus *c.* 30. *num.* 4.

Dico. 5. Parochi, aut alii Sacerdotes, non possunt, in votis dispen-

Parochi non possunt dispensare.

dispensare, nisi speciale priuilegium habeant. Ratio est, quia potestas dispensandi pertinet ad habentes iurisdictionem in foro externo, quali carent prænominati.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Summus Pontifex possit dispensare in voto solenni?

Nota Suppositis ijs quæ dicta sunt *Articulo* 2. de voto simplici, & solenni, & ex quo iste solennitas voti pendeat, facilis est resolutio: in hac tamen difficultate, opinio est *S. Thomæ*, 2. 2. *q.* 8. *a.* 11. asserentis in voto solenni Pontificem dispensare non posse: Ratio illius est tota, quia votum solenne essentialiter est annexum statui religioso, status verò religiosus, non potest tolli ab homine, quamdiu homo superstes est.

In voto solenni Papa dispensare.

Dico Itaq; Summus Pontifex si iusta causa subsit, potest relaxare votum solenne castitatis Religiosi alicuius, vt Matrimonium contrahat. Ita D. Subtilis in 4. *Dist.* 38. *q. vnica n.* 2. Richardus. Durandus *eadē dist*. Paludanus, Antoninus 2. *p. t.* 11. *c.* 2. §. 9. Angelus *Verbo votum* 4. *q.* 5. Nauar. *c.* 12. *n.* 23. estq; modò communis Doctorum. Probatur *C. Quod Votum. de voto in* 6. dicitur *Quod votum dici debeat solenne ad dirimendum matrimonium efficax. nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quòd voti solennitas, ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta, matrimonij verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, &c.* Ex qua authoritate sic arguo. Solennitas voti est introducta ex sola constitutione Ecclesiæ. Ergo Ecclesia potest suam relaxare constitutionem. Confirmatur Ecclesia approbat Religiones, sine approbatione verò vota illa non essent solennia, sed simplicia, cùm igitur per approbationem Religionum vota solennizantur, sine approbatione Religionum non solennizantur. Ergo cuius est condere, eius etiam soluere.

Probatur 2. Summus Pontifex sæpè vsus est hac potestate, vt in nostro Regno Poloniæ, cum Casimiro Rege Poloniæ Monacho Benedictino, dispensatum est, vt post religiosam professionem vxorem duceret, & in Regnum succederet, vt refert Cromerus in in Annalibus Polonicis.

Item Alexander III. cum Nicolao Iustiniano Monacho professo dispensauit, vt posset ducere vxorem, ne tam illustris familia extingueretur, ita habetur apud Volateranum *in Annalibus Hispaniæ.*

Item Rex Arragoniæ, Romanus Monachus professus S. Benedicti, vt refert Sigibertus, cùm eius pater sine liberis decessisset, solutus est monasticis votis, vt duceret vxorem, quod comprobant Annales Hispaniæ. Item cum Constantia Regis Siciliæ filia Moniali professa, dispensauit Celestinus III. vt nuberet Henrico VI. teste Platina.

Probatur 3. Summus Pontifex potest dispensare in voto solenni Clericorum, seu ordinum, vt concedit S. Thomas. Ergo & in voto Religiosorum, cùm tam hoc, quàm illud sit solenne. Quòd si dicas Illud non est essentialiter annexum Ordini sacro, hoc verò est annexum essentialiter statui religioso. Respondeo Hinc solùm infertur, fieri non posse, vt quis religiosus permaneat voto soluto, non verò infertur votum non posse tolli vnà cum religioso statu, imò ostenditur ipsum quoque religiosum statum posse auferri; cùm hic solùm consistat in obligatione votorum. Hinc

Collige Quod dicitur de voto castitatis, id intelligendum est de voto solenni paupertatis, & obedientiæ, nam in his potest Summus Pontifex dispensare, si causa legitima subsit. Et quidem Sotus *lib. 1. de Iustitia q. 1.* dicit reipsa dispensari cum Episcopis ex Religiosis factis, in voto paupertatis. negat S. Thomas *loco citato ad 4.* Nauar. *de Religiosis Monit. 12.* Syluester *Verbo Religio 6. n. 10.* quia inquit Monachus per Episcopatum, non desinit esse Religiosus, cùm hæc vota sint de essentia Religionis, vt colligitur *c. Cùm in Monasterium, de statu Monachorum*, ac proinde Syluester dicit Religiosum factum Episcopum, non esse dominum suæ portionis, sed solùm dispensatorem, & administratorem.

Ad fundamentum S. Thomæ constat, quòd status religiosus possit auferri ab homine, cùm non consistat in aliqua consecratione distincta ab obligatione votorum, quæ obligatio potest auferri ab homine.

Dices 1. In iure naturali, & Diuino, Summus Pontifex non potest

potest dispensare. Sed dispensatio in voto, est iuris naturalis relaxatio. Ergo.

Respondeo Papam posse dispensare in lege Diuina per Epicheiam, vt dixi *Disp.* 1. *q.* 1. *in AEquilib.* ita & obligationem Deo factam potest auferre, declarando Deo id esse placitum, propter maius bonum.

Dices 2. Si votum castitatis solenne posset tollere Papa, posset etiam tollere vinculum Matrimonij rati. Sed hoc non potest. Ergo nec illud.

Respondeo Negando Minorem, in Matrimonio rato non consummato, vnde Caietan. *tom.* 1. *opus.* 24. dicit Summos Pontifices suo tempore sæpè dispensásse. Et Nauar. *c.* 22. *n.* 21. citat Paulum III. & Pium IV.

Dices 3. In voto solenni est traditio sui, in voto simplici solùm promissio, id autem quod semel traditum est, nunquam repeti potest.

In voto simplici est traditio sui.

Respondeo In voto simplici esse etiam traditionem sui, non solùm promissionem, imò per vota simplicia posset quis fieri verus Religiosus, si ad hunc finem sedes Apostolica ea acceptet. Quare non ita se habet votum simplex ad solenne, sicut sponsalia ad matrimonium, nisi fortè intelligas de illo voto simplici, quo quis promittit se fore religiosum.

Dices 4. S. Matthæus Apostolus noluit dispensare cum Iphigenia Regis Æthyopum filia, vt Hircano nuberet, etsi ipse promitteret conuersionem sui regni.

Respondeo Ideò Apostolus noluit dispensare, quia non constat certò, an Hircanus petierit, vt cum Iphigenia dispensaret, vel si petiit, fors non syncerè promittebat conuersionem, vel etiamsi syncerè promittebat, videbatur Sancto, hic & nunc, non esse expediens, vt dispensatio concederetur.

Dices 5. Eccl. 26. dicitur, Omnis ponderatio, non est digna animæ continentis. Ergo non potest fieri relaxatio in voto, quia omnium præstantissimum.

Respondeo. Nego Consequentiam. Ad authoritatem S. scripturæ

pturæ dico, non præferri continentiam omnibus virtutibus, sed tantùm talentis auri.

QVÆRES I.

Ad quid teneatur Religiosus inualidè professus?

Dico 1. Religiosus inualidè professus, non tenetur ex vi professionis regulam, aut vota seruare. Ratio est, quia obligatio ex vi professionis est effectus consequens professionem validam, hic autem supponitur professio inualida. Ita Rodericus *in summa c.* 92. *n.* 5. Nauar. *consil.* 89. *n.* 6. *&* 7. Religiosus inualidè professus ad quid tenetur.

Dico 2. Religiosus inualidè professus, tenetur reclamare, si quinquennium nondum elapsum fuit, aut tenetur professionem ratificare. Ratio est, quia non reclamando, vel professionem non ratificando, iniuriam facit Religioni. Reclamatio quando valet.

Dico 3. Inualidè professus tenetur professionem ratificare elapso quinquennio, dum illi tempus non ampliùs vacat ad reclamandum. Ita Rodericus 2. *parte. cap.* 92. *num.* 5. Anglez. 2. *p. de Voto. q. vnica. a.* 1. Bonacina *de clausura. q.* 2. *p.* 10. *num.* 2. *Et Trident. Sess :* 25. *cap.* 19.

Dico 4. Professionis ratificatio requirit nouum consensum. Ratio est, quia professio perficitur consensu, circa materiam habilem, seu cum subiecto habili.

QVÆRES II.

Quibus ex causis Religioso competat ius reclamandi contra professionem?

Respondeo Multas causas afferunt Doctores. Prima est Defectus legitimi consensus, quis autem sit legitimus consensus dictũ est. *Disp. de Contractibus.* Causæ reclamationis.

2. Defectu integri nouitiatus : Concilium enim Trident. *loco citato. cap.* 15. requirit integrum annum, qui annus debet esse continuus. Vide Rodericum. *tom,* 3. *q.* 15. *art.* 10. *ad finem.*

 Porrò

Porrò annus nouitiatus mensurandus est à die habitus suscepti. 3. causa reclamationis, est defectus legitimæ ætatis. Ita Trident. *loco citato*, vbi decernitur, vt nullus ad professionem admittatur quem non constet sexdecim annos integros compleuisse, ætas verò computanda est à die natiuitatis. Hic aduerte Professionem factam, non valere, non solùm in ratione voti solennis, sed neque in ratione voti simplicis. 4. Causa reclamationis, quando profitens non erat sui iuris, res enim vni tradita, alteri tradi nequit: Ex quo sequitur, quòd coniugatus inuita vxore non possit professionem facere. Similiter seruus absque consensu Domini, Ita habetur *Cap. si quis incognitus* 17. *q.* 2. Quod non intelligitur de subditis in Polonia, quia isti non sunt serui, vt probatũ est. In Æquil. Iustitiæ. *Disp.* 2. *q.* 2. *a.* 3. dumodò habeant conditiones prærequisitas, neque Domino quidquam debeant, 5. Causa reclamandi, est diuersitas sexus, vt si fæmina in Religione virorum, aut è contra, professionem emisit. Ita decernitur *in cap. Definiuimus* 18. *q.* 2. Tum quia error circa substantiam personæ, irritat contractum. 6. Causa reclamationis contra professionem conceditur, dum adfuit defectus potestatis in acceptante illam. Colligitur *ex cap. Ad Apostolicam de regular.* Ratio est, quia professio est contractus, quo religio obligatur religioso, & religiosus religioni, non potest autem religiosus obligari religioni, nisi adsit aliquis, qui eius obligationem acceptet, habens potestatem acceptandi.

In Polonia subditi possunt esse Religiosi.



QVÆSTIO VI.
De Festorum Celebratione, & de Missa audienda?

Quæstio præsens diuiditur in 6. Articulos

In
1. quæretur Quo præcepto præscribitur festorum celebratio.
2. Quænam opera permissa, vel prohibita sint in die festo.
3. De causis excusantibus laborantes seruiliter in die festo.
4. Quale præceptum sit audiendi Missam die festo.
5. Quibus actibus, quâue attentione debeat impleri hoc præceptũ.
6. Quas Personas obligat hoc præceptum, & quibus diebus.

ARTICVLVS I.

Quo præcepto præscribitur festorum celebratio?

Nota 1. In hoc præcepto, *Memento vt diem sabbati sanctifices*, tria includuntur, nimirum cultus Diuinus, deinde determinatio temporis ex parte illius cultus, quia in Sabbato, deniq; prohibitio operis seruilis: atq; ita præceptum istud partim est morale, quia in aliquo genere virtutis moralis, partim ceremoniale scilicet exhibitio cultus Diuini in die sabbati actu exteriori, nimirum psallendo, orando, & meditando Deum, & cessatione ab opere seruili. Vnde & in lege Euangelica præceptum hoc partim est morale partim ceremoniale, vt est exhibitio cultus latriæ Deo, est morale, vt verò est, exhibitio cultus in die Dominico, est ceremoniale, similiter cessatio ab opere seruili.

Quid includatur in hoc præcepto Memento vt diem Sabbati sanctifices.

Nota 2. Hoc præceptum sanctificandi sabbatum, est distinctum præceptum, ab hoc præcepto: opus seruile non facies in eo, quamuis hoc negatiuum includatur virtualiter in affirmatiuo, eodem enim præcepto, quo præcipitur vnum, prohibetur etiam omne impedimentum, quod illius executionem prohibet, atq; adeò, cùm opus seruile maximè impediat animi in Deum recollectionem,

quæ præcipitur per illud *Sabbata sanctifices*, etiam prohibetur & hoc, *Non facies opus seruile*, nam actus ille non prohibetur, nisi quia impediens, vel retrahens à cultu, qui affirmatiuo mandato præcipitur.

In hoc præcepto cultus latriæ præcipitur.

Dico 1. Exhibitio cultus latriæ, quæ tertio præcepto Decalogi, (*Memento vt diem sabbati sanctifices*) præcipitur, & prout est quid morale, est de lege naturæ strictè. Probatur Quia lumine naturali cognoscimus, pro aliquo tempore indeterminatè tamen, cultum Deo esse exhibendum, quod est indispensabile; vt probat D. Subtilis *in 3. dist. 37. n. 7.* & à me insinuatum est *D sp. 1. q. 1. a. 3.* Ergo est de lege naturæ.

Cultus exterior determinato tempore cuius legis.

Dico 2. Cultus exhibendus Deo, actu exteriori, pro determinato tempore, & determinatè, V. G. Sabbato in lege veteri, vel in die Dominica, in lege noua, non est de lege naturæ strictè, sed in lege antiqua erat præceptum legis Mosaicæ, & nunc est præceptum positiuum Ecclesiæ. Probatur quia si talis cultus pro determinato tempore, esset de lege naturæ, sequeretur quòd non posset commutari dies sabbati in diem Dominicum, quia quæ sunt de lege naturæ strictè, sunt immutabilia, & indispensabilia.

PETES *Cur diem Sabbati in diem Dominicum Ecclesia commutauerit?*

Cur sabbati dies in diem dominicum commutatur.

Respondeo Quia huius sunt opera mirabilia, quæ Deus operatus est, die enim Dominica, cœlum, & Angeli creati sunt, hac die Christus Dominus resurrexit, de qua die locutus est Psalmista, Psalmo. 117. *Hæc est dies, quam fecit; Dominus exultemus & lætemur in ea*; hac die mundus iudicabitur. &c. 2. Ne videremur consentire cum Iudæis, & eorum cæremonias obseruare: Sabbatum enim significat requiem seu cessationem, eo quòd die septimo Deus requieuerit. Sed Cæremonialia præcepta sunt per mortem Christi Domini sublata, vt probat D. Subtilis *loco citato*, & S. Thomas *1. p. q. 100. art. 3.*

Opus seruile non est de lege naturæ.

Dico 3. Præceptum hoc de Sanctificatione Sabbati, quoad prohibitionem operis seruilis, non est de lege naturæ strictè. Patet Tum quia in hoc Deus interdum dispensauit, vt constat ex Exodo. Tum quia opera seruilia non prohibentur in illo, nisi per accidens, quate-

quatenùs scilicet retrahunt hominem à cultu Diuino, vt docet D. Subt. *loco citato*. Sed posset esse Diuinus cultus simul cum opere seruili. Ergo &c.

QVÆRES.

Ad quem pertineat dies festos instituere?

Dico 1. Summus Pontifex, & Concilium Generale, possunt instituere dies festos. patet quia prædicti sunt supra totam Ecclesiam. Ergo. — Qui possunt instituere festa

Dico 2. Episcopi iure communi in sua tantùm diœcesi, dies festos instituere possunt, cum clericorum, & populi consensu. Colligitur *ex capite pronunciandum, de consecr. dist. 3.* Et *cap. vlt. de ferijs.* Ita Angelus *V. Feriæ. num. 5. & alij.* Non potest autem Episcopus festum instituere alicuius Beati, nondum Canonizati. Ita habetur *C. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum*: imo & Canonizatorum, in Rubrica non positorum.

Dico 3. Principes, vel Ciuitates, vel Respublica, non potest dies festos tanquam sacros instituere. Patet quia potestas secularis, non potest aliquid sacrum præcipere, ex virtute Religionis.

PETES 1. *Quando incipiant, & terminentur dies festi.*

Respondeo Probabilior est opinio Doctorum asserentium, quòd dies festi incipiant à media nocte, vsque ad mediam noctem proximè sequentem, vt etiam incipit, & terminatur ieiunium. Non nego tamen, posse institui festos dies colendos vsque ad meridiem tantùm: quia qui potest totum, potest etiam & partem præcipere. — Quando incipiunt dies festi.

PETES 2. *Cur dies festiui ab Ecclesia instituuntur?*

Respondeo Multiplicem fructum assignant SS. Patres celebrationis festorum? — Fructus celebrationis festorum.

Primus fructus est, vt homines erigant mentem ad considerandam Dei bonitatem, & liberalitatem, qui creaturis suis ita se communicauit, illasque ad tam sublimem statum, (vt Sancti nominentur, & sint,) extulit. — 1.

2. Fructus est, vt fiduciam suam roborent, & desiderium conci- — 2.

concipiant homines ad tam altum & sublimem statum ad quem Sancti peruenerunt; attingendi, quia illi fuerunt homines, sicut & nos sumus, eademq; qua nos carne amicti.

3. 3. Fructus est, vt excitent se fideles ad vitam illorum, & virtutes imitandas, nam vt S. Aug. monet Serm. 47. de SS. *Vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* nam reuera decipimur, si volumus gaudere cum Sanctis, & virtutes illorum nolumus imitari.

4. 4. Fructus est, confusio nostra, vt nimirum conferamus pro maiori nostra humiliatione. vitam nostram, cum vitis Sanctorum. Zelus enim eorum honoris Diuini, confundit nostram tepiditatem: fortitudo eorum nostram pusillanimitatem, humilitas,

5. nostram superbiam, liberalitas nostram auaritiam, &c. &c.

5. Fructus est, vt assumamus illos pro aduocatis, & intercessoribus nostris. Vide quæ dicta sunt hac *Disp. quæst. 2. a. 6. per totam.*

ARTICVLVS II.

Quænam opera permissa, vel probibita sunt in die festo?

Opera duplicia. Nota 1. Opera nostra alia sunt animæ, vt est legere, scribere, docere, disputare, concionari, consilium dare &c. alia sunt corporis, & hæc vel seruilia, ex suo genere, vel non seruilia, opus seruile ex suo genere est illud ad cuius exercitium serui deputati habentur, vt opus arandi, seminandi, fodiendi, suendi, & alia huiusmodi opera mechanica, quæ seruis propriè conueniunt, etiamsi per liberos, nonnunquam exerceantur. Ita Nauar. *c. 13. n. 3. & alij.*

Sabbatum quid? Nota 2. Sabbatum idem est, quod quies Dei, quo scilicet Deus ab opere creationis cessauit, die septimo, & sic præceptum de sanctificando sabbato cæremoniale fuit. Hoc festum rursus allegoricè typus erat sabbati, id est quietis, quâ Christus Dominus quieuit in sepulchro eodem die. Tropologicè verò est typus sabbati nostri, quo à peccatis cessare debemus, de quo vide S. Hieron. *in c. 9. Isaiæ.* Anagogicè verò. typus est sabbati, & quietis æternæ in cælis, iuxta illud Apocal: 14. *Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.*

Nota

Nota 3. Multæ sunt causæ sabbati instituendi, Prima vt sabbato homines opus creationis, & beneficium naturæ institutæ à Deo expenderent, vt habetur *Gen.. 2. & Deut. 14.* 2. causa ob memoriam liberationis, ab Ægyptiaca seruitute, vt habetur *Deut. cap. 5.* 3. vt sabbatum dicatum Deo signum esset electione Diuinæ, quâ Deus Israelem præ alijs gentibus sibi in populum adoptauit. Causæ sabbati instituti.

Dico 1. Fideles diebus festiuis occupare se debent. 1. in sacrificiis, tum internis, vti sunt deuotio, oratio, gratiarum actio, compunctio, actus fidei, spei, & charitatis : tum externis, hinc Iudæi in sabbato duplicabant sacrificium iuge. *Num. 29.* 2. in lætitia spirituali. 3. In carnis, & concupiscentiarum mortificatione. *vt exhibeant corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Rom. 12.* 4. In actibus misericordiæ *Ad Hebr. 13. Beneficentiæ nolite obliuisci.* 5. In legendo, & audiendo verbum Dei. Actor. 3. *Voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur.* Et Ioan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Hinc Quibus rebus fideles debent se occupare.

Collige 1. Peccare fideles, qui auditâ Missâ, otio vacantes, totum diem in chartis, vel aleis, aut in choreis, ebrietatibus, comessationibus, aliisq; peccatis: & vanitatibus transigunt, contra tales insurgit Isaias cap. 1. *Solennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta.*

Collige 2. Festa colentium fructus, & præmia describit Isaias *cap. 58.* qui fructus, & præmia leguntur ibidem.

Dico 2. Præter prædicta enumerata in prima Conclusione, probabilis est sententia antiquorum Theologorum, obligans fideles ad contritionem de peccatis eliciendam diebus festis, & vt abstineant à peccatis, vnde secundùm hanc opinionem in die festo V. G. committens fornicationem, duplex peccatum committit, vnum contra Religionem diei festi, aliud contra specialem virtutem nimirum contra castitatem. Hanc difficultatem examinaui fuse *in Tabula Naufragij disp. 4. q. 3. a. 2.* & *disp. 5. q. 3. a. 5.* Contrarium sentiunt Caietan. *2. 2. q. 122. a. 4.* Nauar. *c. 6. n. 10.* & communiter Neoterici, dicentes præceptum colendi festum diem præcisè cadere in abstinentiam ab operibus seruilibus, & in auditionem sacri con- Ad contritionem obligantur in die festo.

cri, consequenter confabulantem, ludentem, & peccantem in die festo non peccare specialiter contra præceptum diei festi, quamuis ideò prohibita sunt opera seruilia in die festo, vt fideles rebus Diuinis faciliùs vacare possint, non tamen alias res Diuinas præcipit, cùm finis præcepti, vt sic non cadat sub præceptum, & præceptum diei festi respiciat tanquam materiam auditionem Missæ & abstinentiam ab operibus seruilibus, tanquam finem verò exercitiorum Diuinorum, & cultum Dei. Ita Neoterici.

Opera seruilia prohibentur.

Dico 3. Opera corporalia propriè seruilia prohibentur in die festo: cuiusmodi sunt fodere terram, arare, putare vites, triturare, &c. Hæc Conclusio patet ex cap. 23. Leuitici. *Omne opus seruile non facies in illo.* constat etiam ex communi vsu Ecclesiæ, & Doctorum consensu. Constat etiam ex pœnis quibus puniuntur violantes festa, nam quidam frangunt crura, vel collum, quidam in bonis damna patiuntur, fulmine percutiuntur, vel pecora illorum, vel prædia, aut domus comburuntur, &c. Vide Hieremiam *cap.* 17. Dixi *opera quæ sunt propriè seruilia,* quia opera corporalia communia Dominis, & seruis, nobilibus, & ignobilibus, licitè fieri possunt quolibet die.

Scribere est licitum

Vnde licitum est iter facere, parare necessaria pro itinere vt cibum, currum adaptare, (non tamen nouum ædificare) hæc enim, accessoria sunt itineri, quod licitè suscipitur in die festo dummodo non sint currus onusti oneribus, vel iumenta, non sint onusta; hoc enim esset opus seruile per se loquendo, vt probat Suarez. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 7. Porrò Emanuel Sa *Verbo Festum num.* 5. dicit esse licitum iter agere comitantibus animalibus onustis supellectili, quod aliqui non improbant, vbi recepta est consuetudo, vel grauis necessitas postulat.

Quæ licita diebus festis.

Aduerte hic 1. Diebus festis licet iumenta pascere, adaquare ex fossis extrahere, infirmos curare Matth. 12. Vnde Iudæi superstitiosè colunt sabbatum, ab omni prorsus opere abstinentes, neque cultrum è terra leuare volentes. Quare tritum, & ridiculum est illud, vt habetur *in Annalibus Angliæ.* de Iudæo, cui nomen Salomon in foueam sordidam cadente, quem cùm vellent Christiani ex illa fouea extrahere. Respondit.

Sabbata Sancta colo, de stercore surgere nolo.

Quòd cùm delatum esset ad Iudicem Christianum, quòd noluerit extrahi Sabbato, præcepit Iudex ne die Dominico extraheretur, his verbis.

Sabbata nostra quidem, Salomon celebrabis ibidem.

Aduerte 2. Licitum est scribere, vel transscribere etiam lucri gratia, quia tales actiones non sunt omninò seruiles. Vide Nauarrum *cap.* 13. *q.* 4. Non est autem licitum pingere die festo, siue causa lucri, siue causa recreationis, aut causa addiscendæ artis, quia hæc actio videtur esse omninò opus seruile. Vnde nec iuuenes excusantur à peccato, qui die festo designant, vel in chartis describunt ea, quæ postea fabricaturi sunt. Ita Sa *loco citato.* & Suarez *c.* 24. Alij verò talia facientes excusant à peccato, ex benigna Ecclesiæ permissione, & ex morali quadam necessitate, ne homines toto die otio vacent. Ita Azor *cap.* 27. *q.* 6. Layman *lib.* 4. *t.* 7. *cap.* 2. *num.* 3, *& alij.* Licitum est scribere. Pingere an liceat.

Aduerte 3. Licitum est diebus festis vti musicis Instrumentis aucupari etiam lucri causa, piscari præsertim hamo, licitum quoq; est & choreas ducere, tamen consulerem abstinendum, nam choreæ sunt circulus in cuius centro sedet diabolus. Ita citati DD. Licitum est vti musica. Choreæ quid?

Aduerte 4. Quælibet sententia tam ciuilis, quam criminalis requirens strepitum iudicialem vetita est in die festo. constat *ex capite vlt. de ferijs.* aliæ verò sententiæ non requirentes strepitum iudicialem, non videntur prohibitæ in die festo. Ita Suarez. *cap.* 3. *num.* 9. & sic Aduocati possunt Iudices informare. Porrò processus, & alia ad strepitum iudicialem pertinentia sunt licita in die festo vrgente necessitate. Vnde Iudices rurales iudicium diebus festis exercentes, in negotijs ad pauperes pertinentibus, excusantur à peccato, in nostra Polonia Gromadzi vulgari idiomate dicta, dummodò sacrum non omittatur, vel si fiat post Sacrum Ita Nauar. *c.* 13. *n.* 13. *& alij.* Iudicium an sit permissum.

Aduerte 5. Nundinæ quæ fiunt bis, vel ter in anno, licitæ censentur ob consuetudinem diebus festis, ita tamen vt sacrum audiatur Nundinæ an sint licitæ.

diatur illo die. Ita Suarez. *cap. 29. num. 4. & alij.* Porrò illi mercatus qui singulis hebdomadis habentur, diebus Dominicis, & diebus festis omninò ante sacrum, & conciones, non sunt permittendi, quia homines distrahuntur, & Missam omittunt, vbi tamen consuetudo recepta est, excusaret à peccato, si Missa audiatur, hæc tamen consuetudo, non est introducenda, sed penitus eradicanda. Ita Nauar. *cap. 13. num. 8.* Suarez. *cap. 29. num. 4.* Hinc sequitur illos homines non esse excusandos, qui totum diem festum consumunt in exigendis rationibus, computis, numerationibus, & maximè cum Iudæis, qui ex tali facto irrident festa nostra, & summoperè scandalizantur, *Væ autem homini per quem scandalum venit.*

Mercatus.

Aduerte 6. Citatio facta in die festo non est valida, quia est pars strepitus iudicialis. Quare nec citatio facta pro die festo, obligat ad comparendum die proximè sequenti festum. ita habetur. *capite vltimo, de ferijs.* Similiter non potest testis in die festo recipi, & examinari: quia actus iudiciales pertinentes ad forum contentiosum, vetiti sunt in die festo. Sed examen testium est actus iudicialis. Ergo.

Citationes sunt illicitæ.

Aduerte 7. Non potest licitè, aut validè fieri executio sententiæ in die festo. Ita habetur. *lege vt in die.* Ita communiter DD.

Confirmantur Omnia prædicta, & Conclusio, ex Zelo antiquorum Polonorum, qui Diem Dominicum proprio idiomatè vocarunt. *Niedzielia.* id est, nihil labores, nihil facias. ô quantum distant moderni Poloni ab illis, qui diebus festis omnia exequuntur, & pauperes subditos, laboribus, itineribus opprimunt, &c. &c. Non recordantur Diuini præcepti. *Memento vt diem sabbati sanctifices?* ad nullum præceptum DEVS addidit hoc vocabulum *Memento.* & tamen minimè huius præcepti homines Christiani recordantur, reuera illud Hieremiæ Thren 1. optimè dici potest. *Videntes deriserunt Sabbata nostra.* Videntes Iudæi, infideles festa nostra, irrident illa.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Quænam sint causæ excusantes laborantes seruiliter in die festo?

Suppone Seruiliter laborantes diebus festis peccant mortaliter, contra Religionem, vt cultum Deo debitum, excusant tamen aliquæ causæ. Laborare die festo est peccatum mortale.

Prima causa excusans à peccato mortali, est, quoties opera seruilia in honorem, & cultum Dei fiunt immediate, vt organa pulsare, vti instrumentis musicis, pulsus campanarum, hæc enim coniuncta sunt cum ipso cultu Diuino. Quæ verò remotè spectant ad Dei cultum, non licitè fiunt in die festo, cùm commodè fieri poterant diebus antecedentibus, V. G. purgare ornare templa, hæc tamen præstare ex rationabili causa, nō est peccatū mortale. Ita Suarez. *tom.* 2. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *c.* 21. nullo autē modo licet, colere agros Ecclesiæ, conficere calices, ædificare Ecclesias, portare, vel aduehere lapides ad Ecclesiam ædificandam, quia hæc sunt propriè opera seruilia, nisi fortè sit vrgens necessitas, & hoc ex facultate Episcopi, Ita Nauar. *c.* 13. *n.* 4. Caietan. 2. 2. *q.* 122. *a.* 4. Sotus, & alij. Causa prima excusans est cultus Dei.

2. Causa excusat à peccato mortali, paruitas, seu leuitas materiæ, V. G. laborare vno, aut duobus quadrantibus, aliqui verò nec vná horá integrá laborare putant esse peccatum mortale, Ita Suarez. *loco citato. num.* 11. *cap,* 31. Bonacina putat esse peccatum mortale vná horá laborare, *Disput.* 5. *q. vnica. p.* 3. *num.* 2. Non peccat autem ille mortaliter, qui pluribus diebus festis, parua opera seruilia præstat; quia illa parua opera non continuantur, nec integrant vnam materiam, & cultus diei festi est affixus diei festo, cōsequenter transit cum ipso die. Leuitas materiæ excusat.

3. Causa excusans est pietas, V. G. sepelire mortuos, inseruire infirmis, &c. hæc enim semper licita sunt, quia sunt opera pietatis per se: illa verò opera pietatis quæ sunt per accidens, vt sternere publicas vias pro viatoribus, domus Religiosas ædificare, &c. Pietas

hæc nõ excusant à peccato, si fiãt in die festo, nisi fortè adsit necessitas grauis, vel alia iusta causa. vide Bonacinam *loco citato. num.* 7,

Necessitas & quæ.

4. Causa excusans, est necessitas, vel alia causa, quæ iudicio prudentis iusta videatur, nam Ecclesia non obligat cum graui incommodo, & in legibus humanis datur Epikeia. Hinc sequitur 1. Parantes necessaria ad victum in die festo excusantur, V. G. qui carnes coquũt, vendunt &c. Non tamẽ excusantur molitores pistrinorum, quia molitura est opus seruile. Ita Nauar. *cap.* 13. 6. Syluest. *Verbo Dom. q.* 5. Limitat noster Rodericus. *cap.* 122. *n.* 4. qui vtuntur molendinis fluuialibus, aut venti, in quibus exiguus labor seruilis impenditur, isti excusantur. maximè ob multitudinem concurrentium ad molendinum, aliâs si notabilem temporis partem his insumant, non excusantur si non vrgeat talis necessitas. Similiter pistores non excusantur, conficientes panes in festo.

Molitores qui excusantur,

Pistores.

Medici.

Sequitur 2. Excusari medicos, chirurgos. pharmacopolas; modo conficiant solùm medicinas ob necessitatem illius diei. Barbitonsores si paucos radant excusantur.

Pugnantes.

Sequitur 3. Excusantur decertantes bello, aggeres, vel foueas struentes, tormenta bellica parantes, quod & in antiqua lege fecerunt, vt constat ex libris Machabæorum. Similiter excusantur nautæ remiges &c. *ita communiter* DD.

Tempore messis.

Sequitur 4. Excusari eos qui segetes metunt, ne imminente tempestate pereant. Hoc tamen intellige modò sine scandalo, & auditâ Missâ id faciant, & cum scitu Episcoporum, vel Parochorum, si consuetudo Parochis permittit.

Causa lucri.

Sequitur 5. Excusari seruiliter laborantes, metu amittendi magni lucri, maximè si hoc anno tempus ad obtinendum tale lucrum amitteretur. Ita Naruar. *loco citato num.* 9. Suarez *cap.* 33. *num.* 6.

Excusat absentia à loco.

5. Causa excusans, est absentia à loco, in quo dies festus celebratur. Ratio est quia nullus tenetur legibus sui domicilij, quæ non obligant in loco, vbi pro tempore reperitur. Ita Suarez. *c.* 14. *num.* 11. *& alij.*

6. Causa

6. Causa est excusans, coactio, sicut subditi, filij, serui, compelluntur à dominis, & parentibus, væ tamen compellentibus, si autem in contemptum fidei compellantur, vel festi, non debent obedire, sed potiùs eligere mortem. Ita Suarez. *Numero* 4. *estq; communis* DD.

7. Causa excusans, est dispensatio, quod verum puto in festis ab Ecclesia institutis, die autem Dominico sola grauissima necessitas dispensat, quia hoc est præceptum Diuinum: in quo nec Papa dispensat. Dispensatio.

Circa festa, verò in Mensibus Iulii, Augusti, & septembris, exceptis tamen festis visitationis, & Assumptionis B. Virginis, possunt Episcopi dispensare, quoad operarios imminente necessitate ob fruges recolligendas, seu recollectas, sed iniuriæ temporis expositas, non obstantibus diebus festiuis, ita decreuit Sacra Congregatio, die 21. Ianuarij. 1634. nullo autem modo permisit licentiam transferendi festa, mensibus prædictis in diem Dominicum. Circa quod decretum aduerte, Parochis non esse datam facultatem dispensandi in festis prædictorum mensium, sed Episcopis in Regno Poloniæ existentibus.

8. Causa excusans est consuetudo, dummodo talis sit consuetudo, quæ habeat conditiones prærequisitas. 1. vt non sit contra ius Diuinum, vel naturæ. 2. vt inducatur per actus voluntarios, & ab iis qui legem seruare tenentur. 3. vt sit consuetudo longæua, ad abrogandas leges Canonicas, requiritur spatium temporis 40. annorum. Ita Suarez. *lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 12. Layman. *t.* 4. *l.* 5. *c.* 3. Consuetudo.

ARTICVLVS IV.

Quale præceptum sit audiendi Missam die festo?

Nota 1. Nomine Missæ intelligitur actio sacra, quâ conficitur corpus Christi Domini, quod Deo in Missa offertur, & à Sacerdote sumitur pro communione. Missa quid?

Nota 2. Nomine auditionis Missæ intelligitur ea actio, per quam quis interest Missæ humano modo, corpore scilicet & mente in tali distantia, vt possit saltem videre Sacerdotem, attendere ad il- Auditio Missæ.

ad illius ministerium. Ex quo sequitur quod amentes, vel Ebrii existentes in templo tempore Missæ, non audiunt Missam. Ita Nauar. *cap*, 22. *num*. 2.

Obligantur ad Missam fideles.

Dico 1. Missam audire diebus festis, tenentur fideles ex præcepto Ecclesiastico. Ratio est. Tum *ex cap. omnes fideles de consecrat. dist.* 1. Tum ex consensu omnium DD. Tum ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ. Tum ex congruentia, nam dies festi, deputati sunt ad Diuinum cultum, & ideò, sicut aliquid prohibetur istis diebus, à quo abstinentes fideles, magis sunt expediti ad vacandum Diuinis rebus, ita etiam aliquid positiuè præcipitur, quo fideles eisdem diebus Deum colant. Sed nihil accommodatiùs præcipi poterat, quàm Missæ auditio, & assistentia, in qua supremus Dei cultus exterior continetur. Ergo.

Præceptum de Missa quale?

Dico 2. Licet hoc præceptum simpliciter sit humanum, tamen est consentaneum iuri naturali, & Diuino, vt constat ex tertio præcepto Decalogi. Ita Henriquez. *lib*. 9. *cap*. 25. *num*. 1. *& alij*. Hinc,

Omittens Missam peccat.

Collige Summum Pontificem posse dispensare in præcepto audiendi Missam, quia hoc præceptum est simpliciter humanum, in iure autem humano dispensat.

Dico 3. Qui Missam, vel eius partem notabilem diebus festis omittit peccat ex suo genere mortaliter. Ita Nauar. *cap*. 21. *n*. 2. Henriquez. *loco citato. num*. 7. Ratio est, quia omissio sacri est res grauis ex suo genere. Sed omissio præcepti in re graui, est peccatum mortale. Ergo. Dixi *Ex suo genere*, quia multæ causæ excusant à Missa audienda, de quibus vltimo Articulo.

PETES 1. *Quot, & quales Missas teneantur fideles audire?*

Vna Missa debet audiri.

Respondeo 1. Vnam tantùm ex præcepto Ecclesiæ, idq; etiam & in die Natiuitatis Domini, ita Rodericus *cap*. 249. *num*. 5. cum communi sententia DD. quia Ecclesia solùm præcipit auditionem Missæ in die festo: cum neq; Sacerdotes illo die obligantur ad tres Missas, si hoc posset fieri sine scandalo, & ex aliqua iusta causa. Ita Henriquez. loco citato.

Qualis Missa.

Respondeo 2. Satisfacit præcepto Missæ, qui audit Missam

siue

siue de Sancto, siue de mortuis, siue priuatá, siue solennem : quamuis meliùs sit audire Missam tempori accommodatam. Ita Tabiena V. *Missa num. 48. Azor. cap. 6. q. 3.*

Ratio est, quia Ecclesia non præcipit proprij diei audiri, sed solùm Missam, & hanc siue ritu Romano, siue Græco apud vnitos, vt ait Sa. *Verbo votum.*

Plures Missas simul non licet audire.

Respondeo 3. Eum non satisfacere præcepto, qui simul duas, vel tres Missas audiret simul, eodem q; tempore, quæ sententia est multò probabilior, & securior; nam *qui est pluribus intentus, minor est ei ad singula sensus.*

Diuisæ Missæ an possint audiri?

Respondeo 4. Eum satisfacere præcepto, qui vnam partem Missæ audit ab vno Sacerdote, aliam ab alio, quia duæ medietates Missæ constituunt vnam Missam : Hæc sententia est secura : aliqui dicunt securiorem illam, quæ asserit vnius Sacerdotis esse audiendam. Ita Coninchus *q. 83. a. 4. n. 287. & multi alij.*

Integritas Missæ.

Respondeo 5. Tenentur fideles audire Missam integram à principio vsq; ad finem, aliás non satisfacerent præcepto : vnde illi non satisfaciunt, qui non intersunt tribus partibus essentialibus sacrificii. nimirum consecrationi, oblationi, & communioni. Ita Coninchus *num. 285. loco citato.* Henriquez. & alii. Inde

Ab Euangelio valet inclusiuè.

Collige Eum qui prætermittit principium Missæ vsq; ad Euangelium satisfacere præcepto, si modo totam reliquam partem audiret. Vide Nauar. *c.* 21, aliqui putant vt ille qui omisit partem illam ad Euangelium, per seipsum legat. ita Sa *Verbo Missa num.* 2. Addo Eos satisfacere præcepto, qui dum inseruiunt recedunt à sacrificio, vt afferant vinum, aut Hostiam, præsumuntur enim tales non abesse, dummodò breui tempore redeant, nam si per longum tempus abessent, non satisfacerent præcepto Ecclesiæ.

Adultus obligatur.

PETES 2. *An quilibet fidelis teneatur Missam audire die festo?*

Dico 1. Quilibet fidelis obligatur ad audiendam Missam, adultus, nisi legitimè impediatur. Patet quia quilibet fidelis postquam ad vsum rationis peruenerit, est capax præcepti, & obligationis. Ergo obligatur.

Pueri quando.

Dico 2. Missam audire obligantur pueri fidelium, post com-

completos annos septem, & grauiter peccant non audiendo, nisi excusentur ratione ignorantiæ. Porrò parentes tenentur eos instruere, & asuefacere ad audiendas Missas, etiam ante septennium, sicut & ad cætera opera pietatis.

Infideles non obligantur.

Collige Infideles etiam catechumeni non obligantur ad audiendum Missam; vnde antiquitùs Catechumeni solùm permittebantur interesse Missæ vsq; ad oblationem primam, vt constat ex Canonibus, & SS. Patribus.

PETES 3. *Cuius Sacerdotis, quibus diebus, & quo in loco Missa sit audienda?*

Cuius Sacerdotis.

Quantùm ad Sacerdotem. Dico cuiusuis Sacerdotis non solùm validè; sed etiam licitè audiri potest Missa modò non adsit aliqua prohibitio, V. G. si sit Sacerdos excommunicatus, suspensus, interdictus, vitandus, degradatus. Excommunicati verò non vitandi, posset audiri Missa.

Quo die.

Quantùm ad dies Dico Missa est audienda diebus festis ab Ecclesia præceptis, & præscriptis. Ita Rodericus *c.* 123. *n.* 7. estq; communis. Si autem ex voto in aliqua Ciuitate populus celebrat festum aliquod, vel ex consuetudine recepta, omnes fideles obligantur ad audiendam Missam.

Quo in loco.

Quantùm ad locum Dico Quocunq; in loco Missæ sacrificium audiatur, siue in propria parochia, siue in Ecclesiis Religiosorum, siue in oratorijs priuatis, siue extra Ecclesiam præceptum adimpletur : nisi fortè aliquis ex contemptu nolit audire in parochia, talis peccaret mortaliter. Ita Rodericus *cap.* 123. *num.* 9. Nauar. *cap.* 21. *num.* 5. vnde in Ecclesiis Religiosorum, maximè Mendicantium, audientes Missas satisfaciunt præcepto. Ita Rodericus *loco citato, estq; communis.*

Nota.

Aduerte Extare decretum Sacræ Congregationis, in quo cauetur, vt licentia celebrandi Missam in priuato oratorio concedatur, cum hoc onere; vt solùm priuilegiarius, & ipsius familiares, satisfaciant præcepto; audiẽdo diebus festis Missã, in præfato oratorio; non autem extranei. Ita Quaranta *Verbo Missa.*

ARTI-

ARTICVLVS V.

Quibus actibus, quauè attentione debeat impleri hoc præceptum.

Ad audiendam Missam requiruntur actus externi, & actus interni.

Quantùm ad actum exteriorem Dico. Ex vi huius præcepti obligantur fideles secundùm moralem, & corporalem præsentiam assistere Missæ, ita vt quantùm in ipsis est, possint audire, & videre, seu percipere aliquomodo Sacerdotis ministerium; & sic necesse est adire templum, vel locum, in quo Missa celebratur: præcipitur enim hîc talis præsentia corporalis, quæ ordinatur ad percipiendum verba, & Cærimonias Missæ: nihilominùs cæcus, & surdus audiunt Missam, modò assistant cum deuotione, & intentionem habeant. Ita *communiter Doctores*. Debet esse præsens. Cæci & surdi audiunt.

Quantùm ad actum interiorem Dico Ad implendum hoc præceptum requiritur intentio & attentio. Ratio primæ partis, quia vt actus virtutis obligans sub præcepto, satisfaciat præcepto, necesse est quòd fiat, cum electione, & consideratione, volendo satisfacere præcepto; vnde si quis coactus audiat, non satisfacit præcepto. Ille verò non tenetur nouam Missam audire, qui eam audiuit ignorans esse diem festum: Colligitur ex *S. Thoma 2. 2. q. 104. a. 3.* tenet Syluester *Verbo Hora num. 14*, Requiritur intentio;

PETES *An satisfaciat præcepto. ille qui vnam Missam attentè audit habens aliam animo satisfaciendi præcepto, audire, & non audit?* Nota quæ opinio verior.

Duplex est opinio DD. vna affirmat, quia inquit ad impletionem præcepti; non est necessaria intentio faciendi actum, quia præceptus est. Ita Coninchus *Quæst. 83. a. 6. num. 309.* Rationem assignat, quia Ecclesia non præcipit Missam audiri animo adimplendi præceptum. Alia opinio negat, talem satisfacere præcepto, sed esse obligatum ad audiendam nouam, quia talis intenderet, non satisfacere Eccesiæ, per sacrum auditum prius: Sicut si quis debet alicui grossum aureum, & postea illi gratis offert vnum aureum, non potest esse liber à debito, ita & in proposito: quod certissimum est, in ha-

in habente voluntatem positiuam, non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ per prius sacrum, quod audiuit. Vide Rodericum *cap.* 123. *n.* 2. Bonacinam *loco citato. n.* 23.

Requiritur attentio. Ratio secundæ partis est, quia hac lege præcipitur auditio Missæ, vt est actus humanus, sufficiens ad præsentiam moralem. Sed sine attentione vlla, non potest esse actus humanus, nec præsentia moralis. Ergo. Requiritur autem hic talis attentio, qualis est necessaria ad cultum Dei, qualis requiritur ad Diuinum officium persoluendum, quam fuse explicauimus *Quæst.* 3. *de oratione, & Horis Canonicis art.* 6. §. *Dico* 4. Et licet Ecclesia non præcipiat absolutè actus internos, quos nec punire potest, potest tamen indirectè, eos præcipere, quatenùs hîc necessarius, vt actus externus quem præcipit, habeat rationem veræ virtutis. Ita habetur *C. Dolentes de celebratione Missarum.* Ratio est, quia posset quis satisfacere præceptis Ecclesiæ per meram simulationem, V, G. simulando se piè audire Missam. cùm tamen id causâ ridendi faceret. Vnde Confirmatur

Iure quo obligantur ad attentionē. nostra Conclusio. Quicunq; vult audire sacrum, tenetur iure saltem naturæ, & Diuino, si aliquis neget Ecclesiastico, habere internam deuotionem, ita vt verè possit dici hîc, & nunc actum externum religionis exercere, aliás peccaret, contra reuerentiam, Deo, tantisq; mysteriis debitam, iis vagabundo animo interesse, Inde.

Qui peccant in Missa. Collige 1. Eos qui tempore sacri, huc illuc circumspiciunt, peccare etiam contra præceptum Ecclesiæ, quæ externam reuerentiam præcipit: multoq; grauiùs peccant, qui tempore Missæ notabiliter confabulantur, nugantur rident. Item dormientes, pingentes, &c. tales enim non intersunt sacro reuerenter, & excludunt attentionem. Ita *communiter DD.*

Horas recitantes satisfaciunt. Collige 2. Ille satisfacit præcepto Missæ, qui inter Missarum solennia recitat horas Canonicas, aut pænitentiam sibi assignatam, aut cogitat res Diuinas. Ita Rodericus *c.* 123. *n.* 3. *Sa Verbo Missa. n.* 2. Suarez *disp.* 88. *Sect.* 3. Ratio est, quia talis interest corporaliter, vt patet, & mentaliter, Quia ad satisfaciendum præcepto Missæ sufficit attentio ad res Diuinas, quæ hic habetur, quæ attentio cùm etiam sufficiat pro Diuino officio, sequitur, vnâ, & cadem attentio

intentione satisfieri posse præcepto Missæ: & Diuini officij; suaderem tamen magis expedire, hæc diuerso tempore fieri. Ita prædicti Authores, & Coninchus *loco citato n. 307.*

Collige 3. Eum qui tempore Missæ peccata sua confitetur; aliqui negant satisfacere præcepto Ecclesiæ, vt Suarez. *loco citato sect. 6.* Azor. *num. 7.* aliqui verò affirmant, dummodò ille qui confitetur, habeat intentionem audiendi Missam, & applicet illam confessioné ad honorem DEi. Verùm opinio negatiua est probabilior, quia præceptum Ecclesiæ requirit assistentiam corporalem, & mentalem per modum orationis, quam ille qui confitetur, non habet. Ita Bonacina *loco citato. num. 26.* Confiteri an liceat tunc.

ARTICVLVS VI.

Quæ Causæ excusant fideles ab audienda Missa.

Dico 1. Inculpabilis ignorantia excusat fideles ab audienda Missa: Hæc enim sicut in multis aliis præceptis excusat à peccatis, ita & in hoc. Sub ignorantia comprehenditur rationabilis oblinio, vel inconsideratio. Ita Suarez. *disp. 88. Sectione 6. estq; communis.* Ignorantiá excusat.

Dico 2. Impotentia non solùm physica, sed etiam moralis excusat ab audienda Missa. Ratio est, quia impossibilium non est obligatio. Hinc. Impotentia.

Collige 1. Illos excusari qui nequeunt audire Missam absq; graui detrimento sui, aut proximi, siue sit detrimentum animæ, seu spirituale, siue corporis: siue famæ, siue honoris, siue lucri nosi tabilis, siue alterius boni. Vnde excusantur infirmi, qui timent sibi periculum grauioris morbi, si adeant templum. Item qui custodiunt infirmos. Ita Nauar, *cap. 21. num. 9.* Rodericus *cap. 123. n. 9.* Suarez, *loco citato.* Item excusantur nutrices, quæ non possunt domi relinquere infantes, vel quæ non possunt eos ferre secum ad templum absq; graui celebrantis, vel astantium perturbatione. Ita communiter Doctores. Infirmitas

Item Excusari eos, qui Missam nequeunt audire, nisi aliquod graue negotium prætermittant, quod in aliud tempus differri nequit Negotia grauia.

Pastores. quit, vt nautæ qui vento obediunt; Pastores, qui non possunt sine periculo gregis Missam audire, illis tamen suadendum, vt alios interdum in locum suum substituant.

Custodientes domum. Item Excusari eos, qui in pagis, vel oppidis, vbi vnica Missa celebratur remanent domi ad custodiam domus, vel ad cibos præparandos. Ita Rodericus *cap. 123. num. 6. cum communi sententia Doctorum*. Quare & in nostra Polonia excusari puto illos, qui tempore hyemis manent domi ob pecora pascenda, vel custodienda, ne vnum aliud lædat, præsertim vbi est numerositas pecorum.

Distantia magna. Collige 2. Eos qui longius distant ab Ecclesia excusari, si commodè nequeant adire Ecclesiam, habitâ ratione loci, temporis & personæ: fieri enim potest, vt qui tempore sereno, non excusatur ob spatium medij milliaris polonici, excusetur tempore niuis aut magnæ pluuiæ, aut dum durat intensum frigus. Ita in simili Suarez. *loco citato. sect. 6. & alij*.

Periculum. Collige 3. Eos excusari, qui non posunt securi domo exire qui timent sibi periculum aliquod, vel corporale, vel spirituale. Ita Nauar. *c. citato*. Angelus *verbo feriæ. num. 42*.

Incarcerati Item excusanturqui detinentur in vinculis, aut quibus domus loco carceris constituta est. Ita Suarez. *loco citato*.

Censura excusat. Dico 3. Censura excusat fideles ab audienda Missa. Vnde interdictus & excommunicatus non obligatur. Ita Syluester *Verbo Missa num. 1*. Nauar. *cap. 23. num. 3*. Item Ille qui non habet Sacerdotem alium, præter excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum vitandum.

Consuetudo an excusat. Dico 4. Consuetudo Regionis, potest aliquando excusare ab audienda Missa in die festo. Vnde in Polonia excusantur viduæ in aliquibus locis, quæ mortuo marito ad certum tempus non exeunt domo, hanc tamen consuetudinem non adeo approbo præsertim si diutiùs abstinere deberent à Missa. Excusant aliqui puellas nobiles, quæ domo non consueuerunt exire: Ita Nauar. *cap. 21*. Rodericus *loco citato*. quæ tamen consuetudo, in Po-

in Poloniæ regno non viget. Item excusantur fæminæ, quæ post partum domi se continent non solùm ob debilitatem, sed ob reuerentiam, vbi est talis consuetudo, modò id non faciant ad seruandum ritum Mosaicum: ob menstrua verò temporalia, præcisâ debilitate non excusantur fæminæ ab audienda Missa, Ita Caietan. *in Summa Verbo Festa.* Suarez *disput.* 88. *Sectione 6.*

PETES *An teneatur ille, qui non potest Missam audire, alias recitare orationes?*

Respondet D. Subtilis *in 3. dist. 9. num. 5.* his verbis. *Et si aliqua necessitas excuset ab executione huius actus, quem determinauit Ecclesia, necesse est illum implere in æquiualenti, vel saltem die illo specialiter deputato cultui Diuino, aliquis actus habeatur, relatus immediatè in DEVM ad eius reuerentiam.* Non audientes Missam recitent alias orationes.

Non placet hæc pia opinio recentioribus, vt Nauarro *c. 21. n. 7.* Suarez. *disp. 88. Sect. 5, & alijs.* sed immeritò, quia præceptum colendi Deum est naturale, quod determinatum est ab Ecclesia diebus festiuis, quòd si non potest impleri per Missam, alio cultu, nempe per orationes implendum est.



O R A T I O.

DOMINE IESV CHRISTE, *qui es vera lux omnem, hominem in hunc mundum venientem illuminans, illumina intellectum omnium hominum falsarum religionum, & sectarum, tenebris, crassissimis, inuolutum, vt gratiæ Tuæ luce perfusi,* abie-

abiectis omnibus fraudibus ac fallacijs, ad veram Religionem Catholicam accedant, eamq; amplectantur, sine qua salus obtineri non potest: quaq; Te illustrante sincerè cognitâ, Teipsum cum Patre, & Spiritu Sancto, & in via & in Patria collaudere, adorare, & concelebrare possint, & ad optatum sibi finem Tuæ cognitionis, & dilectionis pertingant.

Amen.



QVÆ-

QVÆSTIO VII.
De Augustissimo Sacramento Eucharistiæ.

Cùm Sacramento Eucharistiæ, discernantur veræ Religionis cultores, à cultoribus falsæ religionis, circa quod innumerabiles habent errores, proinde non absq; re arbitratus sum, Typo veræ Religionis Quæstionem de Augustissimo Sacramento Eucharistiæ inserere, vt vera Religio, à falsa Religione discernatur.

Hanc igitur Quæstionem in 11. *Articulos diuidam:*

In 1. quæretur, an Sacramentum Eucharistiæ sit Sacramentum nouæ legis.
2. De Institutione Sacramenti Eucharistiæ.
3. De materia Sacramenti Eucharistiæ.
4. De forma Sacramenti Eucharistiæ.
5. De reali præsentia corporis Christi Domini in Eucharistia.
6. De Actionibus quæ insunt Christo Domino in Eucharistia.
7. De transsubstantiatione panis in Corpus Christi Domini.
8. De Accidentibus Sacramenti Eucharistiæ.
9. De Ministro Sacramenti Eucharistiæ.
10. De Suscipientibus Sacramentum Eucharistiæ.
11. De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

ARTICVLVS I.
An Sacramentum Eucharistiæ sit Sacramentum nouæ legis?

Nota 1. Variè Doctores appellant Eucharistiam. Alij appellant Mensam Domini, seu Conuiuium Dominicum: Ita Tertul: *l.* 2. Alij appellant Cænam, *vt S. August. lib. de Sermone Domini in monte cap.* 12. & hoc ideò, quia hoc Sacramentum in cæna fuit institutum. Eucharistiæ nomina varia. Mensa. Cæna.

ſtitutum; vel quia cæna legalis, id eſt Agnus Paſchalis, eius figura fuit ; vel quia eſt cæna myſtica. Denominatur à materia ex qua fit, vel à re contenta, Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini; vel à loco in quo celebratur, Sacramentum altaris: vel à figuris dicitur Paſcha, vel manna, quæ illud præſignârunt : vel ab vſu viaticum, quia viatoribus, vel tranſeuntibus in aliam vitam tribuitur. vocatur ab aliis Synaxis, quia ad illam populus Chriſtianus congregatur. Denominatur ab effectibus, vita, communio &c. Deniq; dicitur Euchariſtia à Greco εὐχαριςέω, quod eſt gratias ago : tum quia ſumma animi gratitudine, ſummam gratiarum, quæ nobis in hoc Sacramento conferuntur, debemus accipere. Antiqui Patres non tam vim verbi Græci, quàm rem ipſam intuentes, Euchariſtiam appellarunt bonam gratiam. tum quòd Chriſtum Dominum fontem gratiæ continet realiter : vel quia ſignificat futuram gloriam, & ideò appellatur pignus hæreditatis : vel quia abundantiorem gratiam accidentalem confert.

Sacramentum altaris. Paſcha. Viaticum. Synaxis. Vita. Bonâ gratia.

Nota 2. Hoc Sacramentum prænunciatum fuit; tum ratione difficultatis aſſenſus illius, quia cùm inter cætera credibilia illud ſit difficillimum, congruum fuit, vt prophetiarum, & figurarum manuductione ad illius aſſenſum perueniretur. Et ſic prænunciatum fuit prophetiis Prouerb. 9. *Sapientia mactauit hoſtias ſuas miſcuit in cratere vinum ſuum.* Pſal. 21. dicitur, *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ.* In quem locum S. Auguſtinus ait. *Tunc manducauerunt quando adducti ſunt ad menſam Domini, & ibi accipiunt de corpore, & ſanguine eius.* Et Pſalm. 77. *Panem cœli dedit eis, Panem Angelorum manducauit homo.* Quæ verba intelligunt Patres de Sacramento Euchariſtiæ. Et Pſalmo 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Deinde prænunciatum fuit figuris, vt in pane Melchiſedech, & vino, vt S. Hieron : inquit Epiſt. ad Euagrium. *Melchiſedech in pane & vino, Chriſti dedicauit Sacramentum.* Significatum fuit per panes propoſitionis Exodi 40. propter eorum ſingularem ſanctitatem, quæ nihil ferebat impuritaris in comedentibus, vt docet S. Damaſc. *lib. 4. de fide orthod. cap.* 14. Præterea *per panes primitiarum Leuit.* 23. Vnde Irenæus

Euchariſtia prænunciata fuit per prophetas

Per figuras.

næus l.4. cap. 32. appellat Sacramentum hoc *primitias diuinorum munerum in nouo Testamento.* Deinde significatur *in pane Heliæ.* 3. *Reg.* 19. Insuper in pane, quem vidit Gedeon euertentem castra Madian, *Iudic.* 7. Tandem in Agno Paschali, *Exodi* 12. Deniq; in manna Ioan. 6. *Patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Plures figuras qui volet legat Sanctum Bonauenturam *in* 4. *dist.* 8. 1. *p. a.* 1. *q.* 1. 2. *&* 3. Et Richardum *ibidem. a.* 1. *q.* 3. Secundò prænunciari debuit, tùm vt expectati dignitas ostenderetur: tum vt expectantes de eo certiores redderentur.

Dico 1. Sacramentum Eucharistiæ est nouæ legis verum Sacramentum. Probatur Cui conuenit definitio, conuenit & definitum. Sed Eucharistiæ conuenit definitio Sacramenti. Ergo. Minor Probatur, quia Eucharistia est signum sensibile, effectum gratuitum, ex institutione Diuina significans, nempe corpus, & sanguinem. Eucharistia est Sacramentú.

Nam species sunt signum sensibile, & caro Christi Domini signatum sub illis continetur inuisibiliter, Ioan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est,* Præterea gratia sanctificans promittitur suscipientibus istud Sacramentum, ibidem. *Qui manducat me, ipse viuet propter me.* Et ita determinatum est in Conciliis, nouissimè in Trident. *Sess.* 13. & SS. Patres ita tradiderunt, vt infra patebit.

Obijciunt 1. Hæretici Eucharistia non est signum gratiæ, quia manet in altari post consecrationem, & nulli per ipsam Eucharistiam gratia communicatur, Ergo illa non est Sacramentum.

Respondeo Quòd quoties dignè recipitur Sacramentum Eucharistiæ, toties confertur gratia recipienti. Quando verò post vsum permanenter existit in altari, hoc ideò fit, quia est Sacramentum permanens, & quia non est primò signum gratiæ accidentalis, sed subsistentis, scilicet ipsius Christi Domini. Eucharistia est primò signú gratiæ sub sistentis.

Obiiciunt 2. Sacramenta nouæ legis, efficiunt quod significant. Sed hoc non præstat Eucharistia: significat enim Corpus & Sanguinem contineri sub speciebus: Species autem non efficiunt.

Sacramenta efficiunt quod significant.

Respondeo Maior propositio ita est intelligenda Sacramenta efficiunt quod significant, id est, si significant aliquid fieri, illud per Sacramenta tanquam per signa efficacia fit: Si autem significant aliquid esse, illud per Sacramenta tanquam per signa veracia, est i Species verò Sacramentales significant Corpus & Sanguinem esse sub illis speciebus, & ideò hæc veraciter significant.

Eucharistia quia permanés non habet verba pro forma.

Obiicitur 3. Sacramenta nouæ legis, habent aliqua verba pro forma: Sed Eucharistia non sic, quia verba Eucharistiæ non sunt simul cum Eucharistia: tum quia Eucharistia manet, verbis non manentibus. &c. Respondeo maiorem esse veram de Sacramentis habentibus esse succeßiuum, non de Sacramento Eucharistiæ, quod habet esse permanens, quodque propterea non potest habere verba pro forma sui esse permanentis, sed quidpiam aliud, scilicet habitudinem specierum ad Corpus & sanguinem Christi Domini, vt ad propria earum significata; licet etiam habeat quædam Verba pro formâ sui esse in fieri, vt Articulo 3. dicetur.

QVÆRES PRIMO.

Quomodo Sacramentum Eucharistiæ definitur?

Definitio Eucharistiæ.

Respondeo Eucharistia à D. Subt. *in* 4. *d.* 8. *q.* 1. tali depingitur penicillo. *Eucharistia est Sacramentum Corporis Christi & sanguinis, veraciter contenti sub speciebus Panis & Vini, post consecrationem factam, à Sacerdote, sub certis verbis, cum debita intentione prolatis, ex institutione diuina, veraciter significans corpus Christi & Sanguinem sub eis realiter contineri.*

Explicatur prior definitio.

Quæ definitio sic breuior reddi potest. *Eucharistia est signum sensibile, effectum gratuitum, nempe Corpus & Sanguinem Christi realiter contineri, sub speciebus panis, & Vini, ex institutione diuina, significans.* *Sacramentum,* denotat genus definiti, scilicet relationem in recto: *Corporis & Sanguinis &c.* terminum seu significatum: *sub speciebus panis & Vini. &c.* denotant fundamentum proximum, & materiam conuersionis: *post consecrationem, &c.* denotat actionem Sacramentalem

mentalem: *à Sacerdote*, ministrum: *certis verbis*, formam: *ex institutione diuina veraciter significans, &c.* modum significandi.

Circa hanc descriptionem obseruat D. Subt. *in* 4. *d.* 8. *q.* 1. *n.* 2. non esse in se falsam, quia nulla pars repugnat alteri. Sed ex 5. *Metaph.* illa ratio non est in se falsa, cuius vna pars non repugnat alteri. Quòd vero non repugnet, patet: Possibile enim est sine contradictione, Corpus Christi Domini contineri sub speciebus Panis, & Sanguinem sub speciebus Vini, vt patebit inferiùs; possibile est etiam ista signa instituta esse à Deo, ad significandum veraciter illa signata sub eis contineri; quia quod Deus potest facere, potest per aliquod signum sensibile, à se ipso impositum significare. Non est vlla repugnantia in Eucharistia.

Deinde non modò eâ ratione prædicta definitio, non est in se falsa, sed etiam de facto illi subest aliquod ens in effectu, nempe Corpus Christi Domini, vt patet authoritate S. Scripturæ. *Matt.* 26. vbi Christus Dominus post cænam istud Sacramentum instituit, vt sub istis speciebus, Corpus eius & Sanguis contineretur, non tantùm quando ipsemet confecit, sed quando postea hoc Sacramentum à Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur, ad quod dedit authoritatem dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Item 1. ad Corinth. 11. *Panis quem frangimus, scilicet nos Sacerdotes, nonnè participatio Domini est.* Tandem subiungit D. Subt. *loco citato.* duraturum hoc Sacramentum in Ecclesia militante, vt constat ex 1. ad Corinth. 11. *mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, supple ad iudicādū. Vnde hic cultus, & vsus Eucharistiæ publicus in Ecclesia erit vsq; ad tempus Antichristi, ille auferet iuge Sacrificiū, quantū ad cultum publicum, sicut persequetur Ecclesiam, & fidem Christianam; sed in priuato frequentabitur à fidelibus, ita vt non desinat vsus eius; donec Christus Dominus venerit ad iudicium. Durabit Eucharistia.

QVÆRES SECVNDO.

An Eucharistia sit vnum aliquod Sacramentum?

Nota 1. Controuersiam esse de vnitate numerica, & specifica per

Vnitas specifica in Sacramentis qualis.

ca, per vnitatem specificam tam in hoc, quàm in aliis Sacramentis, non intelligi vnitatem aliquam naturæ, & Metaphysicam, quâ est V. G. vnitas naturæ humanæ, Sed vnitatem specificam in genere moris, qualis reperitur in rebus artificiatis, & dependentibus ex arbitrio instituentis, quæ eâ ratione habent vnitatem, quia nimirum perfectæ sunt, & integræ, quatenùs sunt entia moralia, vt est exercitus, domus. &c. Dubitatur autem de ea vnitate, propter distinctionem specierum panis, & vini, quarum quælibet seorsim, videtur esse Sacramentum specie morali distinctum ab alia.

Nota 2. Excitatur difficultas de vnitate numerica huius Sacramenti, propter varias hostias, aut etiam varias hostiæ partes consecratas in eodem loco, an scilicet illæ sint vnum, vel plura numero Sacramenta.

Eucharistia est vnum vnitate specifica morali.

Dico 1. Eucharistiæ Sacramentum, est vnum vnitate specificâ atomâ in genere moris. Probatur 1. ex ratione vnitatis contenti, scilicet Corporis, & Sanguinis Christi Domini, qui continetur sub alia specie. Est enim Sanguis aliqnid etiam Corporis sumpti communiter pro corpore, habente tam partes animabiles, quàm eos humores, sine quibus partes illæ animari non possent, licet non sit aliquid eius vt includentis tantùm partes animabiles. Deinde probatur ratione vnitatis vsus, ordinatur enim hoc Sacramentum ad commemorandam Passionem Dominicam vnam, prima ad Corinth. 11. *Quotiescunq; manducaueritis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* 3. Ratione vnitatis significati, significat enim vnam Ecclesiam fidelium. 1. ad Corinth. 10. *Vnus Panis, vnum corpus, multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Denique probatur, quia illud quod est in Sacramento hoc, ordinatur ad vnicam nutritionem Spiritualem animæ. Quare sicut conuiuium, quod constat ferculis, & potibus diuersis, potest dici Physicè plura, moraliter tamen, & in ratione conuiuii est simpliciter vnum: ita hoc Sacramentum, licet ratione cibi, & potus spiritualis, dici possit, aliquo modo Physici plura, tamen in ratione, conuiuii, est simpliciter vnum moraliter; nam Christus Dominus in eo carnem suam, & Sanguinem, tanquam vnum

Ratione contenti.

Vnitate vsus.

Vnitate significati.

Vnitate nutritionis.

cæleste.

cæleste epulum commendauit, *Ioan.* 6. Dixi in conclusione, *vnitate specificâ atomâ vnum*, quia plusquam numero distinguitur à reliquis Sacramentis. Et quia immediatè reponitur sub genere infimo, scilicet sub signo sensibili, effectum gratuitum ex ordinatione diuina significante. Hinc.

Collige Vnitas huius Sacramenti, non est vnitas indiuisibilitatis, vt puncti, nec continuitatis, vt lineæ, nec essentiæ; vt in simplicibus substantiis, vel in compositis ex materia & forma substantialibus, nec vnitas naturæ; nec suppositi, aut etiam subiecti, & accidentis, sed est vnitas perfectionis, & integritatis, quæ consistit in concursu eorum omnium, quæ ad completam nutritionem animæ requiruntur. Qualis vnitas Eucharistiæ.

Dices 1. Laici communicantes sub vna specie, non sumerent integrum Sacramentum, si sub vtraq; specie tantùm habeat vnitatem perfectionis, & integritatis. Respondeo sumere integrum integritate rei contentæ, integritate conuiuii spiritualis, & integritate effectus, non tamen integritate expressioris, significationis; quia expressiùs significatur passio Christi Domini, in qua sanguis fuit à Corpore separatus, per vtramq; speciem, quam per alteram tantùm. Tum qua expressiùs significatur conuiuium Spirituale, puta sub ratione cibi & potus, per vtramq; speciem, quàm per alteram tantùm. Sumentes sub vna specie sumunt integrum Sacramentum.

Dices 2. Maiorem vnitatem habuisset hoc Sacramentum, si sub vna tantùm specie institutum fuisset. Ergo &c. Respondeo Eucharistia instituta est sub duabus speciebus, propter 4. rationes 1. Ratione significationis expressæ mortis Domini. 2. Ratione significationis perfectæ nutritionis. 3. Ratione cibationis vtriusq; partis totiùs hominis, vt dicit Sanctus Thomas in Hymno. *Quibus sub bina specie, carnem dedit, & Sanguinem, vt duplicis substantiæ, totum cibaret hominem.* Deniq; ratione vnionis Christi Domini nobiscum, & vicissim nostri cum eo, ille siquidem vt vinum in nos sese infundit, nos veluti grana illi adhæremus, vt docent SS. Patres. Cur Eucharistia instituta est sub duabus speciebus.

Dico 2. Vnitas numerica huius Sacramenti desumitur ex ordine ad species consecratas diuersas, & vná consecratione, ab Vnitas numerica vnde desumitur.

eodem Miniſtro, & in eodem loco conſecratas: non vero deſumitur à diuerſis partibus eiusdem hoſtiæ. I. pars probatur. I. quia quælibet hoſtia conſecrata ſeorſim ab altera: eſt ſignum rei Sacræ, habetq; integram ſignificationem ſine alia; *Vnaquæq;* enim per ſe nutrire poteſt ſpiritualiter, & cauſare gratiam ſanctificantem, independenter ab alia. Confirmatur quia ad vnitatem numericam, non requiritur continuatio Phyſica, ſed ſufficit moralis, & ſic plures hoſtiæ in eadem pyxide faciunt vnum numero, donec diſtinguantur moraliter, diſtribuendo eas ſeorſim. 2. pars patet, quia diuerſæ partes eiusdem hoſtiæ ſtatim ſumendæ, ad vnicam tantùm refectionem ſpiritualem ordinantur; non enim ſumitur vna pars ſine alia, ex vulgari ritu Eccleſiæ, ſed omnes ſimul ſumuntur, ab eodem conſecrante, in eodem Sacrificio, tanquam partes eiusdem conſecrationis ſpiritualis.

QVÆRES TERTIO.

Quidnam in Euchariſtia habet rationem Sacramenti?

Senſus difficultatis eſt, quidnam in Euchariſtia habeat veram rationem Sacramenti an conſecratio, vel ſumptio, vel ſolæ ſpecies, vel ſolùm corpus Chriſti Domini, vel demùm ſpecies ſimul cum Corpore Domini.

Euchariſtia eſt Sacramentum permanens.

Nota I. Antiqui Scholaſtici, & Patres diſtinxerunt, inter Sacramentum, & rem Sacramenti, ita vt per Sacramentum intellexerint aliquando ſolùm ſignum ſenſibile, & per rem Sacramenti ſignatum, & contentum ſub ſigno ſenſibili.

Conſecratio non eſt Sacramentum.

Nota 2. Concilium Tridentinum *Seſſ. 13. can. 4. & 7.* determinauit Euchariſtiã eſſe Sacramentum permanens, & non ſucceſſiuum, quod conſiſtat in ſolo vſu aut applicatione, veluti cætera. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus eſt hoſtia ad Sacrificium deſtinata, & de Sacrificio relicta, quæ vt ſit debet eſſe res aliqua permanens. & ſic vocatur in Scriptura, Panis, cibus, Caro, Menſa, Corpus, &c.

Dico I. Conſecratio non habet veram rationem Sacramenti. Patet tum quia conſecratio eſt via ad Sacramentum. Tum quia

nulla

nulla actio producens rem permanentem, habet rationem rei procludendæ, quia esset antequam produceretur. Sed consecratio est motus, quo producitur Sacramentum Eucharistiæ. Ergo non est ipsum Sacramentum.

Dico 2. Sumptio seu vsus Sacramenti Eucharistiæ, non est Sacramentum Eucharistiæ. Probatur quia nulla actio; consequens rem in sua existentia perfectam, pertinet ad eius essentiam. Sed sumptio sequitur completam esse Sacramenti. Ergo ratio Sacramenti in ea non consistit. Vsus seu sumptio non est Sacramentū.

Deinde sumptio Sacramenti per se, nos non sanctificat, Sed est tantùm applicatio rei sanctificantis; sicut sumptio cibi, nos non nutrit, sed tantùm est applicatio rei nutrientis: Sacramentum autem est id, quod sanctificat. Vnde optimè D. *Subt. in* 4. *d.* 8. *q.* 1. docet vsum huius Sacramenti; non esse Sacramentum, sicut neq; vsum verborum Sacramentalium, sed hunc esse quandam viam ad Sacramentum, vsum verò & sumptionem huius Sacramenti, esse quandam dispositionem Sacramentalem, seu viam, quá potest Sacramentum applicari membro Ecclesiæ: quare prædicta, non sunt quid formale, & primum significatum Eucharistiæ, sed sunt quidam actus Sacramentales, inquibus benè potest gratia recipi, si dignè fiant.

Dices Concilium Florentinum dicit, formam huius Sacramenti esse verba Saluatoris. Ergo vsus verborum Sacramentalium est de essentia huius Sacramenti. Respondeo Concilium intelligendum est de forma Sacramenti in fieri, & non in facto esse, sicut dicit etiam materiam huius Sacramenti esse panem, & Vinum materiam inquam ex qua, non autem materiam Sacramenti permanentis, & in facto esse. Verba sunt forma in fieri.

Dico 3. Solæ species sunt Sacramentum, & Corpus Christi Domini res Sacramenti. Probatur, quia Sacramentum est signum sensibile, Sed solæ species, & non corpus Domini sunt signum sensibile. Et eo sensu. Ius Canonicum, & Concilia, maximè Trident. *Sessione Decima tertia. Capite primo.* dicit, corpus Christi Domini esse, vel contineri in Sacramento Species Sa cramentū sunt.

Euchari-

Euchariſtiæ, hoc eſt ſub ſigno ſenſibili: quòd certè nonniſi incompletè appellari poteſt Sacramentum; ad completam enim conſtitutionem huius Sacramenti pertinet etiam Corpus Domini, ſaltem in obliquo, nempe quatenùs eſt res, terminus, & ſignificatum illius. Hinc.

Quomodo corpus Domini eſt Sacramentum.

Collige Quòd Corpus Domini dicitur Sacramentum, non præcisè prout eſt res Sacramenti, ſed per ordinem ad quidpiam aliud, quod efficit, vel repræſentat, dicitur Sacramentum, nimirum quia cauſat, & efficit gratiam. Tum quia ſignificat vnionem fidelium inter ſe, & in Chriſto Domino. Tùm quia ſignificat, & efficit nutritionem ſpiritualem. Et ſic vario reſpectu dicitur Chriſtus Domínus à multis Sacramentum ſimul, & res Sacramenti: res Sacramenti, quatenùs eſt ſignificatum ſpecierum, & Sacramentum propter rationes allatas.

Veriús dicitur corpus Domini eſſe Sacramentú.

Dico 4. Veriùs eſt Corpus Chriſti Domini eſſe Sacramentum, quàm ſpecies, ſumendo Sacramentum quoad efficientiam, & non quoad ſignificationem per habitudinem ad gratiam. Patet quià corpus Chriſti Domini veriùs efficit gratiam, quàm ſpecies: efficit enim vt inſtrumentum coniunctum Diuinitati, ſpecies autem vt ſignum illius inſtrumenti, ſeu ad ſummùm inſtrumenta extrinſeca, ſeu non coniuncta, vel vt inſtrumenta inſtrumenti primarii, & coniuncti. Et ſic ex dictis his intelligendi ſunt Patres, qui dicunt Corpus Chriſti Domini eſſe Sacramentum, vel quia quandoq; ſumunt Sacramentum pro contento, ſignato, & re Sacramenti.

Ad Completam rationem Sacramenti pertinet vtrumque.

Dico 5. Sacramentum vulgariter acceptum, & in completa ſignificatione dicit ſpecies, cum habitudine ad Corpus & Sanguinem Domini, ſeu prout ſignificant Corpus & Sanguinem Chriſti Domini ibi contineri, tanquam ſpirituale animæ alimentum. Patet quia de ratione cuiuſcunq; Sacramenti eſt eſſe ſignum cum habitudine ad ſignatum. Ergo & de ratione huius. Vnde neq; ſolæ ſpecies, neq; ſolùm Corpus Domini, habet rationem Sacramenti completam, ſed vtrumq; ſimul.

QVÆ-

QVÆRES QVARTO.

In quibus Sacramentum Eucharistiæ conuenit, & differt à cæteris.

QVantùm ad conuenientiam, conuenit 1. quia est signum sensibile, causatiuum gratiæ. 2. Quia vt cætera, constat rebus & verbis, & sic verba consecrationis possunt dici de essentia Eucharistiæ non quòd intrinsecè permaneant, sed quia necessariè requiruntur, ad eius constitutionem, siue ad dandum esse huic Sacramento; & possunt dici forma, respectu panis & vini, quæ sunt materia remota huius Sacramenti, proximà verò & propriè, sunt species panis & vini; forma verò propriè huius Sacramenti, est relatio significationis Corporis & Sanguinis, Christi Domini: Et sic differt hoc Sacramentum à reliquis, quia reliquorũ res, & verba sunt partes eorũ. Eucharistia conuenit cum aliis Sacramẽtis.

Deinde differt ab aliis, quia verba huius Sacramenti non cadunt immediatè supra suscipientem, sed supra res ipsas consecrandas, & transmutandas: Reliquorum verò verba contra suscipientem cadunt; Vt Ego te Baptizo, Ego te vngo. Ego te absoluo. &c. 3. quia istud Sacramentum est simpliciter veracissimum in significando; alia non sic, quorum nimirum quandoq; effectus impeditur ex indispositione suscipientis; hoc autem non dependet à dispositione suscipientis: hic autem gradus certitudinis in Eucharistia, præ reliquis sumitur per ordinem ad gratiam subsistentem, & non ad gratiam sanctificantem. 4. Quia istud præ aliis realiter continet, quod significat, alia verò non realiter, sed in virtute tantùm, & efficacia: ita Tridentinum. *Sess. 13. cap. 3.* 5. Quia habet esse permanens, iuxta promissionem Christi Domini. *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi.* 6. Quia continet gratiam, subsistentem & authorem ipsum gratiæ, cætera gratiam inhærentem. 7. Quia istud & Sanctum formaliter, cætera tantùm habitudine, nimirum quia efficiunt & significant sanctitatem, Ex his omnibus differentiis. & excellentiis, colligitur quantùm istud Sacramentum reliquis præstet. *Vnde Tridentinum Sessione 7. de Sacramentis in genere Can. 3.* In quo differt ab aliis. Excellentiæ Eucharistiæ.

Can. 3. inquit. Si quis dixerit hæc Sacramenta septem, ita esse inter se paria vt nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema. Qui Canon de Eucharistia intelligitur. Et idem Concilium *Sess. 13. cap. 1.* appellat hoc Sacramentum Diuinum, mirabile, Sacrosanctum, & Sanctissimum Sacramentum. Et c. 2. dicit in hoc Sacramento Christum Dominum, memoriã fecisse suorum mirabilium. Et cap. 3. ait amoris sui Diuitias effudisse.

ARTICVLVS II.

De Institutione Sacramenti Eucharistiæ.

Institutor Sacramentorum quis.

Nota 1. Christus Dominus huius, sicut & reliquorum Sacramentorum fuit institutor. vt constat ex Trident. *Sess. 7. Can. 1. Et Sessione 24. Can. 1.* quod inde constat, quia *Matt. 26.* habemus Baptismi institutionem, Eucharistiæ. *Matt. 28. & Luc. 22. Et 1. Ad Corinth. 11.* à quibus traditur Christum Dominum inter cænandum ea noctè, quã tradebatur instituisse hoc Sacramentum. Et pœnitentiæ. Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Et sic de reliquis Sacramentis. Hinc Sanctus Ambros. *lib. 4. de Sacrament. c. 4.* inquit. *Author Sacramentorum quis est nisi Dominus Iesus?* Ratio est, quia institutio Sacramenti prout contingit de facto, est & habet voluntatem determinatam, & efficacem, producendæ gratiæ annexã, quantum est ex natura institutionis, & determinatione causæ principalis: de facto enim nulli puræ creaturæ data est potestas instituendi Sacramenta, vt probat Sanctus Bonauentura. *in 4. dist. 5. art. 3. q. 1.* nam Ecclesia nunquam in se agnouit potestatem mutandi formas, vel materias Sacramentorum, nec augendi, vel minuendi eorum numerum: tum quia verum, & proprium Sacramentum, oportet vt sit certum, & infallibile signum gratiæ, vel præsentis, vel saltem futuræ. Sed nullus potest imponere signum gratiæ certum, nisi Deus, qui solus potest illam dare, vel promittere.

Nota 2. Variæ rationes assignantur à Doctoribus institutionis Eucharistiæ. 1. Vt amor Christi Domini magis ostenderetur, qui se dedit non tantùm in morte, sed & in cibum. Ita S. Chrysost. *Homil. 24. in 1. Corinth.* 2. Vt in lege gratiæ esset Sacramentum

conti-

continens ipsummet Authorem & fontem gratiarum. Ita Alensis, & Richardus. 3. Vt post acceptam vitam spiritualem in Baptismate, alimentum spirituale huius vitæ conseruandæ non deesset. Ita Theologi *in 4. dist. 8. q. 2.* 4. Propter summam vnionem, quam Christus Dominus voluit esse, inter ipsum, & nos, itemq; inter nos ipsos. Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ita Sanctus Cyril. *lib. 10. in Ioan.* 5. Vt nobis superesset amoris diuini pignus, quo frueremur, absente sponso in propria specie. Ita Eusebius Emissenus, *Homil. 5. in Pascha.* 6. Vt esset in Ecclesia vnum inperuestigabile miraculum, quo probaretur fides nostra, & constitueretur in homine Christiano continuū exercitium Religionis suæ. Deniq; vt commendaretur humilitas Christi Domini, qui non solùm homo factus est, & Cruci affixus, sed etiam voluit infimis creaturis, id est speciebus Sacramentalibus se adiungere. Ita Sanctus Aug. *Concione 1. super Psal. 33. Respice altitudinem ipsius cum dicit Euangelista. In principio erat verbum. Et de hoc cibo manducant Angeli : & oportebat vt mensa illa ad paruulos perueniret.*

Cur Eucharistia instituta.

QVÆRES PRIMO.

Quando hoc Sacramentum fuit institutum?

Dico 1. Institutum fuit ad vesperam, iam imminente Christi Domini Passione, lunâ 14. Mensis primi. Hæc conclusio patebit *sequenti articulo, quæsito.* 3. Vbi examinabitur, an in pane azymo, & fermentato Christus Dominus consecrauerit?

Quando instituta Eucharistia.

Dico 2. Institutum fuit Eucharistiæ Sacramentum post lotionem pedum. Est communis Sanctorum Patrum. Quia lotione pedum, voluit Christus Dominus significare mundationem animæ, quæ ante sumptionem huius Sacramenti præmittenda est.

Dices Hoc Sacramentum institutum fuit cænantibus adhuc illis, *Matth. 26.* Sed non ampliùs cænabant, imò cænâ factâ, Christus Dominus lauit pedes, *Ioan. 13.* Ergo instituit hoc Sacramentū ante lotionem pedum.

Respondeo Particulæ illæ *cænantibus illis*, non sic sunt intelligendæ,

gendæ, quasi adhuc cænarent, sed statim vt cœna peracta est, antequàm surgerent, & ciborum reliquiæ remouerentur.

Post cænam legalem, & vsualem instituta.

Dico 3. Institutum fuit Sacramentum Eucharistiæ post cœnam legalem, & vsualem. Patet ex Sancto Luca, & Sancto Paulo, dicentibus, *Christum Dominum accepisse panem & calicem postquam cœnauit*: quod certè non potest intelligi, nisi de cæna vsuali, quæ simpliciter appellabatur cæna. Deinde si non fuit institutum post cænam vsualem. Ergo vel ante cænam, vel inter cænandum. Non primum, quia expressè dicitur, *postquam cænauit*, quod non potest intelligi de cæna legali, quia cæna legalis non appellatur simpliciter cæna, sed Phase, vel Pascha. Non inter cænandum quia propter reuerentiam tanti Sacramenti, institui, & sumi non debuit inter epulas vulgares. Deniq; docuit hoc Sacramentum nouissimo loco tanquam omnium mysteriorum complementum, institui debuisse.

Præsente Iuda instituta.

Aduertè hic probabiliùs est præsente Iuda hoc Sacramentum institutum fuisse, & inter discumbentes hoc Sacramento vsum fuisse: nam licet legatur in Sacris literis Iudam continuò discessisse, hæc particula *continuo*, non significat statim discessisse, sed solùm non expectâsse concionem illam, quam Christus Dominus habuit post institutam Eucharistiam.

QVÆRES SECVNDO.

An Sacramentum Eucharistiæ, potuit institui ante Incarnationem?

Poterat incarnari Verbum ante.

Nota Hæc difficultas supponit Verbum incarnandum Admo non peccante, vt probat Doctor Subt. *in 3. distin. 7. q. 3. n. 3.* & hoc tum ad communicandum aliis hominibus incarnationis beneficium: tum ad augmentum gratiæ, tum ad pignus gloriæ: tum ad hoc, vt habuissent homines perfectum sacrificium laudis, gratiarum actionis: tùm ad manifestandam omnipotentiam Diuinam, & reliqua attributa, quæ ex eo relucent: & hoc verum esse de possibili, supposito innocentiæ statu.

Dico Potuit institui ante incarnationem. *Ita Doctor Subt in 4. d. 10. q. 4. n. 6.* Aduerte hîc nomine incarnationis non intelligi,

vnionem verbi cum humanitate, aliâs enim non esset Christus, nec consequenter Corpus Christi) sed intelligi conceptionem, & formationem eius ex Virgine. Probatur existens simpliciter Corpus Domini est indifferens ad modum existendi naturaliter, & ad modum existendi Sacramentaliter. Ergo potest vnus modus ei inesse absq; alio. Vnde sicut de facto extitit modo naturali, antequam existeret modo Sacramentali, ita potuit existere modo Sacramentali, antequam existeret modo naturali, prior pars propositionis probatur, quia præsentia naturalis, nec est de essentia præsentiæ Sacramentalis, nec causa eius est, nec vlla ratione ad eam constituendam concurrit, sicut nec vice versa, præsentia naturalis dependet à præsentia Sacramentali, siquidem præsentia Sacramentalis, est immediatus effectus omnipotentiæ Diuinæ. Ergo per potentiam absolutam absq; contradictione, potest poni præsentia Sacramentalis, absque naturali præsentia.

Nomine incarnationis quid intelligatur.

Dices Nulla res potest esse secundùm quid, quin priùs sit simpliciter. V. G. sortes non potest, esse albus, aut sedens, quin simpliciter existat. Sed modus existendi Sacramentaliter, est modus existendi secundùm quid, modus autem existendi naturaliter est modus existendi simpliciter. Ergo non potest existere Corpus Christi Domini Sacramentaliter, quin existat naturaliter.

Respondeo Maior absolutè non est vera, creaturæ enim sunt priùs in Deo secundùm quid, quàm simpliciter. Sed ad priorem partem minoris; nego quòd in tali casu modus existendi Sacramentaliter non esset modus existendi simpliciter: tunc enim simpliciter Corpus Christi Domini produceretur, essetq; simul, & existens simpliciter, & existens Sacramentaliter, non esset tamen existens naturaliter. Atq; alia pars minoris falsa est, quia res existens simpliciter, est indifferens ad modum existendi naturaliter, & modum existendi Sacramentaliter: Vnde falsum est incæptionem modi existendi naturaliter, esse inceptionem existendi simpliciter. Quare in nostra Hypothesi, si Corpus Christi Domini productum fuisset ex Virgine postmodùm, illa productio fuisset tantùm incæptio eius secundùm quid, quia supposuisset existentiam simplicem eiusdem

Nota solutionem.

 corpo-

corporis; sicut nunc in Eucharistia incipit esse tantùm secundum quid, quia supponitur idem corpus simpliciter existens in cælo.

Obiicies. In Conceptione Christi Domini incæpit corpus eius simpliciter. Ergo similiter fuisset incæptio simpliciter, etiamsi in Eucharistia præcessisset, non enim fuisset minùs verum esse Corporis Domini sub modo naturali tunc, quàm nunc. Respondeo Ad incæptionem simpliciter non tantùm debet incipere esse simpliciter, sed debet esse primũ eius. Et sic in incarnatione fuisset incæptio, non tantùm esse simpliciter corporis, sed etiam primi esse, Quòd si dicas in hac Hypothesi, Corpus Christi Domini fuisset verè formatum ex purissimis Sanguinibus Beatæ Virginis, & sic fuisset genitum, atq; adeò simpliciter productum: nam Sanguines purissimi Beatæ Virginis fuissent principium materiale corporis Christi Domini existentis modo naturali, & tamen non fuissent principium materiale intrinsecum eiusdem existentis priùs modo Sacramẽtali. Ergo non fuissent idem corpus. Respondeo sicut per potentiam Diuinam formatus est primus parens, habens veram carnem ex limo terræ, ita in tali hypothesi, primò formatum Corpus Christi Domini fuisset verè humanum, & ita non fuisset transsubstantiatio panis, aut alterius materiæ in Corpus Christi Domini præexistens, sed vera formatio primi esse illius corporis ex illa materia; postea verò in incarnatione non fuisset vera formatio, aut generatio eiusdem corporis, sed transsubstantiatio Sanguinum Virginis in Corpus Christi Domini præexistens, & ita purissimi Sanguines Virginis non fuissent principium intrinsecum materiale eiusdem corporis, vt nunc, sed materia, ad cuius desitionem, incæpisset esse Corpus Christi Domini in vtero Virginis: sicut panis in Eucharistia non est principium intrinsecum Christi Domini corporis, sed materia, ad cuius desitionem incipit corpus Domini in Eucharistia.

Nota diligenter responsionem.

In incarnatione non fuisset generatio in hac hypothesi

Obijcies. Si sic sequeretur quòd B. Virgo Maria, non fuisset vera Mater Christi Domini, quia eum nõ genuisset de propria substantia. Respondeo. Nego sequelam, nam licet eum non genuisset de propria substantia, tanquam de principio materiali intrinseco,

ſeco, ſed vt à termino à quo: ad verā enim maternitatem, ſatis eſt, quòd mater ſubminiſtret propriam ſubſtantiam, ſiue illa conſtituat intrinſecè genitum; ſiue ſit tantùm terminus à quo, ad cuius deſitionem, idem genitum ponatur.

Obiicies D. Subt. *in 3. d. 8. q. 1. §. ad argumenta* dicit, filiationem fundari ſuper exiſtentia naturæ acceptæ per generationem. Sed Chriſtus Dominus fuiſſet iam exiſtens ſimpliciter. Ergo non ſuperfuiſſet exiſtentia naturæ acceptæ per generationem, quæ huiuſmodi filiationem fundare potuiſſet.

Reſpondeo Quòd filiatio poteſt fundari noua ſuper exiſtentiam antiquam, non enim ad id requiritur, vt exiſtentia ſit noua, vel vt ſit naturæ, de nouo productæ, ſed ſufficit vt ſit naturæ acceptæ per generationem, licet illa generatio ad aliquid exiſtens terminetur. Quòd ſi dicas, Corpus Domini ponitur nunc in Sacramento ex vi horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum.* Sed hæc verba referuntur ad Corpus Domini, quod præexiſtit. Ergo non potuit fieri hoc Sacramentum antequam Chriſti Domini Corpus præextiterit. Reſpondeo Si non poſſet aliter fieri quàm ex vi horum verborum, tūc obiectio eſſe vera, ſed in noſtra hypotheſi ſupponerentur alia verba, hæc vel ſimilia, Hoc eſt Corpus Chriſti venturi in propria ſpecie, & ex virgine naſcituri.

Filiatio poteſt fundari ſuper antiquam exiſtentiā

Obiicies Præſentia Sacramentalis nunc dependet ab exiſtentia naturali, ita vt ſi Chriſtus Dominus non eſſet naturaliter, non poſſet eſſe Sacramentaliter. Ergo nullo modo poſſet eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, non exiſtente Chriſto Domino naturaliter. Antecedens patet, corrupto enim corpore Chriſti Domini, non poteſt manere Sacramentum Euchariſtiæ. Ergo deſinente totaliter corpore Chriſti Domini ſecundum exiſtentiam naturalem, non poteſt eſſe Euchariſtia. Reſpondeo negatur vtrumq; Antecedens, & ad poſterius dicitur, non eſſe parem rationem, quia inuoluit contradictionem, nimirum eandem formam abſolutam informare idem, & non informare; nam corrupto corpore Chriſti Domini, forma eius non ampliùs informat, manente verò Sacramento Euchariſtiæ, forma eius adhuc informat, quia ſupponitur ibi eſſe totum

tum Corpus Christi Domini constans ex materia & forma; istud autem nullam includit contradictionem, quia destruitur tantùm vnus respectus in absoluto, alio manente, scilicet respectus præsentiæ naturalis ad locum manente respectu præsentiæ Sacramentalis. Vide D. Subtilem *in 4. d. 10. q. 6. post 5. Conclusionem*. hinc.

Caietani opinio Collige Caietanum *3. p. q. 76. a. 2.* falsò appellare chymericam, opinionem hanc, putabat enim ille, ex hac hypothesi D. Subtilis, sequi dari respectum sine fundamento, & præsentiam sine re præsente, quia comparat præsentiam Sacramentalem, ad præsentiam naturalem, tanquam ad esse simpliciter corporis Christi Domini, cùm tamen D. Subtilis velit illud esse simpliciter corporis Christi Domini habere se ad præsentiam Sacramentalem, & ad præsentiam naturalem, tanquam ad duos respectus disparatos, ad quos est indifferens; & quos fundare potest, tùm simul, tùm seorsim.

QVÆRES TERTIO.

Qualis necessitas fuit instituendi Sacramentum Eucharistiæ.

Necessitas Sacramentorum duplex Nota I. Duplicem esse necessitatem Sacramentorum, nimirum necessitatem medij, & necessitatem præcepti. Necessitas medij dicitur etiam necessitas finis, id est, quando sine medio, non potest acquiri finis. Dicitur itaque medium necessarium relatiuè in finem. Porrò hoc modo necessarium medium, dupliciter dicitur, siue in re applicatum, siue in voto, hoc est in desiderio, & proposito applicandi, si subesset facultas eius. Necessitas autem Eucharistiæ, vel esset ad primam iustificationem obtinendam, vel certè ad perseuerandum in iustitia accepta, quâ dat robur ad obseruandam legem, & superandas tentationes. Deinde necessarium in voto

Necessarium in voto duplex dupliciter, dicitur. Primò absolutè, quia ipsum in se realiter applicatum, est medium realiter necessarium, si facultas adest, V. G. ad iustificationem Baptismus, vel generaliter, quatenùs scilicet exigitur votum implicitum eius, & propositum adimplendi præcepti, quando obligat, vel Martyrium. Atque ita illud dicitur necessarium necessitate medij, sine quo nulla ratione potest salus acquiri, etsi

etsi eo nullá tuá culpá careas. Nota 2. Necessarium necessitate præcepti appellatur, quod quidem necessarium est, vbi facultas suppetit, & occasio, non tamen ita, vt ob defectum occasionis prætermissum impediat salutis consecutionem, si sine culpa omittatur.

Necessarium necessitate præcepti.

Dico 1. Realis sumptio Eucharistiæ, non est medium necessariū. Ita Trident. *Sess. 21. Can. 1. & Sess. 6. cap. 4.* vbi definitur iustificatio, quæ est per Baptismum. Ex qua doctrina sequitur, etiamsi infans Baptizatus decedat in gratia Baptismali, saluari cum sine sumptione Eucharistiæ.

Eucharistia non est medium necessarium in re.

Dico 2. Sumptio Eucharistiæ, nec in re, nec in voto, est medium necessariū ad iustificationē, etiam in adultis. ita D. Subt. *in 3. d. 40. num. 5.* vbi dicit. *Nullum aliud Sacramentum nouæ legis habere necessitatem medij præter Baptismum & Pœnitentiam.* Prima pars probatur, quia Sacramentum Eucharistiæ non est medium institutum ad iustificationem: medium enim institutum ad aliquid, debet illud præcedere ad quod est institutum. Sed vt istud Sacramentum debitè suscipiatur, debet potius subsequi, quàm præcedere iustificationem. Ergo non est ad illud institutum. Probatur 2. Quia Concilia, & SS. Patres, non tribuunt tantam necessitatem Eucharistiæ, Ergo sine Eucharistia potest adultus iustificari. Secunda pars patet votum alicuius medij tunc est necessarium ad aliquid, quia medium ipsum est ad illud institutum; V. G. Votum pænitentiæ est adultis necessarium, quia pœnitentia ipsa, est per se instituta ad iustificationem. Sed Eucharistia non est ad hoc instituta. Ergo votum eius non est simpliciter ad iustificationem necessarium.

Neque in voto.

Aduertendum tamen est; Aliquo tempore propositum de communicando saltem implicitum, necessarium est ad iustificationem adulti, saltem per accidens, nimirum ratione præcepti: & ratio est, quia dum quis iustificatur, debet habere propositum seruandi omnia præcepta; inter præcepta autem, continetur præceptum de sumenda Eucharistia suo tempore; quare licet ille iusti-

Propositum communicandi aliquando necessarium est

Tenetur adultus propositum habere communicandi.

ficatur per pœnitentiam, non tamen tenetur semper eodem tempore communicare, neq; votum communicandi emittere, tanquam de medio simpliciter necessario ad salutem, tenetur nihilominùs, implicitè saltem proponere se communicaturum congruo tempore, ne transgrediatur præceptum, de communione congruo tempore sumenda.

Est medium vtile, non verò necessarium.

Dico 4. Licet Eucharistia non sit instituta, tanquam mediũ adultis necessarium ad vitam æternam; nec instituta sit, vt infallibiliter tribuat donum perseuerantiæ; est tamen medium vtile, & adeò efficax ad perseuerandum in gratia, vt sine vsu eius longo tẽpore, incurratur periculum lapsus. Prima pars patet. Si quis enim iustificatus moriatur in gratia, salutem consequetur. Sed iustificari aliquis potest absq; vsu Eucharistiæ, vel eius voto; Ergo & salutem consequi. 2. Pars constat, quia per alia media conducentia impetrari potest perseuerantia, non tamen infallibiliter, quia neq; sub meritum nostrum cadit, neq; etiam sub efficaciam alicuius Sacramenti, tanquam effectus communiter datus, & infallibilis. Vide Tridentinum *Sess. 6. cap. 13. de dono perseuerantiæ*. 3. Pars deducitur ex Tridentino *Sess. 13. cap. 2.* vbi dicitur, *Eucharistiam esse antidotum, quô liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.*

Obiicies 1. Sicut ex illo loco Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei,* colligitur necessitas medij ad salutem. ita & ex his verbis Ioannis sexto. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Et ex illis inferiùs positis. *Ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me.* Sed viuere per hoc Sacramentum in Christo, sicut Christus viuit propter Patrem, denotant necessitatem medij. Ergo.

Non est par necessitas vtrobique.

Respondeo Ex duobus prædictis S. scripturæ locis, non colligi parẽ necessitatẽ, quia Baptismus est spiritualis regeneratio omnibus necessaria, vt ex filijs iræ filij Dei constituamur : Eucharistia verò nullum effectum habet ita necessarium ad salutem consequendam.

sequendã, vt sine ea absolutè obtineri non possit: Eucharistia enim est Sacramentum viuorum, supponens gratiam sanctificantem, proinde hoc loco *Ioannis 6.* solùm declaratur necessitas præcepti tantùm, quia verba similis tenoris recipiunt interpretationem, ex materia subiecta, sermo enim accommodatur rei, non res sermoni: vnde cùm de fide sit, hoc Sacramentum non posse sumi, nisi in statu gratiæ, quam confert Baptismus, & Pœnitentia; nihilq; aliud requiri, quàm statum gratiæ ad salutem, sequitur quòd illa tantùm, quæ delent peccatum in se, habeant necessitatem medij ad salutem.

Nota.

Quæ habent necessitatem medij.

Quando itaq; dicitur, nos *non posse habere vitam, nisi manducemus carnem filij hominis*; hoc ideò dicitur; tùm quia tenemur ex præcepto illam congruo tempore sumere; tum quia diù vitam spiritualem conseruare non possumus absq; ea; adhæc per sumptionem Eucharistiæ, abundantiorem gratiam accipimus, & sic dicitur esse necessaria moraliter ad conseruandam vitam spiritualem, quia ad hoc est medium efficacissimum, quô vitantur peccata mortalia, & fomes libidinis extinguitur.

Explicatur locus S. Scripturæ.

Obiicies 2. Sine resurrectione non contingit salus. Sed sumentibus Eucharistiam promittitur resurrectio. Ergo est medium necessarium salutis. Respondeo sicut vita, & salus, contingit sine reali sumptione huius Sacramenti, ita etiam de resurrectione dicendum est. Hinc

Ad resurrectionem quomodo necessaria

Collige 1. Consuetudo communicandi infantes antiqua, spectat ad ritum, non ad necessitatem, vt constat ex Tridentino. *Sess. 21. Can. 1.*

Collige 2. Quando aliqui Patres dicunt necessariam æquè esse Eucharistiam, sicut & Baptismum, intelligunt de manducatione mystica, & spirituali, non autem reali.

Nota.

Obiicies Nutrimentum corporale, est medium necessarium ad sustentationem vitæ. Ergo & hoc spirituale. Respondeo, Nego paritatem, quia hoc nutrit in voto tantùm, non illud. Ergo non est similitudo in omnibus: nam licet instituta sit Eucharistia per modum nutrimenti, non tamen tollit efficaciam aliorum mediorum, quibus impetratur perseuerantia in bono, & fuga mali.

ARTICVLVS III.

De Materia Eucharistiæ.

Errores hæreticorum.

Nota 1. Multos & turpissimos errores Hæreticorum circa materiam Eucharistiæ fuisse, teste S. Augustino *hæresi 26.* Cataphrigæ enim panem Sacramentalem conficiebant, ex farina & infantis annioculi sanguine. Deinde Pepuziani caseum & farinam vnâ miscebant: & alij adhuc spurcitiùs procedebant, vt Manichæi, vt refert S, August. *hæresi. 46.* quod referre pudet; Contra hos errores Concilium Carthaginense Tertium *cap. 24.* decreuit. *In Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, nihil aliud offeratur, quàm quod tradidit ipse Dominus, hoc est, Panis & Vinum aquâ mixtum: primitiæ vero &c.*

Nota 2. Huius temporis hæretici, vt Iacobellus, & Beza, voluerunt in alia materia vrgente necessitate posse confici, quàm in ea, in qua Christus Dominus consecrauit, puta in farina herbarum, & in alio liquore, puta in mulso, quod Melancthon concedit, qui *in libro de vsu Sacramenti*, concedit Ruthenis mulsum pro vino.

De materia remota hic inquiritur.

Nota 3. In hoc articulo non quærimus de materia propinqua huius Sacramenti, sed de materia remota, seu de ea ex qua fit, & hæc non potest esse alia nisi Panis & Vinum, vt determinatum est in multis Conciliis. Et quidem de pane patet ex Sacris literis. *Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.* Cænantibus illis accepit panem &c. De vino constat, quia post consecratum calicem, fertur Christum Dominum dixisse. *Non bibam ampliùs de hoc genimine vitis.* quare qui in alia materia præterquam in pane & vino, consecrare attentaret, nihil efficeret. Variæ autem rationes afferuntur quibus congruebat hoc Sacramentum institui sub speciebus panis & Vini; tum quia huiusmodi elementa sunt ad cōmunem vsum facillima; tùm quia sunt mundissima, & sacrificio incruento aptissima: tùm quia sunt primitiæ creaturarum inanimatarum, & earum quæ vitam præbent hominibus: tùm quia in conuiuiis adhiberi solent; tùm quia repræsentant vnionem cum Christo, & inter nos, nam ex multis granis fit panis, & vinum ex multis racemis exprimitur.

Cur sub speciebus panis & vini instituta.

QVÆ-

QVÆRES PRIMO.

Qualis panis necessarius sit ad Sacramentum Eucharistiæ.

Nota Non omnem panem frumentaceum esse materiam huius Sacramenti, multi enim sunt panes frumentacei, vt ex siligine, spelta, auena, hordeo, &c. multò minùs panis ex leguminibus confectus, (si is sit dicendus panis) vt ex fabis, pisis, lente; similiter neq; ex fructibus arborum, vt amygdalis, castaneis nucibus, &c.

Dico 1. Solus panis triticeus est materia huius Sacramenti. Suadetur; tū quia panis quo vsus est Christus Dominus fuit panis quo vescebantur in esu Agni Paschalis: probabile autem est eum fuisse optimum, cuiusmodi est panis triticeus: tum quia in figura huius Sacramenti dicitur. *Adipe frumenti satiat te.* Psal. 147. Sed triticum est adeps frumenti. Ergo. Deinde est antiqua Ecclesiæ traditio, nec non definitio Concil. Florent. *in literis Eugenij ad Armenos*, vbi dicitur materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum de vite.

Solus panis triticeus est materia.

Ratio est, tùm quia panis triticeus, est propriè panis hominum, non ita autem panis siligineus, vel hordeaceus: Tùm quia panis triticeus magis nutrit, & confortat, sicq; expresiùs significat hoc Sacramentum excellenter confortans, & nutriens. Per triticum intelligunt DD. illam nobilissimam speciem frumenti, Polonicè *Pszenica.* Dubitant aliqui de farre, siligine, Amylo seu Amydo, sed probabiliùs iudicant, hæc omnia tanquam materiā insufficientem, aut saltem nimis dubiam, reijci; De Amylo D. Subtilis *in 4. d. 11. q. 6.* dicit, etsi ex vero tritico conficetur, tamen non esse eiusdem speciei cum tritico, sed ab eo substantialiter immutari, cùm in Amylo sit alia qualitas in tota specie, quàm in tritico. Ergo Amylon non est materia huius Sacramenti. Quòd neq; sit panis hordeaceus materia Eucharistiæ, patet, quia tali pane, non est vsus Christus Dominus, in esu Agni Paschalis.

Nomine tritici quid intelligatur, Amydum Siligo non est materia.

Dico 2. Panis triticeus qui Eucharistiæ Materia statuitur, debet esse verè, & propriè panis. Patet quia Christus Dominus *Accepit pa-*

Debet esse Panis triticeus verè Panis.

pit panem. Hinc massa farinæ, seu pasta, reijcitur, quia vt inquit D. Subt. *loco citato*. licet non sit diuersæ speciei à pane, tamen non est vsualis panis, neq; nutrimentum corporale. Hinc.

Pasta non est materia.

Collige 1. Pastam coctam, melle, butyro; aquâ rosaceâ, vel aliquo alio liquore, præterquàm aquâ naturali delibutam, à materia Eucharistiæ reijci; quia tunc non panis, sed libum, vel placenta esset.

Collige 2. Mixtio alterius farinæ in parua quantitate, cum farina triticea; vel liquoris alterius cum aqua naturali, non impedit confectionem Eucharistiæ, tutiùs tamen est, vt sit pura aqua naturalis, & farina pura triticea, ne peccatum committatur. Similiter ne materia corrupta, vel dubia adhibeatur.

QVÆRES SECVNDO.

An materia Eucharistiæ debeat esse panis azymus, vel fermentatus?

Opinio Græcorũ.

I. opinio est Græcorum, asserentium panem debere esse fermentatum. Probant. 1. Quia Ioan. 13. dicitur Christum sumpsisse vltimam cænam, *Ante diem festum Paschæ*. dies autem festus ille incipiebat luna 14. ante vesperam. Ergo in pane fermentato. 2. *Iudæi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed vt possent comedere Pascha*, *Ioan*. 18. Ego illud nondum comederat, Christus tamen iam comederat. Ergo. 3. Christus Dominus fuit occisus luna 14, non autem luna 15, quæ erat festus dies Paschatis, quia Iudæi dum consultarent de occidendo Christo, dicebant, *Non in die festo ne fortè tumultus fieret in populo*. Ergo instituit cænam lunâ 13. in pane fermentato. 4. *Ioannis* 19. *dicitur in die Parasceue Paschæ*, Christum Dominum passum esse. Ergo ante diem festum Paschatis, non ipso die Paschatis passus est, & Cænam fecit luna 13. 5. Eo die, quo Christus mortuus, est Iosephus mercatus est sindonem; & mulieres parauerunt aromata ad sepeliendum, & vngendum corpus Domini, & Iudæi criminaliter processerunt contra eũ. quorũ omnium nihil licebat die Paschæ; in quo Leuitici 23. omnia opera, seruilia

seruilia prohibebantur. Ergo Christus mortuus non fuit ipso die Paschatis, sed Luna 14. & cænam fecit luna 13. 6. Ioan 19. dicitur vt non remanerent corpora in sabbato, erat enim ille dies magnus Sabbati. Ergo ille dies magnus erat Luna 15. & Christus Dominus passus luna 14. vt exponit Origenes tract. 31. in Matthæum.

Secunda opinio est Latinorum asserentium materiam Eucharistiæ esse panem azymum, non fermentatum. Pro intelligentia. — Opinio Latinorum.

Notandum est. Controuersiam totam esse sitam de tempore, quo Christus Dominus Agnum Paschalem comedit, & hoc Sacramentum instituit. Dicunt enim Græci hæc peracta non esse tempore à lege præscripto *Leuit.* 23. scilicet luna 14. Mensis primi, sed lunâ 13. & anteuertisse tempus à lege præscriptum, vno die, quia eomet die, quo Iudæi secundùm legem tenebantur Agnum Paschalem comedere, crucifixus est Christus Dominus. Sed hoc fundamentum ipsorum euertemus in resolutione argumentorum oppositorum; & ostendemus passum fuisse luna 15. & cænam instituisse luna 14. Ita D. Subtilis *in 4. dist.* 11. *q.* 6. *n.* 6. — Quo die Christus Dominus passus est.

Dico 1. Tam azymus, quàm fermentatus panis, modo sit triticeus, est materia sufficiens huius Sacramenti. Ita Doctor Subtilis loco citato dicens: *Hoc ergo simpliciter tenendum est, quòd de necessitate panis consecrabilis, non est, neq; quòd sit azymus, neq; quòd sit fermentatus, quia secundùm Anselmum in libro suo de azymo, & fermentato, non differunt, substantialiter azymus & fermentatus, & ideò non negamus verè conficere Græcos.* Hæc conclusio definita est in Concilio Florentino. Ratio est, quia vterq; panis propriè est panis, etiam azymus, quia *Matthæi* 26. dicitur Christum accepisse panem, & tamen cum fuisse azymum mox patebit: & quamuis hoc negent Græci, tamen non possunt negare quin panis quem post resurrectionem Christus Dominus in Castello Emaus *Lucæ* 24. accepit, & benedixit, fuerit azymus, cum hoc factum sit secundùm nos tertio, aut secundùm illos secundo die azymorum (quo tempore apud Iudæos, nullus erat fermentati vsus,) absolutè tamen, id quod Christus Dominus ibi fregit, dicitur panis Græcè ἄρτος, non tamen ab illa confictà à — Azymus & fermentatus panis vterq; est materia.

Græcis etymologia à verbo ἄρω, id est tollo, quod fermento attollatur, etsi enim ab αἴρω ἄρτος diceretur, inde tamen non sequeretur ita dici, quia fermento attollitur, sed quia vim habet, homines ad iustam staturam attollendi. Quare tametsi Christus D. non consecrârit, 13. lunâ, vt proteruè Græci volunt, Ecclesia tamen Latina, concedit eis hanc consuetudinem in fermentato consecrandi, quia panis fermentatus est verè, & propriè panis.

Calumnia Caluini. Collige Caluinum *lib. 4. institut: cap. 43.* errâsse imponentem Ecclesiæ, quòd initio vsa fuerit fermentato vsq; ad tempora Alexandri Papæ, nam nullam certam historiam, nec quis sit ille Alexander dicit, & habemus ex Leone Nono in Epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum, & ex Innocentio *lib. 4. de offic: Missæ. cap. 4.* in Ecclesia primitiua tam Græcos, quàm Latinos consecrâsse in azymo, postea verò propter Ebionitas Iudaizantes, vtramq; Ecclesiam in fermentato confecisse, quá sectá extincta Ecclesia Latina, rediit ad azyma, Græca verò retinuit fermentatum, non sine contumelia Latinorum, vt notauit Doctor Subt: *in quarto d, 11. q. 6. n. 6.*

Potiùs in azymo quam in fermentato. Dico 2, Latinorum consecrantium in pane azymo, potior est, quàm Græcorum consuetudo in fermentato. Probatur quia Christus Dominus quando istud Sacramentum instituit, Agnum Paschalem comedit. Ergo tunc panibus azymis vsus est, quia præceptum Dei erat tam de azymis, quàm de Agno Paschali: siue ergo Christus Dominus consecrârit lunâ 13. vt volunt Græci, siue lunâ 14. vt volunt Latini, in ipso esu Agni Paschalis, legem & Ceremoniam de azymis transgredi non debuit; verùm quòd lunâ 14. eodem tempore quo Iudæi, & quo fermentati vsus non erat, tum Agnum comederit, tùm hoc Sacramentum instituerit, patet *ex capite 26. Matthæi.* Prima die azymorum accessere discipuli ad Iesum dicentes, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha.* quo in loco congruitas temporis Paschalis Iudaici significatur. Clariùs cap. 14. Marci *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* nempe *Iudæi.* Clarissimè Sanctus Lucas 22. *venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi*

Pascha

Pascha, nimirum ex præcepto legis. Respondent Græci, hos tres Euangelistas lapsos fuisse, & à Sancto Ioanne postea correctos, quod quàm impudenter dicant, nemo est qui non intelligat. Impudentia Cræcorum.

Confirmant nostram sententiam Patres, tam Latini, quàm Græci, vt Sanctus Chrysostomus *Homil.* 82. *in Matth*, dicit *Christum Dominum ea die, quam lex præscripsit seruâsse ceremoniam*, vt vsq; ad vltimum diem ostenderet se, non esse legi contrarium.

Rationes seu congruentiæ: tùm quia azymus est à communi pane distinctus, congruit autem maximè tanti Mysterii dignitati, vt adhibeatur aliquod purissimum, & à comuni distinctum, quemadmodum *Leuit.* 24. panes propositionis, cùm essent tantùm figuræ huius Sacramenti, Dei tamen præcepto fieri debebant ex simila, quæ est farinæ defæcatæ pars generosissima. Tùm quia panis azymus, vt pote fermentato purior significat Christum Dominum sine viro conceptum. Tùm quia significat vitæ puritatem necessariam conficientibus, & suscipientibus hoc Sacramentum, cùm fermentatus, è contra malitiam, & nequitiam significet. 1. ad Corinth: 6. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaq; epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis synceritatis, & veritatis.* Congruentiæ pro azymo.

Dico 3. Sacerdos Græcus sine peccato consecrat in fermentato: Latinus in azymo: vterq; aduena in terris alterius liber sit, potiùs tamen Ecclesiæ suæ morem teneat: si verò incola in terris alterius, nec propriam Ecclesiam habeat, seruet consuetudinem Ecclesiæ illius. Hæc Conclusio definita est *in Concilio Florent. in literis vnionis post Sessionem vltimam, & tradita ab Eugenio Quarto.* Vnde Latinus tenetur consecrare in azymo, & Græcus in fermentato: non enim Ecclesia Latina Græcos censet Schismaticos, quòd vtantur fermentato: sed quòd malo fundamento nitantur, & Latinorum damnent consuetudinem. Quare Verba Doctoris quæ habet *in* 4. *d.* 11. *q.* 6. aliquantulùm sunt seueriora contra Græcos, vbi ait: *Fortè peccant Græci non conformantes se Ecclesiæ Latinæ.* peccatum autem istud non reducit in necessitatem præcepti sic consecrandi, sed potiùs in contumaciam Græcorum, inquantùm sic consecrant, quasi Sacerdos Græcus sine peccato consecrat in fermentato.

necessitate materiæ, & institutionis Christi Domini, culpantes Latinos, quasi errent; contemptum ergo hunc culpat Doctor, non verò ritum absolutè, cùm aliâs ritum Græcorum approbet in forma Baptisandi, docens necessariò Ministrum quemq; debere sequi ritum Ecclesiæ suæ.

Dies azymorum quando incipiebat

Ad primum Respondeo, Eo loci computâsse dies non secundùm vsum Sacrum quo festa incipiebant à vespera præcedente, sed secundùm vsum ciuilem, & communem, secundùm quem, dies primus azymorum. quem S. Ioannes vocat diem festum Paschæ, incipiebat sequenti mane, ab ortu solis. Adde quòd dies sequens lunam 14. erat dies festus & solennis, *Leuit. 23. Mense primo 14. die ad Vesperam, phase Domini est, & 15. die mensis huius solennitas azymorum Domini est.* sensus itaq; horum verborum, *Ante diem festum Paschæ*, id est, ante 15. diem, qui erat primus dies azymorum, & quidem solennis. Ad secundum Respondeo, per Pascha ibi intelligi victimas Paschales, quæ singulis festis Paschalibus solebant offerri, *Numerorum 18.* nec non azyma quibus quotidie vescebantur. Quare S. Augustinus *Tract* : 114, *in Ioannem*, dicit. *Dies iam agere cœperant azymorum, quibus diebus contaminatio erat illis, in alienigenæ habitaculum intrare.* Cauebant itaq; contaminationem legalem per totum tempus Paschale propter vsum azymorum, & victimarum Paschalium. Ad tertium Respondeo, initio quidem Iudæos timuisse turbas, datâ tamen occasione ex proditione Iudæ promittentis eum tradere sine turbis statuisse eum occidere, & quidem die festo, vt maior esset ignominia. Ad 4. Respondeo per Parasceue Paschæ, non intelligi, parasceue festi Paschalis, nullum enim festum Iudaicum habebat parasceue præter Sabbatum, quia in eo non licebat cibos parare, licebat autem in quolibet alio festo, sed intelligi profestum Sabbati, vt dicitur Marci 15. *Erat parasceue ante Sabbatum.* Et Luc. 23. *dies erat parasceues, & Sabbatum illucescebat*, imò etiam S. Ioannes paulò post se explicans ait, *quia parasceue erat, ne remanerent in cruce corpora Sabbato*, dicitur autem Parasceue Paschæ, quod incideret in primum diem festi Paschalis.

per Pascha quid intelligitur.

Iudæorũ consilia mutata.

Parasceue quid?

Ad 5. Respondeo, Non omnia opera ita strictè fuerant inter-

dicta illis, diebus azymorum, atq; diebus Sabbati præsertim opera pietatis exhibita à Iosepho, & mulieribus, maximè verò cùm sepultura differri non poterat propter imminentem diem Sabbati. Porrò Iudæi criminaliter procedentes contra Christum Dominum, procurando mortem eius, existimabant obsequium se præstare Deo: hinc dum de ea consultarent, non timuerunt diem festum propter transgressionem, sed propter tumultum, supponentes scilicet festum non violandum per mortem Christi Domini. Ad 6. Dico Quòd Iudæi crucifixo Domino, ne arguerentur impietatis in obseruantia legis, statim petierunt à Pilato, vt crura crucifixorum frangerentur, quia hoc eorum malitiam argueret, dicerentur enim ex hoc violare festum Paschæ, cùm illo die debebant adhuc immolare quædam sacrificia. Tùm quia sabbatum concurrebat cum Paschate, quod erat solennius, quàm ipsum Pascha solum. Authoritas Origenis non vrget, sicut in multis aliis, licet in aliis locis nobiscum sentiat. Quæ licita erant diebus festiuis.

Dices 1. Per Pascha (S. Chrysostomus homil : 22. in Ioannem, & S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12, in Ioan : c. 2.) intelligunt, agnum Paschalem, quem eo die erant comesturi Iudæi. Ergo passus est lunâ 14. quâ die comedere tenebantur agnum Paschalem. Ergo cænam fecit luna 13.

Respondeo Prædicti SS. Patres putant Iudæos non comedisse Agnum Paschalem, præsertim scribas & pharisæos lunâ 14. quia occupati erant circa mortem Christi Domini, cùm illa nocte essent congregati ad Caipham, & expectarent Christum Dominum. Mens SS. Patrum.

Dices 2. Veritas debuit correspondere figuræ. Sed immolatio Agni Paschalis erat figura sacrificii crucis Christi Domini, iuxta illud Ioan. 19. *Os non communuetis ex eo.* Sed agnus immolabatur lunâ 14. ad vesperam. Ergo & immolatio in cruce Christi Domini fuit lunâ 14.

Respondeo Quòd oblatio Agni Paschalis non solùm fuit sacrificii cruenti figura, in cruce, sed etiam fuit figura sacrificii mystici, quando scilicet Christus Dominus debuit instituere sacrificium oblationis Eucharistiæ, quod & instituit lunâ 14. Ita S. Gregorius Agnus Paschalis cuius figura.

gor: *Homil*: 22. *in Euangelia*. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 2. *de Paschate* dicit, *Deum imperâsse, vt Agnus lunâ* 14. *immolaretur, quia tunc Christus Dominus daturus erat discipulis suum corpus, & sanguinem.*

QVÆRES TERTIO.

Vtrum solum vinum expressum de vua, sit materia conueniens Sacramenti Eucharistiæ.

Vinum vitis materia.

Dico. Vinum vitis, & nihil aliud, est materia legitima calicis. Ita D. Subtilis *in* 4. *d.* 11. *q.* 7. Patet ex Sacris literis. *Matth.* 26. & *Lucæ* 22. vbi traditur Christum Dominum in vino consecrâsse. Accedit antiqua praxis Ecclesiæ, & determinatio Concilii Florentini in literis Eugenii ad Armenos. Hinc

Collige 1. Quòdcunque vinum ex vuis expressum, siue album, siue rubrum, siue eiusdem, siue diuersæ speciei, est materiâ sufficiens huic Sacramento, debet tamen vinum esse maturum, quare peccant illi, qui mustum adhibent propter fæces admixtas, quæ vinum non sunt. Rationem asignat D. Subt. *in.* 4. *d.* 11. *q.* 7. assumptionis huius materiæ, nempe vini, quia est secunda pars principalis nutritionis, id est potus, qui principaliter consistit in vino.

Liquores alii non sunt materia.

Collige 2. Alij liquores non expresi de vuis vitis, non sunt materia huius Sacramenti, vt sunt liquores expresi ex pomis, ex fructibus. Item expresi ex vuis vitis immaturis, vt est agresta, quia vinum non est, nec materia apta ad potandum. Item reiiciuntur vuæ ipse, quia non sunt materia potabilis, sed habent potius rationem comestibilis, vt inquit D. Sublilis *loco citato*, nec sunt propriè vinum: tùm quia vinum in vuis, non se habet vt liquor in vase, sed vt pars in toto, & Sanguis in animali.

Mulsum non est materia.

Collige 3. Mulsum non potest esse materia huius Sacramenti, quod adhibent quidam stolidi Sacerdotes Schismatici in Rusia, & Moscouia. Item neque acetum ex vino, quia est vinum corruptum. Vinum verò acidum, vel acescens pergens ad corruptionem, est valde dubia materia, quâ vti non licet, nisi in casu grauis necessitatis.

Collige

Collige 4. Etsi in vino congelato possit valida esse consecratio, quia ista mutatio est merè accidentalis, puta secundùm quantitatem, neq; mutat substantiam vini, sicut neq; alterius liquoris congelatio; tamen meliùs est, priùs vinum congelatum soluere calore ante consecrationem, nam non traiiceretur in stomachum nisi priùs dissoluatur. Si tamen ita congelatum esset vinum, vt rationem amiserit vini, vel mutaretur in crystallũ, non esset materia sufficiens.

In vino congelato an possit esse consecratio.

QVÆRES QVARTO.

An vino necessariò sit aqua miscenda?

Dico 1. Aquam misceri vino consecrando necesse est. Probatur 1. ex praxi antiquissimarum Ecclesiarum; nam in Liturgia D. Iacobi dicitur, *Christus accepit calicem, permiscens ex aqua & vino.* In Liturgia S. Basilii dicitur. *Accipiens & miscens calicem.* In Missa S. Chrysost: habetur *Mittens vinum & aquam in Calicem.* Probatur 2. ex Conciliis, Concilium Constanstinopolitanum *in Trullo. Can. 32.* statuit permixtionem aquæ cum vino à Christo Domino, & à S. Iacobo fuisse profectam. Item statuit Concil. Carthag. 3. Tridentinum, *Sess. 22. c. 7.* Idem definiuerunt Summi Pontifices, vt Alexander Quintus à S. Petro in Epistola ad omnes Orthodoxos, docet, id profectum esse à Christo, & à Patribus.

Aqua vino miscenda.

Probatur 3. ex SS. Patribus, nam Iustinus Martyr Apologia 2. pro Christianis, dicit, *Christianos offerre panem, & calicem aquâ dilutum.* S. Cyprianus integram scripsit Epistolam *ad Concilium hac de re*, ostendens aduersari Christi Domini institutioni, aut aquam solam, aut vinum solum in sacrificium offerre. S. Ambr. ad hác permixtionem probandam totum consumit primum caput lib. 5. de Sacramentis. Idem docet S. August. *de dogmatibus Ecclesiasticis. c. 65.* Probatur 4. rationibus. Prima desumitur ex facto Christi Domini, qui nonnisi vinum dilutum potabat: tùm ex sobrietate, tùm ex consuetudine gentis illius. iuxta illud Prouerb: 9. *Bibite vinum quod miscui vobis.* Saltem negari non potest, quin instituendo hoc Sacramentum vinum temperauerit, vt prolixè S. Cyprianus probat

Ex SS. Patribus.

Rationes

loco citato, aliàs Apostoli id nobis non tradidissent. 2. Vt significetur vnio duarum naturarum in Christo Domino. 3. Vt repræsentetur Sanguinem & aquam simul fluxisse è Christi Domini latere. Ita Alexander. 4. Congruentiam assignat D. Subtilis *in 4. d. 11. q. 7.* vt significetur populus vniri Christo, iuxta illud *de Consecrat: d. 2.* vbi dicitur, *Cùm in calice aqua vino miscetur, populus Christo vnitur, id est, copulandus significatur per fidem, & dignam Sacramenti perceptionem.*

Obiectiones hæreticorum.

Obiiciunt 1. Lutherus & Kemnitius, Mixtio aquæ cum vino non bonam habere significationem in S. literis iuxta illud Isaiæ 1. *Vinum tuum mixtum est aquâ.* id est, sinceritas tua corrupta. Ergo nõ debet aqua misceri vino.

Respondeo Negando consequentiam, quia habet etiam bonam significationem; aliàs enim leo cùm significet dæmonem in scriptura, nusquam Christum Dominum significaret.

Obiiciunt 2. Mixtio aquæ cum vino, significat sanguinem, & aquam fluxisse è Christi latere. Sed significatio ista est impertinens, quia sanguis & aqua fluxerunt, hic autem miscentur.

Cur aqua vino miscenda.

Respondeo Quòd non est hæc ratio principalis mistionis aquæ cum vino relata in Maiori. Deinde Minor negatur: licet enim aqua & vinum misceantur in calice, tamen etiam separatim infunduntur. Addo quòd non omnia in omnibus possunt esse paria.

Obiiciunt 3. Sanguis & aqua significant Baptismum, & Eucharistiam. Ergo non significantur tali mixtione.

Respondeo Negando consequentiam, Mixtio enim illa significat Sanguinem, & aquam fluxisse, Vnde aqua, & Sanguis, non minùs propterea significant ex doctrina Patrum Baptismum, & Eucharistiam.

Qua necessitate aqua miscenda.

Dico 2. Aquæ permixtio, non est necessaria necessitate Sacramenti, sed tantùm necessitate præcepti. Est Doctor: Subtilis, *loco citato*, & communis Scotistarum, & aliorum. Vbi dicit D. Subt. *Aquam non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed necessitate Ministri*

Ministri, propter præceptum Ecclesiæ. Patet ex Tridentino *Sess. 22. c. 7.* vbi dicitur. *Monet deinde Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quòd Christum ita fecisse credatur : tùm etiam quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit.* Vbi Conciliũ docet mixtionẽ prædictã præceptã esse ab Ecclesia, ideoq; esse tantũ necessariũ necessitate præcepti. Ergo qui aquã vino non misceret, peccaret grauiter, consecraret nihilominùs. Existimant tamen aliqui permixtionem aquæ esse necessariam necessitate Sacramenti, præsertim Armacanus *lib. 9. de gestis Armen. c. 9.* quia inquit Christus ita instituit, imò & præcepit, vt docet S. Cypr. *Epist. 63.* Respondeo plusquam probabile esse Christum Dominum consecrâsse vinum dilutum, non tamen ex eo colligitur necessitas Sacramenti : Sicut ex eo quòd solum panem azymum consecrauerit, non sequitur ipsum solum esse necessarium necessitate Sacramenti, cùm fermentatus sufficiat. Ad S. Cypr. Dico, eum hoc solùm intendisse, vt non offeratur solum vinum, exemplo, & mandato Christi Domini, non quòd expressè id iusserit, sed quia occasione eius id inseruit Apostoli, & vniuersalis Ecclesia.

Dices Tantæ necessitatis esse aquam vino misceri, quantæ necessitatis est aquam misceri farinæ. Sed sine aqua elementari, non potest farina esse materia consecrationis. Ergo neque vinum sine aqua.

Respondeo Negatur paritas, nam si desit aqua farinæ, nullum est Sacramentum, quia farina per se, & sine aqua, cibus non est ; At verò vinum sine aqua potus est. Quòd si aliqua Concilia dicant, non posse esse Sacramentum sine mixtione aquæ : dicendum est, non posse esse licitè, & debitè, posse tamen esse absolutè, vt docet S. Bonauentura, licet desit illa significatio vnionis populi cum Christo capite. Quare si vinum aliàs esset in dolio, vel lagena, aquâ temperatum, & Sacerdos id sciret, deberet tamen aquam infundere calici propter hanc significationem vnionis populi cum Christo, ad quam prophana mixtio non ordinatur.

Negatur paritas.

Non potest esse licita consecratio sine aqua.

QVÆ-

QVÆRES QVINTO.

Vtrum aqua vino mixta calici, conuerti priùs in vinum debeat, quàm in Sanguinem Domini conuertatur?

Nota Nonnullos existimâsse vinum in sanguinem, & aquã in humorem phlegmaticum, qui è Christi D. latere exiuit, transmutari. Sed hæc opinio reiicitur: tùm quia ante consecrationem potest aqua conuerti in vinum, vt mox dicetur: tùm quia forma consecrationis, nullam habet efficientiam circa materiam contentam in calice, præter efficientiam Sanguinis Domini. Quidam dicunt, aquam non posse in vinum conuerti, sed manere substantialiter, ideoq; non posse transmutari in Sanguinem Domini. Quidam dicunt etiamsi aqua non conuerteretur in vinum, transmutetur tamen in Sanguinem Domini.

Variæ opiniones recensentur.

Dico 1. Absolutè est tenendum aquam conuerti post consecrationem in Sanguinem Christi Domini. Ita SS. Patres, Ambrosius *lib.* 4. *de Sacramentis c.* 5. dicens, *Ante Verba Christi Calix è vino, & aqua plenus, vbi verba Christi operata fuerint Sanguis efficitur.* Damascenus *lib.* 4. *c.* 14. *Qui fecit omnia* inquit, *potest ex vino & aqua Sanguinem suum conficere.* Probatur rationibus. Primò quia si tota materia calicis in Sanguinem non conuerteretur, esset falsa forma consecrationis. Secunda. Quia tota materia existens in calice adoratur, adeoq; debet esse tota illa materia Sanguinis Christi Domini. 3. Quia Sacerdos post susceptum calicem censetur adhuc ieiunus. 4. Quia valde indecens esset aliquid cum Sanguine Christi Domini peracta consecratione, manere. Tota difficultas est hic, vtrũ aqua priùs in vinum, quàm in Sanguinem conuertatur? credunt aliqui non esse necesse. Alij verò existimant ita necesse, vt si priùs in vinum non conuertatur, conuerti quoq; non posse in Sanguinem.

Aqua conuertitur in Sanguiné.

Rationibus.

Dico 2. Aqua vino consecrando immixta priùs, in vinum, quàm in Sanguinem conuertitur. Ita Innocentius III. quem sequuntur Antiqui Scholastici. Et ratio est, quia solùm vinum est materia

Aqua priùs conuertenda in vinum.

materia necessaria calicis & aquæ admixtio est ceremonia, ex præcepto Ecclesiæ seruanda: quô fit vt solum vinum, non aqua debeat effici Sanguis Domini. Tùm quia peractâ consecratione manent tantùm species Panis & Vini, non verò species aquæ. Ergo priùs illa in Vinum, quàm in Sanguinem conuertitur. Tùm quia eâ ratione præcipitur aquam misceri vino consecrando, in modica quantitate, & sufficienti temporis interuallo, vt facilior sit eius in vinum conuersio. Ergo priùs aqua conuertitur in vinum, deinde in Christi Domini Sanguinem.

Dices 1. SS. PP. dicunt, aquam simul cum vino in Sanguinem Christi Domini conuerti. Respondeo eos solùm velle tantùm aquam esse miscendam, de modo autem, quod transit in Sanguinem non curare. Respondeo 2. SS. PP. Velle aquam coniunctam cum vino conuerti in Sanguinem, sed non per solam infusionem, sed coniunctam, per transmutationem. Aqua con uertitur in Sanguinem coniuncta per transmutationem.

Dices 2. Aliquando contingit in Missa immediatè post infusionem vini & aquæ fieri consecrationem, vt perfectum sit sacrificium, in tali verò casu, aqua in vinum, non conuertitur, propter breuitatem temporis. Respondeo ita contingere, nullum tamen ex eo sequi incommodum, nam in eo casu id accidit irregulariter, magis autem conueniens est dicere, vt priùs aqua in vinum conuertatur, quàm in Christi Domini Sanguinem. Quòd si dicas in tali casu adoraretur aliquid præter Christi Domini Sanguinem. Respondeo negando aliquid aliud adorari, nam id solùm adoratur, quòd est consecratum, & quod sub speciebus vini continetur: si autem aliquid aliud remaneat in calice, quemadmodùm etiam remanere possunt paleæ cum speciebus panis, aut aliquid aliud, istud non adoratur. Nota instantias varias & solutiones.

Quòd si instes, Sacerdos in tali casu non remanet ieiunus, quia aquam simul cum Sanguine Christi Domini, accepit, quomodo ergo rursus, præsertim in die Natalis Domini celebrare poterit,

Respondeo 1, Quòd in tali casu censetur moraliter ieiunus, quia totum illud accepit per modum vnius Sacramenti.

Respondent alij in tali casu, meliùs Sacerdotem facturum, si à repetita celebratione abstineat.

Dices 3. Postquàm aqua vino mixta est, facilè extrahi potest. Ergo signum est illam in vinum non conuerti. Respondet S. Thom: non aquam, sed humorem aqueum extrahi, qui non modò ex vino aqua temperato, sed etiam ex vino purissimo extrahi potest.

Non aqua sed humor extrahitur

QVÆRES SEXTO.

Vtrum materia consecranda, tam calicis, quàm panis debeat esse determinatæ quantitatis?

Nota Hic inquirendum est primò, quòd Sacerdos per suam intentionem debeat determinare panem, & vinum consecrandum. Deinde quòd vtraq; materia debeat habere certum terminum magnitudinis, & paruitatis, vltra quem, non possit esse consecratio. Tandem quomodo debeat esse præsens materia ministro.

Materia consecranda determinanda per intentionem.

Dico 1. Materia consecranda, debet esse determinata per intentionem consecrantis. Patet, quia reales operationes, debent esse circa singularia detreminata, non autem circa singularia indeterminata, & idcirco oportet, vt intentio, quæ est causa consecrationis, feratur in aliquam determinatam materiam: sicut Baptizans non determinando hunc, vel illum hominem, non baptizaret: ita consecrans, ex pluribus hostiis, nullam determinando, nihil faceret, non seiungendo per certam intentionem aliquas hostias; secùs esset, si V. G. à sex hostiis duas separet per intentionem ab aliis: similiter non licet consecrare vnam partem hostiæ determinatam, absq; alia parte, quia pars consecrata, non facilè, à non consecrata posset separari. Quare Sacerdos debet intendere, & consecrare totum, quod est in vase, vel quod est in calice per modum vnius continui, quò fit vt guttulas adhærentes labris calicis, vel intra, vel extra, à toto seiunctas non consecret.

Collige 1. Existimans se consecrâsse tantùm vnam Hostiam, si alteram postea repererit, ambas consecrauit; quia in tali casu censetur moraliter intendisse, consecrare illud totum quod habet præ oculis.

Nota casus.

Collige

Collige 2. Si plures hostias tulit ad altare; vel obtulit in offertorio, & omnes habuit intentionem consecrandi, & in instanti consecrationis recordetur tantùm illius, quam habet præ manibus omnes illas consecrauit, propter priorem intentionem, modò adsint in loco apto, & sufficienter consecranti præsentes.

Dico 2. Materia consecranda, sufficiens est in minima quantitate sensu perceptibili; non tamen imperceptibili. 1. pars patet, quia licet quantitas sit minima, tamen panis verus, est panis, dummodò possit obiici sensibus; & per formam designari, quia sic potest esse signum sensibile. 2. pars constat. quia quod est imperceptibile, non potest designari per pronomen *Hoc*, quod tamen requiritur vt consecrari possit. : materia enim consecrabilis debet esse hic, & nunc demonstrabilis per Sacerdotem. Quantitas materiæ qualis.

Collige Sacerdotem cæcum posse consecrare, dummodò ab illo cæco materia consecrationis sit sensibilis alio sensu, vel à ministrante idoneo visibilis, & cæco demonstrabilis, quod verum esset, si Sacerdos cæcutienti ministraret.

Dico 3. Non debet iuxta graues Doctores, materia consecranda esse in quauis maxima quantitate. Ita Sanctus Bonauentura expressè, & Alexander Alensis tenet. Ratio est, quia materia consecranda attendi debet iuxta modum præscriptum à Christo Domino; tum quia in quauis maxima quantitate, non potest esse ministro sufficienter præsens : tum quia id est determinandum iuxta iudicium prudentis, vt scilicet tanta materia consecretur, quantam requirit vsus, finis, & ratio huius Sacramenti. Non debet esse in maxima quantitate.

Dices Absolutè data est potestas consecrandi Sacerdoti, Respondet Sanctus Bonauentura in ædificationem, non in destructionem & scandalum.

Dico 4. Materia consecranda debet esse præsens ministro. Patet tùm ex facto Christi Domini : tum ex vi formæ, in qua habeantur ista pronomina *Hoc*, & *Hic*, denotantia præsentiam materiæ consecrandæ : quare debet esse cooperta linteo, vel inclusa in vase; modò sit hoc pacto iuxta consecrantem, neque debet maximè distare à consecrante, sed iuxta ipsum existere & quæ facilè possit vide- Materia consecranda debet esse præsens.

An in vtraque materia confici debeat.

videri, & tangi à consecrante. PETES, *An necessariò semper debeat confici hoc Sacramentum in vtraq; materia, panis & vini?*

Respondeo 1. Non est vtraq; materia necessaria necessitate Sacramenti. Patet quia vtraq; forma consecrationis habet efficaciam suam independentem ab efficacia alterius. Tùm quia vtraq; materia consecrata, continet, & significat effectum aliquem gratuitum, & supernaturalem, independenter ab alia.

Vtraque materia consecranda sub præcepto Dei.

Respondeo 2. Vtraq; materia est necessaria ad conficiendum hoc Sacramentum, necessitate præcepti Diuini. Patet ex Concilio Tridentino *Sess. 23. ab initio*, Vbi Sancta Synodus declarat, id Christum Dominum præcepisse. Ratio est, quia hâc hostiâ, antiquata fuerunt omnia sacrificia veteris legis. Ergo de iure Diuino illa debet esse integrũ, & non mutilum sacrificium: esset autem, si non adesset vtraq; species, per quam significatur in mystica Sanguinis separatione, perfecta immolatio. Ergo de iure diuino hoc Sacramentum debet confici in vtraq; materia.

Papa non potest dispensare, vt in vna materia fiat consecratio.

Respondeo 3. Summus Pontifex, non potest dispensare, vt aliquis consecret in vna solùm materia. Patet tùm quia Summus Pontifex non potest dispensare in iure diuino: tùm quia id spectat ad perfectam rationem sacrificii, quod omni iure, Deo debet offerri. Vnde minus esset inconueniens, abstinere quandoq; à celebrando, quàm ritum communem sacrificii immutare.

ARTICVLVS IV.

De forma Eucharistiæ.

Hæretici negant Christum Dominum panem benedixisse.

Nota 1. Negant hæretici Christum Dominum benedixisse panem & vinum, sed dicunt ipsum gratias egisse Deo, seu benedixisse Deum: non verò panem & vinum, vt nimirum omnem benedictionis, consecrationis, & sanctificationis rationem ab huius Sacramenti materia penitùs arceant. Ratio eorum est, quia Euangelistæ promiscuè his verbis vtuntur *Eucharistein*, & *Eulogein*, quæ quidem gratias agere significant, vbi enim eorum aliqui *Eucharistein* verbo vtuntur, alij ibidem, & ad eandem rem significandam *Eulogein* substi-

ſubſtituunt, ideò iuxta Hæreticos Chriſtus Dominus gratias egit, & benedixit Deum, non verò panem. Sed omnes Catholici aſſerunt Chriſtum Dominum panem benedixiſſe, nam *Eulogein* ſignificat benedicere, & conſtat ex S. Marco, qui verbum benedictionis cum materia panis coniunxit. *Accepit inquit panem, benedixit, ac fregit,* Tum quia gratias agendo Deo, res conſecranda benedicitur, vt cõſtat ex 1. *ad Timoth.* 4. vbi dicitur. *Quòd cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Et 1. Cor. cap. 10. indicat benedictionem cadere ſupra materiam ſubiectam, vbi enim vulgata habet *poculum benedictionis,* Græcè dicitur *poculum quòd benedicimus.* Deniq; patet ex vſu Eccleſiarum omnium, in quarum antiquiſsimis Liturgiis, inducitur Chriſtus Dominus gratias agens Deo Patri, & propoſita dona benedicens.

Catholici affirmant.

Nota 2. Hæreticos negare hoc Sacramentum confici verbis, ſed vel concione ad populum, vel oratione aliquâ; vel fide recipientis, vel mentis deſignatione, vel fractione, vel manducatione, ſeu vſu, omnia ad inſtructionem referentes, & nihil ſupra panem & vinum effici exiſtimantes:

Hæretici negant dari Euchariſtiæ formam.

Verùm Catholici docent huius Sacramenti formam dari determinatam. Probatur Omnia enim Sacramenta habent formas quaſdam determinatas, vt conſtat ex S. Auguſtino Tract: 80. in Ioannem. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Vnde idem S. Auguſtinus de hoc Sacramẽto. *lib.* 2. *contra Fauſtum Manich.* *cap.* 13. inquit. *Noſter panis & calix certâ conſecratione, fit myſticus nobis.* Et S. Ambr. *lib.* 4. *de Sacrãm: cap.* 40. ait, *Sermo Domini hoc conficit Sacramentum*: Et Doctor Subt. *in* 4. *d.* 8. *q.* 1. optimam congruentiam adfert, ob quam Sacramentum iſtud debuerit per verba quædam inſtitui dicens. *Congruum etiam fuit vt ſignum ſenſibile, ſub quo nobis Deus voluit ſe dare, haberet ordinem ad verba aliqua, ab aliquo miniſtro proferenda, quia aliter neſciremus, quandò in tali ſigno eſſet Chriſtus Dominus & quandò non, & ſic periret reuerentia, & debita deuotio.*

Catholici affirmant.

QVÆRES PRIMO.

Quænam ſit forma conſecrationis.

Quibus verbis Christus Dominus consecrauit.

Nota hîc inquirendum est, quibus verbis Christus Dominus consecrauit, & an iisdem Sacerdotes consecrare debeant.

Dico 1. Christus Dominus his verbis consecrauit. *Hoc est Corpus meum. Hic est calix Sanguinis mei*, Ita D. Subt. *loco citato Quæst.* 2. §. *de tertio*. Et probatur ex consensu omnium Ecclesiarum, quòd hæc Verba prædicta retineantur. Deinde omnes SS. PP. docent. S. Ambr. *lib. de mysteriis cap.* 9. inquit. *Consecrationem diuinam ipsam Verba Domini Saluatoris operantur, sermone enim Christi hoc conficitur Sacramentum*; Et S. Chrysost. hom. de prod. Iudæ. *Hoc verbo*. inquit. *Hoc est corpus meũ, proposita dona consecrantur*. Præterea ita omnes Scholæ Theologorum sentiunt. Deniq; non sunt aptiores formæ traditæ in Scriptura; nam in hac forma consecrationis, seu mutationis panis in Corpus Chriisti Domini; *Hoc est Corpus meum*, per particulam (*Hoc*) optimè designatur terminus à quo, per particulam (*Corpus Meum*) terminus ad quem, & per Verbum (*est*) ipsamet mutatio.

Dices S. Ambr. *loco citato*. dicit. *Benedictione naturam mutari*: Ergo non his verbis, *Hoc est corpus meum*. Respondeo 1. totam illã actionem sacram complectentem gratiarum actionem, benedictionem, & consecrationem, appellari benedictionem,

Respondeo 2. Benedictionem istam præcedentem consecrationem, quâ Christus Dominus panem benedixit, fuisse operatiuam, & efficacem, sed præparatiuè, & dispositiuè, vt nimirum immediatè post verba consecrationis, fieret Corpus Christi Domini.

Iisdem verbis Sacerdotes consecrant

Dico 2. Sacerdotes iisdem verbis quibus Christus Dominus consecrauit, consecrant, & non per preces aliquas, vt volunt recentiores Græci. Ita Definitum est in Concil. Florent. *in literis Eugenij ad Armenos*. Et ex SS. PP. etiam Græcis, vt S. Chrysost. supra 2. *ad Corinth. cap.* 2. Vbi dicit. *Quemadmodum verba sunt eadem, quæ olim Christus dixit, & quæ nunc Sacerdotes pronunciant, ita est oblatio eadem*; hoc idem docet. S. Damascen. *lib.* 4. *de fide Orthod ca.* 14. Ratio est, quia Sacerdotes nihil efficiunt, nisi in Persona Christi Domini, qui est summus Sacerdos, ad quem spectat formas essentiales Sacramentorum instituere. Ergo non in aliis verbis prærer-

quam

quàm ipsius verbis debent conficere. Confirmatur, quia preces illæ quibus vtuntur Græci, non reperiuntur in Sacris literis, sed ab hominibus sunt adinuentæ, & variæ iuxta varietatem liturgiarum. Ergo illæ non possunt esse valida forma consecrationis.

Dices Antiqui Patres tā Græci, quā Latini dicūt corpus Christi Domini confici precibus; Iustinus Martyr *Apol.* 2. dicit *Oratione confici Eucharistiam*. S. Irenæus lib. 4. cap. 17. *Inuocatione nominis Dei*. Cyril. Hierosol Catech. 3. *Inuocatione Spiritus* S. Hieron. ad Euagrium, *Sacerdotis precibus*. S. August. 3. de Trinit. cap. 4. *prece mystica*. Respondeo consecrationem Christi Domini Corporis, tribui precibus, quia tribuitur toti illi actioni Sacræ, continentis simul preces & consecrationem. Cur consecratio tribuitur precibus.

Respondeo 2. Consecratio ab antiquis appellabatur inuocatio, seu deprecatio, quia per eam vis Diuina ad sanctificationē Elementorum euocatur: & sic Iacobi 5. Extrema vnctio appellatur *oratio super infirmum*. Et S. Aug. 5. contra Donatistas. *cap.* 20. appellat omnes formas Sacramentorum deprecationes. Et sic per illas orationes, quæ ponuntur post verba consecrationis, non petitur à Sacerdotibus, vt fiat corpus Christi Domini & Sanguis, Sed vt corpus Christi Domini & sanguis sit nobis viuificus, & proficuus.

QVÆRES SECVNDO.

An verba à Sacerdote proferantur recitatiuè, vel historicè, an verò formaliter, & significatiuè.

Nota: Circa hanc difficultatem, variæ sunt sententiæ DD. Quidam enim dicunt verba formæ consecrationis dici tantùm recitatiuè à Sacerdote. Ita Durand. *in* 4. *d.* 8. *q.* 2. *ad* 1. Tribuitur D. Subtili *ibidem art.* 3. Sed an verè, infra patebit. Quidam verò volunt dici tantùm significatiuè; Alij verò recitatiuè, & significatiuè simul, non enim repugnat aliquid dici simul recitatiuè & significatiuè. Porrò illud dicitur recitatiuè, quod refertur, vt dictum ab alio: formaliter verò & significatiuè, cùm per illud intendimus aliquid affirmare, vel negare. Quomodo verba proferuntur à Sacerdote, &c. Quid recitatiuè. Quid significatiuè.

Dico. Verba formæ consecrationis dicantur à Sacerdote

Vtroque modo proferuntur. materialiter ſeu recitatiuè, & formaliter; ſeu ſignificatiuè. Primam partem probant verba antecedentia Canonis, intentio Sacerdotis proferentis verba in Perſona Chriſti Domini, vt patet ex Florentino *in literis vnionis*. Sicut ergo Sacerdos, non in propria Perſona loquitur, ſed in perſona Chriſti Domini, ita etiam prolatio formæ, vt ad propriam perſonam refertur, eſt materialis, & recitatiua, vt ad perſonam Chriſti Domini ſignificatiuè.

Dices Si formæ dicerentur à Sacerdotibus recitatiuè, contineret propoſitiones falſas, quia qui refert verba ab alio dicta, non vtitur ſignificatione illorum, vt eis idem velit ſignificare.

Reſpondeo Referens alicuius verba recitatiuè, poteſt eadem dicere ſignificatiuè; & eorum virtute ſignificare, & efficere corpus Domini.

ſignificatiuè profert. Secunda pars concluſionis probatur, Quia in formis Sacramentorum inſtituit Chriſtus Dominus verba ſignificantia effectum Sacramenti, vt patet in omnibus aliis. Ergo & hîc. Tum quia non tantùm Sacerdos recitat, quæ Chriſtus Dominus dixit, ſed etiam affirmat hîc; & nunc, eorum virtute ſignificari, & effici corpus Domini. Aduerte tamen hîc intentionem dicendi verba ſignificatiuè, eſſe de eſſentia conſecrationis, quia ratione huius ſolius profert illa Sacerdos in Perſona Chriſti Domini, & ſignificat quid hic, & nunc fiat; quid Doctor Subtilis ſentiat, dicam Quæſito 3. Nota.

Dices Illa Verba de futuro, quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effundetur, non poſſe dici ſignificatiuè, quia hoc tempore, quo Sacerdos ea profert. Sanguis Chriſti Domini non eſt effundendus. Ergo verba formæ ſignificatiuè non proferuntur.

Reſpondent aliqui hæc verba citata non proferuntur ſignificatiuè, ſed recitatiuè, quia non ſunt de eſſentia formæ, vt mox patebit.

Reſpondent alij quòd in Græco ſit ἐγχεινόμενον id eſt, qui funditur; at eo tempore quo Sacerdos ea profert Sanguis Chriſti Domini verè effunditur, hoc eſt oblatione incruentâ ſacrificatur, & im-

& immolatur. Ergo & hæc verba ſignificatiuè proferuntur.

QVÆRES TERTIO.

Quænam ſint verba de eſſentia conſecrationis?

Nota Sacramentum Euchariſtiæ eſſe vnum, vnitate integritatis, & non indiuiſibilitatis, includens duo ſigna partialia, quæ primò ſignificant duo propria & proxima ſignificata, ſcilicet corpus & Sanguinem Chriſti Domini, & præterea remota, nimirum cibationem, & potum ſpiritualem; ideoq; etiam illius eſſe vnam conſecrationem, vnitate integritatis. Ita Doctor Subtilis *in 4. d. 8. q. 2. n. 3.* Euchariſtiæ Sacramentum eſt vnum.

Dico 1. Hæc quatuor verba, *Hoc eſt Corpus meum*, ſunt de eſſentia conſecrationis corporis. Ita Doctor Subtilis *loco citato. n. 4.* Probatur 1. Authoritate Eccleſiæ, quæ in Canone Miſſæ his verbis vtitur. 2. Probatur authoritate Euangeliſtarum, & Sancti Pauli qui aliis verbis omnibus immutatis, vnanimi conſenſu referunt hæc quatuor à Chriſto Domino prolata, 3. Probatur ex SS. PP. Sanctus Chryſoſt. Hom. de prodit. Iudæ: *Hoc eſt Corpus meum. Hoc Verbum* inquit *res propoſitas tranſmutat.* 4. ratione, quia iſtis quatuor verbis, poteſt fieri conſecratio, vno illorum ablato, fieri non poteſt. Ergo ſunt de eſſentia conſecrationis Corporis Domini. Verba conſecrationis.

Collige Particulam *enim* non eſſe de eſſentia formæ huius Sacramenti: nam hæc coniunctio *enim* ponitur ſolùm ad notandum ordinem conſecrationis, & ad vſum materiæ conſecratæ, qui vſus non eſt de eſſentia Sacramenti: tamen qui omitteret particulam *enim* peccaret mortaliter, quia in materia graui, omitteret præceptum graue.

Dico 2. Antecedentia verba, ab illo loco, *Qui pridie quàm pateretur &c.* videntur Doctori Subtili *loco citato.* eſse neceſſariò præmittenda. Probat Doctor. Verba Sacramentalia ex vi verborum, debent ſignificare illud, quod efficitur, ex vi Sacramenti: ſed ex vi conſecrationis huius, efficitur ibi verum Corpus Chriſti. Ergo verba ſufficientia ex vi propria debent ſignificare illud ibi contineri. Sed hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum.* prolata ſine præceden- Verba antecedentia.

tibus non significant hoc absolutè, quia particula *meum*, significat referri ad personam ipsius loquentis, licet enim minister possit intendere, vt loquatur in Persona Christi Domini, non tamen propter hoc significatum illorum verborum demonstraret Corpus Christi Domini, sed Corpus loquentis. Ergo vt significetur Sacerdos loqui in Persona Christi Domini, debent præmitti verba antecedentia. Vnde huiusmodi verba præcedentia non sunt adeò necessaria, vt sine illis omninò non possit esse consecratio valida, sed sunt necessaria, vt verba consecrationis, referantur ad Personam Christi Domini.

Cur verba antecedentia necessaria.

Dico 3. Sequentia illa verba, *Quod pro vobis tradetur, seu frangetur*, non sunt de essentia formæ consecrationis. Probatur quia SS. Matthæus, & Marcus, hæc verba non habent, sed probabile est Ecclesiam consecrâsse, antequam S. Lucas scriberet: quòd si verè consecrauit, certè credendum est consecrâsse illis verbis formæ â SS. Matthæo & Marco, præscriptis, & quia Ecclesia Latina hanc perpetuò formam retinuit, credibile est eam S. Petrum Ecclesiæ tradidisse, antequam S. Lucas scriberet. 2. Probatur quia his verbis *Hoc est corpus meum*, sufficienter designatur transsubstantiatio, & realis præsentia corporis Christi Domini in Sacramento. Ergo sequentia verba non necessariò ad id requiruntur, ideoq; non sunt de essentia consecrationis. Aduerte Græcos non esse reprehendendos, quòd istis verbis vtantur. (*Quod pro vobis tradetur*,) in consecratione, dummodò non existiment esse de essentia formæ consecrationis.

Subsequentia verba.

Dico 4. Formam calicis, quâ vtimur, essentialiter consistere in his verbis. *Hic est calix Sanguinis mei.* Patet quia illa habent Euangelistæ æquiualenter, licet non sub eisdem verbis: quia Euangelistæ intendebant narrare rem gestam, non autem tradere formam consecrandi. Quare in Ecclesia Romana de necessitate est, vt Sacerdos vtatur hâc formâ, quæ est in Canone Missæ præscripta.

Verba consecrationis calicis.

Dico 5. Verba quæ consequuntur *Sanguinis mei*, in forma calicis, non esse essentialia. Ita D. Subt; *loco citato, num.* 8. Ratio est, quia

est, quia alioquin vniuersa Ecclesia orientalis, non verè consecrás-set calicem: neq; S. Iacobus Frater Domini, neq; S. Marcus, neq; Æthyopes, qui vtuntur Liturgia, tradita à S. Matthæo: in quibus Liturgiis desunt aliqua verba, quibus vtitur Ecclesia Latina; nam in ea Sancti Iacobi deest, *Mysterium fidei*. Et in alijs desunt *Noui testamenti, Mysterium fidei*. Vnde in Florent: supponitur Græcos verum Sacramentum habere. Verba sequentia formam calicis nó sunt de essentia.

Confirmatur 1. Quia illa verba, *Quod pro vobis tradetur*, non spectant ad formam corporis, quamuis illa Christus Dominus dixerit. Ergo neque ista spectant ad essentiam formæ, post essentialia formæ calicis.

Confirmatur 2. Hæc reliqua verba quæ adduntur, non faciunt ad significationem præsentiæ, sed ad alia exprimenda. Ergo non determinant formam in sensu essentiali, & Sacramentali, qui completus est absq; illis.

Confirmatur 3. Quia hæc verba, *Noui & æterni testamenti; mysterium fidei*, non sunt ab Ecclesia declarata esse de essentia formæ calicis; nam licet totam formam Ecclesia præscripsit, tamen hæc prædicta, essentialia esse non declarauit.

PETES *Quid hæc verba sequentia designent?*

Respondeo Hæc *Noui & æterni testamenti*, designant in Sanguine Christi Domini effuso in passione, vltimam voluntatem eius. Vnde S. Paulus ad Hebræos 9. inquit, *testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin non valet, dum viuit, qui testatus est, &c.* quia morte testatoris confirmatur, & reuocari ampliùs nequit; & subdit. *Vnde neq; primum sine Sanguine dedicatum est*, supple vetus testamentum, *confirmatum Sanguine hircorum, & taurorum & aliarum victimarum. Mysterium fidei* quando dicitur, explicatur dignitas Sanguinis Christi Domini. Hæc verò sequentia. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, denotant efficaciā Sanguinis Christi Domini, cui proprium est remittere peccata, per se solùm. Non sine causa verò dixit, *qui pro vobis, & pro multis*, nam Sanguis Christi Domini, fuit quidē effusus in ara crucis pro omnibus, etiam pro Iuda sufficienter, licet non efficaciter. Verba sequentia quid significant.

QVÆRES QVARTO.

Quomodo ista propositio, Hoc est Corpus meum, efficiat Corpus Domini?

Quando propositio habet suũ conceptũ.

Nota 1. Propositionem quamlibet, habere suum conceptum integrum, & significationem plenariam, in vltimo instanti prolationis eius, nam conceptus totius orationis, non habetur sine conceptibus omnium partium. Et licet conceptus propositionis, semper habeatur in vltimo instanti prolationis eius, non tamen semper habetur pro eodem vltimo instanti veritas eius, seu vnio extremorum, seu res significata. V. G. In hac propositione, *Deus creauit mundum:* conceptus huius propositionis causatur in vltimo instanti prolationis eius, tamen veritas eiusdem propositionis, seu vnio illorum extremorum, non intelligitur pro eo instanti, in quo habetur iste conceptus, sed pro primo instanti temporis, in quo Deus mundum creauit. Non est ergo idem dicere inquit Doctor Subt. in quo instanti concipiatur oratio, & pro quo; quia concipitur oratio in vltimo instanti; quo prolata est, concipitur tamen pro illo instanti, pro quo extrema denotantur vniri.

Verbum non semper consignificat tempus sed aliquando instans.

Nota 2. Verbum cuiuscunq; propositionis, non semper consignificare tempus, sed etiam aliquando consignificare instans; consignificat tempus in propositionibus significantibus actiones successiuas. Vt Petrus currit, vel Petrus est currens; consignificat instans in propositionibus significantibus actiones instantaneas, vt in hac propositione; *anima fuit creata*; in qua verbum *fuit* consignificat instans illud, in quo Deus creauit animam.

Quando ponitur corpus per verba.

Dico 1. Verba hæc consecrationis, *Hoc est corpus meum.* ponunt Christi Domini corpus in vltimo instanti prolationis. Pro hac conclusione D. Subtilis affert probationes aliorum *in* 4. *dist*. 8. *q.* 2. *num*. 14. §. *Aliter potest dici.* Probatur Quia prædicta verba habent tantùm suam significationem plenam, & integram, in vltimo instanti prolationis omnium verborum. At verò efficit consecratio, quando significat. Ergo tũc efficit, seu ponit corpus Christi Dñi sub speciebus. An autem priùs naturâ significet, quàm efficiat, vel è

contra

contra, est difficultas; nam si priùs naturá significet, quàm efficiat, in illo priori, propositio erit falsa, quia significabit aliquid esse, quod nondum erit: Si autem priùs efficiat, quàm significet, non ergo erit effectiua, quia significatiua. Ergo significatio totalis propositionis, quæ habetur in vltimo instanti prolationis verborum omnium eius, est impertinens ad positionem corporis Christi Domini sub speciebus. Quòd si dicas, sufficere ad significationem eius, quòd significatum immediatè post eandem significationem ponatur.

Contra Ad significationem propositionis de præsenti, non sufficit quód significatum sit futurum immediatè post, quando propositio talis est, vt non se extendat ad aliud tempus, quàm ad præsens. Vt V. G. Petrus est scribens, si Petrus non scribat eo tēpore, quo proferuntur partes talis propositionis, propositio erit falsa, quamuis Petrus immediatè post incipiat scribere: quia quantumcunq; futurum illud sit immediatè futurum, semper tamen futurum est, & ideò per propositionem de præsenti significari non potest. Sed hæc propositio *Hoc est Corpus meum*, non se extendit ad aliud tempus, quàm ad præsens. Ergo si significatum eius non sit actu præsens, quando partes eius proferuntur, erit falsa propositio, quantumcumq; sit immediatè futurum. Aduerte D. Subtilem rectè existimâsse, rem significatam, non semper poni pro instanti, in quo habetur significatio propositionis; Multa *loco citato*, D. Subtilis ponit ex ingenij subtilitate, & ex abundantia eruditionis. Cæterum monet Sacerdotem, non debere immorari in subtilitatibus logicis, ad saluandam significationem, & veritatem prædictæ propositionis, sed ei sufficere debere, quòd Deus assistat ei, tanquam præuiæ dispositioni ab ipso ordinatæ, ad cuius positionem statuit & decreuit ponere corpus Christi Domini sub speciebus Sacramentalibus, siue interim sit vera, siue neutra, siue significatiua, siue non, quia Deus æquè potuit vti propositione non significatiua.

Admonitio pro Sacerdotibus

Dico 2. Non inest verbis Sacramentalibus, virtus aliqua physica, vel efficientia physica, quæ efficiat corpus Domini, sed illa efficiunt corpus Domini dispositiuè, tanquam instrumentum omnipo-

Verba sunt causæ morales.

mnipotentiæ Dei, seu tanquam causæ morales, ad quarum positionem, Deus efficit Christi Domini corpus, præsens sub speciebus. Ita Doctor Subtilis *in 4. d. 1. q. 4. & 5.* & Sanctus Bonauentura *ibidem a. 1. q. 4.* vbi dicunt, quòd Sacramenta dicuntur habere virtutem, & dicuntur causa, & efficere secundùm communem loquendi modum propter assistentiam Diuinæ virtutis, non enim inest illis virtus aliqua, vel qualitas, aut natura, vel essentia adueniens, sed extenditur nomen virtutis ad aliquam ordinationem: Sacramenta itaq; sunt signa à Deo instituta, vt qui ea susceperit debito modo, recipiat gratiam: nam susceptio Sacramenti est dispositio necessitans Deum, ad causandum gratiam in suscipiente Sacramentum, necessitat autem Deum non absolutè, sed ex institutione Diuina, & pacto facto cum Ecclesia, & illi notificato, quòd ipse semper assistat Sacramentis, vt in quocunq; suscipiente, non ponente obicem, causet gratiam. Et *in 4. d. 8. q. 2.* tractans de verbis consecrationis, dicit, Theologo sufficit; quòd ista oratio *Hoc est Corpus meum*, vt est tale signum sensibile, institutum à Deo, est instrumentum Dei, ad consecrationem illam, quæ sequitur in vltimo instanti, ita vt Deus assistat illi, tanquam cuidam dispositioni præuiæ efficaci, vt eâ completâ, causet talem effectum inuisibilem.

QVÆRES QVINTO.

An hæc propositio *Hoc est Corpus meum*, efficiat corpus Domini, quatenùs est vera.

Quæuis propositio eiusque significatio prior est sua veritate.

Nota Quamcunq; propositionem, eiusq; significationem, priorem esse suâ veritate, & falsitate, Probatur, quia manente propositione, & significatione eadem, variari potest tùm veritas, tùm falsitas eius; V. G. manente hac propositione. Sortes currit, variari potest veritas, vel falsitas, prout Sortes sese habuerit, nimirum vel currens, vel non currens; Ratio est, quia propositio ex vi suæ impositionis significat, siue ita fit, siue non sit, quod per illam significatur, veritas autem non conuenit ex vi impositionis solius, sed requirit præterea conformitatem cum re significata, & falsitas dif-

sitas difformitatem, quó fit, vt datá aliquá propositione statim habeatur conceptus, & significatio eius, dummodò intelligantur termini, nec tamen habeatur, veritas, vel falsitas eiusdem, nisi conferendo propositionem cum re significata, intelligatur, an sit ei conformis, vel difformis; sicut V. G. priùs concipitur significatio huius propositionis: *Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, quàm habeatur demõstratio, & quàm concipiatur talis propositio esse vera.

Hæc propositio non ponit corpus quatenùs est vera.

Dico itaq; Hæc propositio, *Hoc est corpus meum*, non ponit corpus Christi Domini sub speciebus Sacramentalibus quatenùs est vera. Ita D. Subt. *in 4. dist. 8. q. 2. §. Posset quidem aliter hic distingui.* Probatur Quòd res est, vel non est, dicitur propositio vera, vel falsa. Sed corpus Christi Domini, nondum est, cùm intelligitur prædicta propositio conuersiua panis in ipsum. Ergo tunc eadem propositio nondum habet suam veritatem. Deinde eadem propositio habet rationem causæ efficientis instrumentariæ respectu positionis corporis Domini sub speciebus, & positio eiusdem corporis habet rationem effectus respectu talis causæ, causa autem omnis necessariò præcedit effectum quem producit. Ergo eadem propositio vt effectiua, vel positiua corporis Christi Domini necessariò præcedit effectionem, vel positionem eiusdem corporis sub speciebus, in instanti autem illo, in quo præcedit effectum suum, concipi non potest habere suam veritatem, quia nondum est ibi corpus Christi Domini, quod est res significata, cui posit esse conformis. Ergo præfata propositio non est conuersiua panis, quatenùs est vera, sed vt est signum sensibile institutum à Deo ad hunc effectum; & sic est conuersiua, non quatenùs vera, sed vt sit vera, ita vt veritas eius non sit causa effectiua ipsius conuersionis, sed causa finalis eiusdem. Vnde D. Subtilis *loco citato* distinguit tria instantia respectu istius propositionis: in primo habetur conceptus propositionis, vt neuter; in secundo sequitur operatio Diuina, causans illud quod omninò designat; in tertio sequitur veritas ipsius conceptus, & propositionis.

Tria instãtia in hac propositione.

Dices: Formæ Sacramentorum efficiunt inquantùm veræ. Ergo

Ergo & hæc. Respondeo formas Sacramentorum, efficere inquantùm significant, id est, continent virtute suum effectum, vt colligitur ex Tridentino *Sess.* 7. *&* 13. *cap.* 4, veritas enim eorum fundatur in hac significatione practica, seu efficacia ipsa formæ. Quare negatur Antecedens. Quando verò Patres colligunt præsentiam Christi Domini ex veritate formæ, & vi verborum; colligunt à posteriori, non à priori, non tanquam ex causa efficiente, sed ex effectu, vt sit sensus, conuersionem panis, fieri in corpus Christi Domini, quia verba Saluatoris habuerunt virtutem ponendi tale significatum, cui, conuersione factá, verba eius fuerunt conformia, & consequenter infallibilem veritatem habuerunt.

Sancti Patres colligunt ex veritate formæ.

QVÆRES SEXTO.

Quid significet pronomen *Hoc* in ista propositione, *Hoc est Corpus meum?*

Nota I. Hæreticorum opiniones circa hæc pronomina *Hoc*, *& Hic*. Quidam enim dicunt, pronomine *Hoc*, nihil aliud significari, quàm aduerbium loci hîc. Sed contra, quia non rectè dixisset Christus Dominus, *Accipite, et manducate, quia hic sum*. Quidam dicunt, his pronominibus significari totam actionem Eucharistiæ. Contra in forma calicis, quando dicitur, *Hic est calix*, non significatur tota actio. Ergo neq; in forma consecrationis corporis, istud pronomen *Hoc* non significat totam actionem. Quidam dicunt significari panem, ita vt tamen in sententia quorundam sit subiectum, in sententia aliorum sit prædicatum. Contra si pronomen *Hoc*, adiectiuè sumatur, conuenire non potest cum substantiuo panis, vt etiam ipsis Grammaticis manifestum est: Si verò substantiuè, sensus erit, *Hoc* id est, hæc res est Corpus meum: quòd quidem si de pane dicatur, absurda erit propositio: non enim dici potest, *Hoc*, de re quæ cernitur, & cognoscitur in particulari, nisi etiam res illa sit neutrius generis; Nemo enim demonstrato Patre, rectè dixerit, Hoc est Pater meus. Et ratio est, quia pronomen *Hoc*, est quid vniuersale, quod nonnisi cum re vniuersaliter cognita poni debet.

Hæreticorum opiniones de pronominibus.

Nota 2. Controuersia est inter Catholicos, circa pronomen *Hoc*, quorum alij illud vsurpant adiectiuè, alij substantiuè; illi qui sumunt *Hoc* adiectiuè magis impugnant Hæreticos, quia tam secundùm rem, quàm secundùm significationem, & denominationem, præcisè significat corpus Christi Domini: Cæterùm probabiliùs est pronomen *Hoc* in hac propositione, sumi substantiuè, vt constabit ex conclusione prima.

Dico 1. In hac ratione *Hoc est Corpus meum*, pronomen *Hoc* substantiuè sumitur, & significat singulare Entis, quod tamen supponit tantùm pro corpore Christi Domini demonstrato, specificato, & expresso in fine orationis. Ita D. Subtilis *loco citato Conclusione 8. & sequentibus*. Vnde sensus huius propositionis. *Hoc est corpus meum*. *Hoc ens*, seu *hæc res*, *est corpus meum*. Sicut dicendo *Hoc* est lignum, sensus est, hoc ens, seu hæc res, est lignum. Ratio est quia per pronomen *Hoc*, quod est subiectum in hac propositione, significatur illud, quod statim demonstrandum, & exprimendum est per prædicatum, dicendo hoc quod supponebatur esse ens aliquod, esse corpus Christi Domini.

Quomodo sumitur pronomen Hoc an adiectiuè an substantiuè.

Dices 1. Ergo huius propositionis *Hoc est corpus meum*. sensus erit. *Corpus meum est Corpus meum*, quandoquidem pronomen *Hoc*, supponit pro corpore Christi Domini.

Pronomē hoc significat singulare Entis.

Respondet D. Subt. *loco citato num. 26.* licet pronomen *Hoc* supponat pro corpore Christi Domini, quia significat singulare Entis, quod supponere debet pro singulari alicuius inferioris contenti sub ente, quod non est aliud, quàm corpus Christi Domini, cùm ens in nullo singulari sit præterquàm in hoc, quod est corpus Christi Domini in eo vltimo instanti, pro quo prædictum pronomen facit demonstrationem: tamen falsum est prædictam propositionem efficere sensum allatum: tùm quia conceptus pronominis *Hoc* est dubius, & conceptus huius subiecti, *corpus meum* est certus, non est autem idem conceptus certus, & dubius: tùm quia conuertendo propositionem, alius est intellectus huius, *corpus meum est hoc*, id est, istud ens; & alius huius, *corpus meum*, *est Corpus meum*.

Dices 2. Cum Caietano 3.*p*.*q*.78.*a*.5. Si conclusio Scoti esset vera, sequeretur quòd pronomen Hoc, non magis designaret corpus Christi Domini, quàm species. Sed hoc dici non debet, Ergo. Sequela probatur quia Scotus asserit ens esse vniuocum respectu substantiæ & accidentis. Ergo pronomen *Hoc* non magis demonstrat accidens, & substantiam, si demonstrat singulare Entis. Ergo potius dicendum, quòd demonstret indiuiduum substantiæ.

Hoc determinat determinatè corpus.

Respondeo Licet ly *Hoc* non determinet corpus Christi Domini sub formali conceptu corporis, determinat tamen sub conceptu formali entis determinati, non communi; neq; sub disiunctione huius aut illius, sed simpliciter determinatè, vt docet D. Subt. *loco citato. concl*, 8. Sicut quando dico, *Hic currit*, non supponit proquocunq; indiuiduo entis, sed pro illo determinato, cui competit prædicatum: per ly ergo *Hoc*, in dicta propositione, denotatur corpus Christi Domini sub determinato conceptu entis: talia enim sunt subiecta, qualia permittuntur à prædicatis, & propterea ante prædicata, non habent suppositionem suam. Quare etiamsi pronomen *Hoc*, demonstraret indiuiduum substantiæ, vt vult Caiet; non tamen sequeretur, talem demonstrationem esse certam ante aduentum prædicati: dicendo enim *Hoc est*, addi posset vel panis, vel lapis, vel Angelus, vel quodlibet aliud indiuiduum substantiæ. Vnde per aduentum huius prædicati, *corpus meum*. significatur hoc ens in singulari, nihil aliud esse, quàm corpus Christi Domini. Præterea contra propositionem Caietani est, quod adiectiuum in neutro genere substantiuatum, includit in se suum substantiuum. Hinc

Collige Cùm profertur ly *Hoc* significat tantùm singulare entis in confusò, & cùm additur prædicatum, exprimitur, specificatur, & contrahitur istud singulare entis vniuersalis ad singulare inferioris, quod est ipsum corpus Christi Domini.

PETES 1. *Quid significent hæc verba, est, & corpus, in hac propositione?*

Nota. Hæretici volunt *est* sumi pro significat, & *Corpus* pro figura ita vt sit sensus, *Hoc est, Corpus meum*, id est, hoc significat corpus meum: vel hoc est corpus meum tropicè, figuratiuè, & Sacramen-

cramentaliter, sed isti errores refutabuntur sequenti Articulo.

Dico itaq; Hæc verba *est*, & *corpus*, simpliciter literaliter, verè & propriè accipienda sunt. Patet ex SS. literis, vbi nunquam *est*, sumitur pro significat, vel *corpus* metaphoricè, seu pro Ecclesia, nisi statim metaphora exprimatur. Tùm quia Christus Dominus, condens suum testamentum propriè, & manifestè loqui debuit. Tùm quia nobiliores, & expresiores extitisent figuræ corporis Christi Domini; si panis Eucharisticus esset tantum figura eiusdem corporis, vt patebit sequenti art. Est & corpus literaliter accipienda.

Collige Verbum *est*, debet semper vocaliter exprimi, Ita vt si non exprimatur, nulla sit consecratio: Nec refert, quòd in Syriaca, & in Græca lingua apud S. Lucam non habeatur, quia in illis linguis iuxta vim idiomatis, facilè subintelligitur, non sic in Latina.

PETES 2. *An sint omninò immutabilia verba consecrationis?*

Dico 1. Nulla etiam leuissima immutatio, fieri potest in verbis essentialibus, etiam mutatio vnius literæ, modò non prouoniat ex defectu linguæ. Hinc Nulla debet esse immutatio.

Collige 1. Latinus debet seruare consuetudinem Ecclesiæ suæ, sicut & Græcus morem suæ Ecclesiæ; & nihil addere, vel diminuere, vnde illi grauiter peccant, qui addunt verba aliqua quæ non habentur in Canone, vt si quis diceret *Hoc est Corpus meum, natum de Virgine*.

Collige 2. Si loco pronominis *Hoc* ponatur Hic aduerbium loci, nihil efficitur, quia non significatur conuersio. Item si loco *est*, ponatur *fiat*. Sensus enim esset, panis iste fiat corpus Christi. Sed per pronomen *Hoc* non significatur panis. Item Si omittatur particula *meum*; vel mutet, dicens *Hoc est Corpus Christi*, quia tunc non in persona Christi Domini, sed in propria persona, verba consecrationis proferret, cùm tamen debeat proferre in persona Christi Domini vt aliquid efficiat.

Collige 3. Si addatur aliqua particula non conueniens, V. G. si quis dicat. *Hoc est corpus meum, non natum de Virgine, vel conceptum in peccato*; quia particulæ istæ destruunt veritatem. Nulla additio facienda.

Collige 4. Controuersia est inter Scholasticos, an efficeretur aliquid ista formâ, *Hæc est caro mea*; alij affirmant, alij negant, & dato quòd affirmatiua sit vera, tamen nunquam eâ vtendum.

PETES 3. *An necessariò debeant sciri verba consecrationis essentialia?*

An necessariò sciri debent verba essentialia.

Nota. Multi DD. conqueruntur, quòd D. Subtilis *in 4. d. 8. q. 2. a. 2.* tantùm licentiam tribuat dubitandi de forma Sacramentorum, nec non etiam eas ignorandi. Sed hi qui hæc obiiciunt D. Subtili non aduerterunt, quòd aliud est verba consecrationis esse certa in se, & aliud dicere illa debere nobis esse certa, vt fit consecratio. Præterea non aduerterunt certitudinem fidei, successu temporis incrementa accipere, quoad maiorem explicationem, cùm igitur temporibus D. Subtilis maxima controuersia, circa illa verba subsequentia, an scilicet sint de essentia formæ consecrationis, nec ne? S. Thomas, Richardus noster, & multi alij, tenent esse de essentia consecrationis: alij verò negant. D. Subtilis *loco citato n. 9.* docet non debere aliquem propriæ fidere opinioni cum pertinacia, sed debere potiùs amplecti totam formam consecrationis præscriptam ab Ecclesia, & recitare verba, quæ sunt de essentia, tanquam de essentia, & quæ non sunt de essentia, tanquam non de essentia. Quare inquit D. Subt: si quis limitaret intentionem suam circa essentialia, non præeunte Ecclesiæ declaratione, exponeret se periculo nullitatis defectu intentionis, quia intentio determinatis verbis ligata, posset impedire essentialem sensum formæ.

Mens D. Subtilis exponitur.

Verba consecrationis sunt certa.

Dico 1. Consecrationis verba sunt certa in se. Ita Tridentinum *Sess. 13.* Et S. Aug. *lib. 2. contra Faustum*, inquit, Panis noster, & calix, non quilibet, sed certâ consecratione mysticus fit nobis.

Sunt certa nobis.

Dico 2. Verba consecrationis sunt etiam nunc nobis certa. Patet quia tantæ certitudinis est euidens argumentum, vnanimis consensus Doctorum, ita vt verba illa, *Hoc est corpus meum*, sint præcisè de essentia consecrationis corporis Christi Domini: & hæc *Hic est calix Sanguinis mei*, de essentia consecrationis calicis, & sic non est temeritatis, modò adhærere huic opinioni, fuisset autem temporibus D. Subtilis.

Dico 3. Incertus de verbis essentialibus formæ consecrationis, non

nis, non minùs consecrat, Sacerdos enim intendens facere, quod facit Ecclesia, & distinctè legens Canonem ab initio ad finem, verè consecrat.

ARTICVLVS V.

De reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi Domini in Eucharistia.

Nota 1. Multos circa hanc materiam grauiter errâsse. Primò Capharnaitas qui Christo Domino promittenti hoc Sacramentum credere noluerunt. Ioan. 6. *Quomodo potest hic Carnem suam dare nobis ad manducandum?* & infra. *Durus est hic sermo.* 2. Berengarius negat præsentiam corporis Christi Domini in Eucharistia, vnde Lindanus dialogo 2. Berengarium, vocat parentem Caluinistarum, sed antiquiores illi videntur habuisse parentes, nimirum Iudam, vt ait Sanctus Chrysostomus *Homil: 64.* & efficaciter colligit ex verbis Christi Domini, qui cùm sciret quòd multi non credidissent præsentiam Corporis Domini, quam prædicauerat, dixit: *sunt quidam ex vobis qui non credunt, sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum*: quæ coniunctio non obscurè indicat Iudam fuisse vnum ex non credentibus. Multi præterea Hæretici negabant præsentiam Corporis Domini in Eucharistia, nouissimè Caluinus lib. 4. institutionum cap. 12. num. 12. inquit: *Quemadmodum Christi Corpus cælo contineri, quo semel receptum est, donec ad iudicium redeat minimè ambigimus, ita sub hæc corruptibilia elementa retrahere ipsum prorsus nefas ducimus esse.* Ex quo dicto Caluini multa absurda, præsertim Beza in libro *Quæstionum, & responsionum de Sacram. q. 41. & 49.* contra veritatem Catholicam infert quæ breuiter intimabuntur, & refutabuntur.

Hæreticorum errores circa præsentiam.

Iudas Caluinistarum pater

QVÆRES PRIMO.

Vtrum corpus Christi Domini sub speciebus panis, & vini, realiter, substantialiter contineatur?

Dico In Sacramento Eucharistiæ, Corpus, & Sanguis Christi Domini, existunt verè realiter, & substantialiter. Est de fide.

Corpus Domini realiter est in Sacramento

Probatur 1. ex S. literis quæ ad quatuor capita reuocantur. Primum est institutio Christi Domini, Matthæi 26. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Marci 14. Luc 22. Ex quibus verbis sic argumentor, si verba Christi Domini prædicta nõ sunt figuratè accipienda. Ergo significant, & continent rem ipsam. Sed non sunt figuratè accipienda. Ergo. Minor probatur ex cæna agni pachalis præmissa, quá ostendit cessare figuram, & incipere rem ipsam, & inde Apostolus vocat Christum Dominum pascha nostrum. Ex quo sic argumentor; Figuram agni non poterat implere spiritualis manducatio quia etiam tempore agni typici, spiritualiter manducabatur Christus Dominus à patribus. Ergo debuit succedere realis manducatio, quæ impleret figuram agni. Item sicut occisio spiritualis, quâ Christus Dominus fuit occisus ab origine mundi, non impleuit figuram occisionis agni. Item Christus Dominus cum Apostolis sumpserat iam agnum, figuram corporis sui, quorsum debuit dare aliam figuram panem? cùm agnus multò expressiùs significaret Christum Dominum, quàm panis, & iam fide Apostoli manducauerunt Christum Dominum, quem agnus figurabat. Confirmatur 1. quia hæc verba Christi Domini, *Hoc est Corpus meum,* habent annexam visibilem actionem, ac præceptum, circa rem agendam. Ergo non sunt figuratiua, vt Caluinistæ volunt. Patet, nam quando Christus Dominus dixit; *Ego sum vitis*, figuratiuè dixit, vt colligitur ex consequentibus, *& vos palmites*; discipuli enim substantialiter non erant palmites; at si in manus partem aliquam vitis accepisset, & actionem arcanam magnâ quadam cæremoniâ instituisset super eam, & præterea iussisset vt idem faceremus, tunc non esset figuratiua locutio. Sed hæc hîc reperiuntur. Confirmatur 2. Institutio Sacramenti, non potuit institui, neq; debuit per verba tropica, nam si Sacramenta veteris legis, verbis propriis instituta fuerunt. Ergo multò magis hoc Sacramentum, quod ad finem mundi est duraturum. Confirmatur 3. summum aliquod dogma in Religione Christiana, semper propriis & literalibus verbis à Deo traditum fuit. Sed hoc dogma de Eucharistia est summum. Ergo propriis, non tropicis verbis traditum

1. Probatio ex institutione

Ex reali manducatione probatur.

Summa dogmata tradita perspicuis verbis.

ditum est. Quare sicut Manichæi peruersè verba illa, *Verbum Caro factum est*, detorquebant ad carnem quandam imaginariam; & Arriani ista, *Hic est Filius meus dilectus* ad filiationem quandam impropriam, vt Christus non substantialiter, sed nuncupatiuè tantùm esset Filius Dei; ita Caluinistæ detorquent hæc verba propria, *Hoc est corpus meum* ad tropos & figuras. Confirmatur 4. Testamenta propriis verbis conduntur: Sed Eucharistia est nouum testamentum. Ergo claris verbis debuit tradi, & institui.

Patet eadem veritas ex forma consecrationis Calicis, quæ habetur Luc. c. 22. Hic calix nouum testamentum est in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur. Vbi illud relatiuum qui, refertur ad calicē, vt patet ex Græco textu. Τȣ̃το τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη, ἐν τῷ αἵματί μȣ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Id est, *Hoc poculum nouum testamentum est, in meo Sanguine, quod pro vobis effundetur.* Vnde sic argumentor. In poculo illo quod Christus Dominus tradidit Apostolis bibendum, in Cœna Eucharistica, vel erat propriè, & verè vinum, vel verè & propriè Sanguis Domini: non potuit verè & propriè esse vinum, quia poculum vini, non est effusum pro salute nostra; at Christus Dominus loquitur de poculo, quod pro salute nostra effusum est. *Hoc* inquit *poculum est in meo Sanguine, vel mei Sanguinis, quod pro vobis effunditur, vel effundetur.* Ergo necessarium est in illo poculo fuisse verè & propriè Sanguinem Christi Domini. Beza Caluini discipulus videns vim huius argumenti cùm aliud non posset, maluit deprauare textum Sacræ scripturæ, quàm hæresim deserere, sic enim verba Christi Domini corrupit, coniungens ἐκχυνόμενον, non cum ποτήριον, sed cum verbo αἵματι, & sic sensus est iuxta ipsum Bezam. Impudentia Bezæ.

Hoc poculum nouū testamentū in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur, Fatetur ipse Beza in omnibus Græcis codicibus ita haberi, nimirū sic *Hoc est poculū in meo Sanguine, quod pro vobis effundetur:* & tamē omnibus refragantibus, loco *quod*, ponit *qui*, hæc est impudentia Hæreticorū vt propter defendēdos suos errores, scripturas peruertere nō vereātur.

Secundum caput S. Scripturæ pro Catholicis est promissio huius Sacramenti, Ioannis 6. *panis quem ego dabo, caro mea est pro*

2. Probatur ex reali promissione. mundi vita. Quem locum SS. Patres, & Scholastici intelligunt de vera & reali huius Sacramenti susceptione; nam cum litigarent Iudæi, & murmurauerint discipuli, de verbis Domini, eò quòd mirabile aliquid, & vix credibile in se continere viderentur, non solùm Christus Dominus verba non correxit, sed iterum dixit, *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis &c.* Sed si per manducationem

in loco citato loquitur de manducatione reali. intellexisset fidem, seu solam spiritualem manducationem, sine causa cum tantò auditorum scandalo rem tantam obscuritatibus inuoluisset cum vnico verbo facilè explicari potuisset. Præterea comparatio illa inter corpus Christi Domini, & manna, in hoc capite, non est ratione fidei in Christum, dicit enim panem à se dandum præstantiorem. At ratione perceptionis per fidem, manna æqualiter præstabat. Igitur comparatio sumitur ratione Sacramenti. Accedit quòd manducatio per fidem est omnium tempo-

Promissit donum ante non habitum. rum. Christus vero Dominus in hoc capite, in futuro promittit donum, antea non habitum. *Panis quem ego dabo caro mea est.* Supposito itaq; quod hoc loco loquatur de Eucharistia, vt intellexerunt Concilium Ephesinum, septima Synodus, & Tridentinum *Sess.* 13. *c.* 3. nec non SS. Patres quos prolixè refert Maldonatus in cap. 6. Ioannis, & Scholastici, præter Caietanum, & *alios* paucos.

Vnde ex hoc loco probatur præsentia corporis Christi Domi-

Clarè probatur præsentia realis. ni. Quòd est verè tale, non potest impropriè, & figuratè appellari tale. Sed Christus Dominus dicit, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ergo id non debet dici de carne impropriè, & figuratè, sed proprie & in se, aliâs incassum Christus Dominus dictum suum iuramento confirmâsset, *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem &c.* hoc enim voluit persuadere, quod dicebat. Atqui iuramenta non afferuntur ad metaphoras, quæ non intelliguntur, sed ad verba, vt propriè & simpliciter sonant, nimirum ne dubitetur de re etiamsi difficilis videatur; verba verò Christi Domini propriè carnem significant. Et ita Capharnaitæ, & discipuli quidam intellexerunt verba Christi Domini, de ipsissima vera ipsius carne. Atqui si illi errâssent, debuisset Christus Dominus,

in re

in re tanti momenti, aliquando monere, & scandalo illi, quod auditores acceperant occurrere, id autē nuspiam fecit, imò potiùs passus est, vt ab illo retrocederent, quàm vt id, quod dixerat retractaret; vel spirituale, vel per rationem signi, & figuræ, vel per fidem declararet, prout Hæretici faciunt. Confirmatur, dicit Christus Dominus panem hunc esse, qui de cælo descendit, præstantiorem vero Manna Iudaico, quòd si figuratè tantùm esset ibi Corpus Christi Domini, longè nobilius esset manna; nam manna, Corpus Christi Domini significabat, & multas prærogatiuas alias habebat, quas simplex panis triticeus non habet.

Si non esset corpus Domini verum in Eucharistia præstantius esset manna

Tertium caput scripturarum pro Catholicis est ex vsu 1. ad Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Calix cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini est.* Vbi S. Paulus dicit communicare nos corpori, & Sanguini Christi in Eucharistia. Sed id non est intelligendum figuratè. Ergo propriè, quia sensus literalis semper eligi debet, nisi contrarium euidenter probetur: & sic exposuerunt S. Chrysost: *in hunc locum.* S. Cyril. *lib.* 10. *in Ioan. cap.* 13. Et indicat S. Paulus cùm dicit, *Qui manducat indignè, reus erit corporis &c.* 1. *ad Corinth.* 11. Adhæc si in hoc Sacramento est sola figura, non esset necessaria quotidie noua consecratio ad rationem Sacramenti, sed sufficeret institutio prima Sacramenti, sicut ad aquam in Baptismo, non exigitur necessariò consecratio, sed sufficit prima Christi Domini institutio. Atqui S. Paulus dicit, *Calicem cui benedicimus &c.* quod de consecratione accipiendum esse, nullum est etiam apud aduersarios dubium, cùm etiam illi dicant se consecrare. Ergo est ibi verum corpus.

Tertio probatur ex vsu.

Authoritas S. Pauli.

Dices Per consecrationem illam hoc duntaxat efficitur, vt commune vinum, fit Sanguinis signum. Respondeo vel fieret per consecrationem signum, quia habet naturalem analogiam ad talem significationem, vel Sacramentum est signum ad placitum. Si primum tunc non indiget consecratione, quia rationem signi habet à natura; Si secundum, nec tunc eget, quia ad rationem signi ad placitum, sufficit prima institutio.

4. Probatur ex figuris. Quartum caput probationis sumitur ex figuris: Figuræ debent esse inferiores rebus figuratis. Atqui figuræ Eucharistiæ Sacramenti, vel sunt excellentiores, vel non inferiores simplici, & naturali pane, significante corpus Domini. Ergo Eucharistia non est simplex, & naturalis panis, significans corpus Christi Domini, sed est ipsum corpus Christi Domini. Maior probatur ad *Colos.* 2. *ad hebr.* 10. vbi comparat S. Paulus figuras vmbris, impletionem verò, seu rem figuratam corpori, & rem figuratam, veritatem appellat, & illam dicit esse imaginem veram, ita vt figura sit solùm imaginis vmbra: Sicut quando aliquis ambulat in Sole. Ratione etiam eadem Maior probatur, quia figura significat veritatem, ac per eam impletur, ac perficitur.

Figuræ vmbræ.

Agnus Paschalis esset nobilior. Minor Probatur Agnus Paschalis præstantior est, tùm physicè, agnus enim præstantior est pane: tùm Symbolicè in significatione, quia caro, & mors Christi, meliùs carne, ac morte agni illius, quàm pane significatur. Item mansuetudo innocentia Christi, commodiùs significantur agno illo anniculo sine macula, quã pane. Item effectus Sacramenti, nimirum spiritualis nutritio, meliùs repræsentatur esu carnis, quàm panis, meliùs enim nutrit caro, quàm panis, iuxta illud vulgare dictum, *non est cibus, nisi caro.* Quòd autem agnus Paschalis fuerit figura Eucharistiæ, communiter docent SS. PP. quos citat Bellarm. *lib.* 1. *de Eucharist. c.* 3. & ex ipsismet Euangelistis colligitur *Matth.* 26. *Lucæ* 22. apud quos legitur post esum agni Paschalis institutam esse Eucharistiam, nimirum vt figura & vmbra præcederet, res autem succederet, quæ illâ figurâ figurabatur.

Manna similiter. Secunda figura fuit manna in deserto, *Exodi* 16. quod sine dubio præstantius multò fuit, quam esset Eucharistia, si in illa non contineretur corpus Christi Domini, sed simplex panis, vt volunt Caluinistæ.

Sanguis animalium Tertia figura fuit Sanguis ille animalium. *Exod.* 24. & *ad hebr.* 9. quo testamentum sancitum est, quæ figura in institutione Eucharistiæ impleta est, vt patet ex *cap.* 26. *Matth.* & *Lucæ* 22. vbi dicitur. *Hic est Sanguis meus noui testamenti.* Sed Sanguis ille fuit nobilior, &

stior, & meliùs repræsentabat Sanguinem, & passionem Christi Domini, quàm simplex vinum. Ergo.

Quarta figura panes propositionis 1. *Reg.* 21. Panis & vinum Melchisedech *Genes.* 14. Panis exhibitus Heliæ ab Angelo. 3. *Reg.* 19. Sed Panis Eucharisticus, si non contineret corpus Christi Domini, non esset nobilior suis figuris, sed par illis, vel inferior. Ergo.

Panes varij.

Dices In veteribus figuris, eadem res fuit contenta, quæ est in Sacramentis nouæ legis, iuxta illud Apostoli. 1. *ad Corinth.* 10. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt.* Ergo.

Respondeo Non dicit Apostolus, quòd eandem nobiscum, sed quòd omnes illi eandem inter se: nec dicit escam illam fuisse corpus vel Sanguinem Domini, sed vocat escam spiritualem illud manna, ob significationem typicam: neque dicit Christum fuisse potum, qui ab illis bibebatur, sed dicit fuisse petram spiritualem, vnde illa aqua fluebat, id est merita Christi Domini.

Patres antiqui quomodo biberunt eandem escam.

Obiiciunt 1. Caluinistæ, Eucharistia appellatur panis in multis locis S. Scripturæ. Ergo non est verè corpus Christi Domini. Respondeo nego consequentiam: non enim appellatur panis propriè, & substantialiter. Sed similitudinariè; tantùm, & Metaphoricè Eucharistia igitur panis dicitur: tùm quia fit ex pane; tùm quia species panis habet; tùm quia est panis quidam mysticus; tùm quia idem præstat in anima, quod panis materialis in corpore. Ergo denominatio panis, non sufficit ad negandam veritatem corporis Christi Domini in Eucharistia.

Cur Eucharistia panis dicitur.

Obiiciunt 2. In his verbis, *Hoc est corpus meum*, verbum *est*, accipitur pro significat, sicut & in his locis. *Semen est verbum Dei. Ioannes est Elias. septem spicæ septem anni sunt*, & alibi frequenter. Confirmatur quia Hebræi verbo *est*, semper vtuntur pro verbo significat.

Respondeo Verbum *est*, potest accipi pro significat, vbi tropus est manifestus, tamen falsum est, verbum istud *est* semper vsurpari pro significat, imò in dogmatibus Religionis retinet semper propriam significationem, vt in hoc loco, *Hic est filius meus dilectus.* vbi an-

Verbum est non semper sumitur pro significat.

vbi antiqui Hæretici deprauabant idem verbum, *est*, ne Diuinitatem Christi Domini agnoscerent. Igitur in proposito, vbi nulla ratio est admittendi tropicam locutionem, verbum *est*, retinere debet propriam significationem: nam si tantùm significatiuè deberet vsurpari, longè veriùs Christus Dominus dicere potuisset de Agno Paschali, *Hoc est corpus meum*, & de Baptismo, *Hic est Sanguis meus*, vel mors, aut sepultura mea; & de eodem Sacramento; *Hoc est Ecclesia mea*; nam Agnus Paschalis, Christi Domini corpus significabat, Baptismus Christi Sanguinem, mortem, & sepulturam repræsentat, & hoc idem Sacramentum etiam totam Ecclesiam significat.

Non est tantùm commemoratiuè in Eucharistia.

Obiiciunt 3. Corpus Christi Domini in Eucharistia est commemoratiuè tantùm. Ergo non realiter. Antecedens patet ex his verbis, *Hæc quotiescunq; feceritis in mei memoriam facietis*. Consequentia probatur, quia memoria rei, non est res ipsa. Respondeo nego Antecedens, & ad verba citata dico, ea esse intelligenda, non quidem de memoria ipsius Christi Domini, sed de memoria passionis eius, prout testatur Sanctus Paulus: *Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Christus Dominus autem ipse, potest esse memoria passionis suæ, præsertim vt existit in hoc Sacramento.

Obiiciunt 4. Post consecrationem calicis Christus Dominus dixit, *Non bibam a modò de hoc genimine vitis, &c.* Ergo erat adhuc genimen vitis. Ergo non Sanguis Christi Domini realiter. Respondent aliqui hæc verba, esse intelligenda de alio quodam calice, qui solebat diuidi in manducatione agni Paschalis, non de calice Sanguinis Domini. Respondeo 2. quòd etiamsi intelligerentur de calice Sanguinis Domini; eo modo generatio vitis diceretur de Sanguine, quomodo panis dicitur de Corpore, scilicet similitudinariè, & Metaphoricè.

Explicantur verba de genimine vitis.

Obiiciunt 5. Illud acceperunt Apostoli, quod comederunt, sed acceperunt panem, quia Christus Dominus accepit in manus panem, quem fregit & benedixit. Ergo Apostoli comederunt panem. Respondeo Ad minorem, licet priùs Christus Dominus accepisset panem, benedixisset, & fregisset, tamen panem acce-

ptum

ptum dando conuertit in suum corpus, ideoq; in ipsa datione, non remansit illud idem, quod Christus Dominus acceperat, sed effecit ante comestionem Apostolorum, panem corpus suum. Panem acceptum conuertit in corpus.

Obiiciunt 6. In istis verbis, *Hic calix nouũ testamentũ est, in meo Sanguine*, tropus necessariò admittẽdus est; neq; enim propriè Christi Dñi Sanguis est testamentũ, esset enim charta & atramentũ, vel quidpiã tale. Deinde per hanc particulã *Hic calix*; non posse intelligi propriũ Sanguinẽ Christi, quia esset sensus. *Hic Sanguis est nouum testamentum in Sanguine meo*, qui sensus esset ridiculus. Ergo in illis quoq; *Hoc est corpus meũ*, est admittenda tropica locutio; & sic non verum corpus, sed tantũ corpus Sacramentale, seu figuratiuum.

Respondeo Nego Antecedens, nam Sanguis Christi Domini est verè testamentum, testamentum enim nihil aliud est, quàm authenticum instrumentum voluntatis vltimæ alicuius, Sanguis autem Christi est authenticum instrumentum voluntatis vltimæ Christi, quã decreuit nobis dare gratiam, & gloriam æternam. Deinde quia conditio omnis pacti, & fœderis, habet rationem pacti, Sanguis autem Christi est conditio fœderis, quod quidem Christus percussit nobiscum; quò fit vt propriè rationem pacti, fœderis, seu testamenti induat. Quare potiùs hæretici ridendi, existimantes quodlibet testamentum, constare debere chartã, & atramento. Sensus itaq; illorum verborum est. *Hic calix nouum testamentum est in meo Sanguine*. id est, Sanguis meus est nouum testamentum, siquidem testamentum illud ratum habeo, in Sanguine meo, eàdem ratione, quã vetus testamentum confirmatum, & dedicatum est in Sanguine. Quare SS. Matthæus, & Marcus, ita referunt, *Hic est calix Sanguinis mei, noui testamenti*. in quibus nullus tropus inuenitur. Ergo neq; in illis S. Lucæ & S. Pauli vllus est tropus: nam sicut propriè dicimus, *hæc est vini amphora*, ita *hic est calix Sanguinis*. Instant hæretici, Si Sanguis esset testamentum, deberet Christus semper mori, non enim valet testamentum, nisi confirmetur morte testatoris. Respondeo negando requiri mortem testatoris ad repetendum testamentum, sed ad sanciendum, & confirmandum: nam celebratio Eucharistiæ, quæ quotidie fit, non est noua

Sensus horum verborum. Hic calix nouum &c.

Non requiritur mors testatoris ad repetendum testamentum.

est noua institutio Sacramenti, sed eiusdem repetitio. Sicut vnum idemq́ testamentum ciuile, quod in charta scriptum est, potest sæpè describi, sine vlla mutatione sui; Sic Eucharistia potest sæpè repeti, non tamen ideò testamentum mutatur.

Obiectio hæc est contra hæreticos.

Obiiciunt 7. *Caro non prodest quidquam, Spiritus est qui viuificat; verba quæ locutus sum vobis; spiritus, & vita sunt. Ioan. 6.* Ergo caro Christi Domini nec est, nec sumitur in Sacramento.

Respondeo Hæreticos hunc locum non ad propositum citare, quia ibi nolunt vllam mentionem fieri de Eucharistia: Quia tamen nos Catholici volumus mentionem ibi fieri de Eucharistia. Respondemus 1. Non dicit Dominus. *Caro mea non prodest quidquam.* caro inquam illa cuius solo attactu, leprosi sunt mundati, surdi auditu redintegrati, muti loquelæ compotes effecti, mortui resuscitati. Deinde quo fundamento dixisset. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* An non prodest quòd homini vitam confert, & quidem æternam? Rursus, si non prodest caro Christi Domini quidquam, cur de ea protestetur, *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo*; An non prodest quòd hominem Christo Domino vniat?

Stolidum argumentum Caluinisticū.

Sed dato, & non concesso, quòd caro non prosit quidquam, stolidum est argumentum Caluinistarum, à non prodesse, ad non esse. *Non prodest. Ergo non est?* Fructus vetitus, primis parentibus nō profuit: Ergo non fuit? Sol talpæ non prodest. Ergo non est? venenum homini non prodest quidquam, Ergo non est? En quam stolidus argumentandi modus. Dico itaq; verba illa caro non *prodest quidquam*, non intelligi de carne Christi Domini, quæ virtute Diuinitatis, tantùm nobis profuit ad salutem, sed de carnali sensu, & intelligentia, ita vt nimirum ad hoc Sacramentum intelligendū, sit opus fide, & non carnali intelligentia, vt exponit. *S. Chrysost. homil. 85. in Ioannem, Spiritus* id est, spiritualis verborum intelligentia, *est, qui viuificat, caro,* id est carnalis verborum meorum explicatio, *non prodest quidquam*. Quasi Christus Dominus dixerit, Vos Capharnaitæ inter vos murmuratis, *Quomodo potest hic suam carnem dare nobis ad manducandum?* quia tanquam homines carnales, omnia car-

Caro non prodest quidpiam explicatur.

nàliter

naliter intelligitis; putabatis me carnem meam vobis ad vorandú, instar lanionis in macello porrectúrum, sed erratis. Dabo carnem meam, verè quidem, & realiter, & substantialiter, ac spirituali quodam, ac Diuino modo, ab omnipotentia Diuina promanante: Et sic illa verba citata. *Verba quæ ego locutus sum, vobis Spiritus & vita sunt intelliguntur*, id est, causant Spiritum, & vitam mortuis illis elementis, quæ virtute eorum conuertuntur in corpus & Sanguinem viuificum. Vel *Spiritus, & vita sunt*, non cruento, aut humano modo sumenda, sed altiori, Diuiniori, & magis spirituali. Si ergo verba Saluatoris rectè intelligantur, non hæresim Caluinianam, sed Catholicorum doctrinam confirmant. Sicut si Angelus hîc præsens realiter, & præsentialiter adesset, non præsentia carnali, sed spirituali, quia neq; visu, neque auditu, neque aliquo corporis sensu perciperetur; ita corpus Christi Domini in Eucharistia, est verè realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia, sed spiritualiter, quia non est ibi visibiliter, tangibiliter, passibiliter, sicut olim fuit inter manus Iudæorum. A simili

Obiiciunt 8. Corpus Christi Domini fuit conforme corpori nostro, *Oportuit enim illum per omnia fratribus assimilari, ad hebr. 2.* excepto peccato. Sed corpus nostrum eodem momento non potest esse in pluribus locis. Ergo nec corpus Domini.

Inepta argumentatio Caluinistica.

Respondeo. Tali inepta argumentatione, euerti possent omnes nostræ fidei articuli, V. G. Filius Dei assumpsit corpus, simile meo. Sed meum de virgine nasci non potuit. Ergo nec ipsius corpus nasci de Virgine potuit, Filius Dei assumpsit corpus simile meo. Sed corpus meum ambulare super aquas non potuit, neq; tertia die resurgere, neq; ascendere in cælum, Ergo neq; ipsius; cùm tamen fides oppositum doceat. Quare falsitas Minoris propositionis se prodit: falsum enim est quòd hominis corpus non possit esse virtute Diuina in pluribus locis, vt ostendam infra *Quæsito* 4. falsum præterea quòd hominis corpus non posit virtute Diuiná ambulare super aquas, cum S. Petrus ambulauerit *Matth.* 14. S. Maurus, S. Bernardinus, & alij multi Sancti miraculosè ambulârunt super aquas. Item omnia corpora surgent à morte &c. Corpus itaq;

pus itaq; Christi Domini in cælo, non est sic arrestatum ad dexteram Patris, vt non posit esse alibi, & de facto in Actis Apostolorum *cap*. 9. apparuit S. Paulo: Et S. Petro viâ Appiâ vbi hodie sacellum visitur, eo loco, vbi Dominus Petro occurrit, quod sacellum vulgo appellatur, *Domine quo vadis*, vt testis est Egesippus, Origenes, & S. Athanasius. Ergo Christus Dominus simul fuit in terra, Patris thronum ac dextram minimè deserendo. Ex quo modo Caluinistæ dementantur, spectantes in Christo Domino naturæ fragilitatem, nunquam autem omnipotentiam Diuinæ illius maiestatis, quæ vniuersam mundi machinam, concludere posset in foramine acus.

In pluribus locis potest esse vnum corpus.

Secundò principaliter probatur ex Conciliis generalibus, in quibus hæc veritas est definita, in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14. Vbi posteaquam dictum fuisset, per oblationem mysticam nos participes fieri Sacræ carnis, & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi. Subditur. *Nec enim illam vt carnem communem suscipimus, absit hoc: neq; item vt carnem hominis sanctificati, sed tanquam verè viuificam, ipsiusq; Verbi propriam.*

Ex Conciliis probatur.

Septima synodus *tom*. 7. *act*. 6. condemnat hæreticos in eo, quòd assererent Eucharistiam, solùm esse imaginem, seu figuram Christi Domini, quam opinionem abominandam, & extremam dementiam esse dicit, & traditioni Apostolorum, & omnium Patrum, & veritati, & proprietati verborum Christi Domini contrariam. Concilium Vercellense sub Leone Nono, Berengarii errorem damnauit.

Idem fecit Concilium Turonense sub Victore II. Concilium Rhemense sub Nicolao I. in quo Berengarius suam Hæresim abiurauit, vt refertur *cap*. *Ego Berengarius, de Consecratione dist*. 2. *&* in 2. *tom*. *Conciliorum*. Concil. Roman. sub Gregorio II. in quo Berengarius iterum errorem suum detestatus est, & Catholicus dicitur mortuus. Lege Sabellicum *AEneade* 9. *lib*. 3. Concil: Constantiense *Sect*. 8. *&* 15, damnauit oppositum errorem, Ioannis Hus, & Vicleph. Eodem modo Lateranense sub Innocentio III. vt habetur *cap*. 3. *de summa Trinitate*. Et alia Concilia, & decreta Pontificum, vt habetur

vt habetur *de Conſecratione diſt. 2. Et in Decretalibus titulo de cuſtodienda Euchariſtia, & de celebratione Miſſarum.* Nouiſsimè SacroSanct: Concilium Tridentinum ſaluberrimo decreto, Catholicæ Eccleſiæ veritatem pariter conſtabiliuit, & eam impugnantes hæreſiarchas, vnico velut ictu ac fulmine percuſsit, & exterminauit. *Seſsione 13. cap. 1.*

Sancta Synodus, inquit, profitetur, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum, atq; hominem, verè realiter, & ſubſtantialiter, ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Quæ verba omnia & ſingula, tot myſteriis abundant, vt ſi diligenter examinentur, in ſingulis ſingulæ pariter hæreſes damnentur. Cùm enim ait, *Sancta Synodus.* vt verè Sancta erat, & in Spiritu Sancto congregata, temeraria, contra eam, impietate proteſtantium præſumptio, atq; proteruia notatur, qui cùm ſæpiùs ad Concilium prouocâſsent, eo legitimè indicto, & conceſso omnibus, ad eundum, & abeundum, ſaluo conductu, perditæ cauſæ diffidentes, comparere noluerunt, & vt trepidationi ſuæ fucum oblinirent, probroſo conciliabuli, nomine exhonorârunt. Cùm dicit: *Poſt conſecrationem panis, & vini, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum atq; hominem, verè realiter atq; ſubſtantialiter in Sacramento contineri,* impugnat & condemnat, hæreſim vbiquitiſtarum, qui ſtolidiſsimè fingunt, Chriſtum, etiam quatenùs hominem in omni loco, ac proinde, in pane & vino cænatorio præſentem eſſe. Cùm determinat *vi conſecrationis,* Chriſti corpus in Sacramento adeſſe, Caluiniſtarum peſtilens error, Chriſti præſentiam, eius promiſsioni, non conſecrationis verbis, attribuentium, labefactatur. Dum Chriſtum vocat *Deum verum atq; hominem,* execrandam Arrii, negantis Chriſtum eſſe verum Deum, Patri conſubſtantialem, hæreſim condemnat. Cùm ſubiicit *verum eſſe hominem,* Manichæorum, Chriſti corpus phantaſticum eſſe affirmantium errorem turpiſsimum, peſſundat. Dum aſserit Chriſtum, *ſub ſpeciebus rerum ſenſibilium* contineri; Lutheri falſam opinionem, contra concomitantiam Sanguinis ſub ſpecie panis, & carnis ſub ſpecie vini, eliminat, & extirpat. Dum aſſerit, Chriſtum ibi *Verè* contineri, Sacramentarios aientes, in hoc Sacra-

Concilii Trident. authoritas adducitur

Omnes hæreſes hoc decreto confutat vbiquitiſtas.

Caluiniſtas.

Arianos.

Manichæos.

Lutheranos.

Sacramentarios.

Sacramento, Christum duntaxat per typũ, & figuram adesse, profligat, dum addit, *realiter*, eorum errorem, qui tantùm modò præsentiam carnis Christi intentionalem, prout fide apprehenditur locum habere volunt, erroris condemnat. *Addens deniq; sub vtraq; specie, substantialiter contineri.* Errorem quorundam Caluinistarum, credentium, corpus Christi substantialiter, solùm in cælo contineri, in cæna autem, nonnisi per qualitatem quandam, & virtutem, quæ ab eius substantia deriuetur, luculentissimè confutat. Hæc omnia sacrum illud Concilium, vt Christi verbis. *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*, authoritatem suam sartam, tectamque conseruet.

Zwinglianos.

Ex SS. Patribus probatur qui figuram excludunt

Tertiò principaliter probatur ex SS. Patribus, Primò ex iis, qui excludunt expressè figuram. S. Damasc: lib. 4. cap. 14. inquit. *Non est figura panis & vinum; absit enim hoc, sed est ipsummet corpus.* Theophylactus in caput. 26. Matth. dicit. *Hoc est corpus meum, hoc quod sumitis, non enim figura tantùm, & exemplar est corporis Dominici panis, sed in illud conuertitur.* S. Ambrosius lib. 6. de Sacramentis. c. 1, *Sicut verus est Dei filius Dominus noster IESVS Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris, ita vera caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, & Sanguis, quem potamus.* Secundò probatur ex iis Patribus qui dicunt hîc interuenire magnum quoddam miraculum, nimirum quòd Christus Dominus existens in cælo, simul reperiatur in Eucharistia: S. Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Eph. inquit, *Helias ascendens pallium discipulo dimisit, filius autem Dei ascendens, nobis suam carnem dimisit, sed Helias quidem exutus; Christus autem nobis suam carnem reliquit, & ipsam habens ascendit.* 3. Ex iis, qui dicunt in quibus locis Eucharistia existit, & à quibus rebus aliquo modo, aut aliquo sensu attingitur, in iisdem existere, & ab iisdem rebus attingi corpus Christi Domini, ratione videlicet Eucharistiæ, quod non rectè diceretur, nisi re ipsâ existeret in Eucharistia. S. Chrysostomus: Homil 83. in Matth. inquit, *os igne spirituali impleri, & linguam admirabili Sanguine cruentari.* S. Cyprian. sermone de lapsis ait. *Iacere Corpus Domini in arca, contrectari manibus, concludi visceribus.* 4. ex iis SS. PP, qui dicunt Christum Dominum

nobis.

nobis in hoc Sacramento vniri, non solâ fide, sed re ipsâ nec per voluntatum concordiam, sed per corporum contactum. Ita S. Cyrillus Alexan: lib. 10. in Ioan. c. 13. dicens, *Non habitudine solùm, quæ per charitatem esse intelligitur, verùm etiam participatione naturali, Christus in nobis est.* S. Chrysost: homil. 60. ad popul. Antioch. ait. *Semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & ipsa re, nos suum efficit corpus.* Et ad exprimendam hanc vnionem realem S. Dyonisius *de cœlesti Hierarchia* vtitur comparatione ferri candentis. 5. Ex iis qui reddunt rationem, cur hic voluerit Christus Dominus adesse sub aliena specie videlicet, ne horrori esset sumentibus, quæ ratio locum non haberet, si Christus Dominus verè & substantialiter non sumeretur hîc ore corporis. Ita S. Ambros. *lib. 4. de Sacramen. c. 4.* inquit *vt nullus horror cruoris sit, & pretium tamen sit redemptionis.*

Cur voluit esse sub aliena specie.

6. Ex iis qui dicunt non esse hic credendum sensibus, sed verbis Christi Domini, proponuntque articulum hunc, tanquam creditu difficillimum, & ideò Christi omnipotentiam, & authoritatem exagerant, & magnam fidem requirunt, quæ omnia sunt vana, si panem tantùm significantem corpus Christi Domini comederemus. Ita S. Chrysost. *homil. 83. in Matth.* inquit. *Credamus vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit; superet & sensum, & rationem nostram sermo quæso ipsius; nam verbis eius fraudari non possumus; sensus verò noster, deceptu facillimus est, quoniam ipse dixit. Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus.* S. Cyrillus Hierosolymitanus *Cathechesi 4. Mystagogica* inquit. *Ne ergo consideres, tanquam panem nudum, & vinum nudum, corpus enim est, & Sanguis Christi, secundùm Domini verba, quamuis enim sensus tibi hoc non suggerat tamen fides te confirmet; ne ex gustu rem iudices, quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita vt nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & Sanguinem.*

Non sensibus credendum.

S. Chrysost.

S. Cyrillus.

7. Ex iis qui docent corpus Christi Domini aliter à malis, & aliter à bonis sumi in Eucharistia: à malis Sacramentaliter quidem, ore, & corpore, sed non spiritu & mente, quod dici nequit in sententia Caluinistarum, qui volunt corpus Christi Domini nunquam corporaliter, & ore, sed solum fide & spiritu sumi à iustis

Corpus Domini sumitur corporaliter, & spiritualiter.

à iustis, participatione scilicet gratiæ, & vnionis spiritualis cum corpore Christi Domini, Cùm tamen S. August. tract. 27. in Ioan: contrarium doceat, dicens, *Carnem Christi & Sanguinem Christi, non edamus; & bibamus tantùm in Sacramento, quod & faciunt multi mali, sed vsq; ad spiritus participationem manducemus; & bibamus.* 8. Ex iis qui ex hoc mysterio, alia nostræ religionis mysteria cònfirmant. Ita Irenæus *lib. 4. contra Valentinianos cap: 24.* probat Christum Dominum esse verum Deum, quia potuit conuertere panem in corpus suum. S. Chrysost. *homil. 83. in Matthæum*, ex eodem confutat eos, qui veram Christi Domini carnem negant. S. Andreas Apostolus, ex hoc sacrificio confutat Sacrificia gentilium, vt habetur in vita illius. *Ego omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie immolo in altari, cuius carnem posteaquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus.* Deniq; SS. PP. variis epithetis Eucharistiam ornant, appellando eam *terribile mysterium*, ita Concil. Calcedonense, *act. 3. horrendum mysterium*, vt S. Chrysostom. *homil. 5. de Sacerdotio.* S. Cyprianus de cæna Domini, *inconsumptibilem cibum : Sacrum conuiuium; Sanctum & incorruptibilem cibum.* Quæ nisi Christus Dominus in ea præsens esset, nequaquam ei adaptari possint. Plures authoritates SS. PP. qui vult habere, videat Bellarminum. *lib. 2. de Eucharistia.*.

Hoc mysterio alia mysteria fidei confirmátur,

Epitheta Eucharistiæ:

Obiiciunt 1. Hæretici SS. PP. vocant Eucharistiam signum, figuram, & Symbolum. Ergo negant præsentiam realem corporis Christi Domini in Eucharistia.

Respondeo Aliud esse signum corporis, & aliud esse signum corporis absentis: sicut ad Hebr. 1. dicitur Christus Dominus, *figura substantiæ Patris.* neq; tamen licet inferre substantiam Diuinitatis in Christo Domino non esse. Item ad Colossen. 1. dicitur *imago Dei*, hoc tamen non impedit, quin sit Deus substantialiter. Et ad Philip. 2. dicitur, *habitu, & similitudine homo*, cùm tamen reuera sit homo. Sicut igitur Marcion, & Appollinaris ex hoc loco negabant veram Christi Domini carnem, ita Caluinistæ ex quibusdam testimoniis, in quibus dicunt Patres Eucharistiam esse signum, vel figuram corporis, Christi Domini, negant realem eius præsentiam in hoc

Eucharistia est signum corporis præsentis.

in hoc Sacramento: Sed immeritò: nam sicut Christus est figura & veritas substantiæ Patris, ita Eucharistia est figura, & veritas corporis Christi Domini: quia res antiquæ legis erant figura, sine veritate, res verò nouæ legis, sunt figura & veritas. Hinc ad illud S. August. *contra Adimantum cap.* 12, dicentis, *Non dubitauit Christus dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui*: patet solutio. Nam Symbola externa vocat signum. & tamen ratione rei contentæ, dicit illud etiam esse corpus Christi Domini. Et sic eodem modo soluentur omnia testimonia Patrum, in quibus Eucharistia vocatur Sacramentum, signum, figura, imago, &c. hæc enim nec tollunt veritatem, nec indicant absentiam, vt patet ex testimoniis allatis. Dicitur ergo figura, vel signum, tùm ratione symbolorum externorum, tùm ratione gratiæ inuisibilis, quam Christi Domini corpus etiam secundùm veritatem significat, & efficit.

Eucharistia est figura & veritas corporis.

Cur dicitur figura.

Obiiciunt 2. Patres diminuunt de veritate præsentiæ, & sumptionis corporis Christi Domini in Sacramento, dicentes, modo Sacramentali, & extraordinariò esse, & sumi in Eucharistia. sicut S. August. in psalm. 98. inquit. *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendo spiritualiter intellectum viuificabit vos.* Ergo realiter non est præsens corpus Christi Domini.

Respondeo quando Patres aliquid minuere videntur de præsentia Sacramentali, de modo præsentiæ loquuntur Sacramentali & extraordinario: nam sæpè etiam in Scriptura negari videtur aliquid de substantia rei, quod tamen tantùm de modo negatur, vt 1. ad Corinth. 15, *Non quod futurum est seminatur.* id est, hoc corpus quod seminatur, non erit illud quod futurum est in Resurrectione; nihilominùs negari non potest, quin sit idem corpus quoad substantiam, & non quoad modum, & qualitatem. Et sic S. August. authoritas intelligenda, ibi enim non negat substantiam rei, sed tantùm modum visibilem, & carnalem; quod expressè *libro 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 9. docet. Mediatorem Dei, & hominum Christum Iesum carnem suam nobis manducandam, bibendumq;*

SS Patres non negant præsentiam sed modum.

S. August. negat modum visibilem & carnalem.

bendumq́ Sanguinem dantem, fideli corde, atq́ ore suscipimus, quamuis horribiliùs videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum Sanguinem potare, quàm fundere.

Obiiciunt 3. Sæpè Patres dicunt, corpus Christi Domini spiritualiter per fidem oportere manducare: vt S. August. tractat. 25. in Ioan. inquit. *Vt quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducasti.* Ergo S. Patres negant realem manducationem, & præsentiam, sed spiritualem.

Respondeo non negare Patres realem manducationem, sed spiritualem addunt: Et sic Sanctus Augustinus intelligi debet, & seipsum ibidem explicat, dicens, *Fideli corde, atq́ ore Christi corpus à nobis suscipi.* Vnde & S. Chrysost. supra citatus dicit, non fide tantùm, sed re ipsa.

Cur obscurè Patres loquuntur,

Obiiciunt 4. Patres obscurè loquuntur de hoc Mysterio. Ergo &c. Respondeo, concedo quod obscurè. quia nondum controuersia erat exorta circa hanc materiam: tùm quia de hoc mysterio sobriè, & modestè loqui tenebantur, ne vel coram catechumenis vel coram infidelibus, tanta mysteria propalarent.

4. Probatur variis rationibus Ex adoratione.

Quarto principaliter probatur variis rationibus. Primò ex cultu, & adoratione latriæ Eucharistiæ: quia S. August. in illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius,* dicit prouidentiam Diuinam adinuenisse sapienter, quomodo adorari possit scabellum pedum eius, quod est terra, quia inquit *caro Christi ex terra est, & nemo eam manducat, nisi priùs adoret, & ita debemus eam adorare, vt peccemus non manducat, nisi priùs adoret, & ita debemus eam adorare, vt peccemus non adorando, tantùm abest vt peccemus adorando.* Vnde S. Chrysost. homil. 24. in 1. ad Corinth. comparat fideles cum magis, qui Christum Dominum adorârunt in præsepio. *Hoc corpus inquit in præsepe, reueriti sunt magi, & barbari longo itinere confecto, cum timore, & tremore plurimo adorauerunt, imitemur saltem barbaros, illi in præsepe, tu verò non in præsepe, sed in altari &c.* quòd si Christus Dominus non esset in Eucharistia, adoratio ista non esset licita.

Ex precibus.

Secundò Ex precibus directis ad Christum Dominum, vt existentem in Sacramento, vt patet ex praxi Ecclesiæ, quæ vtitur illa oratione, *Domine non sum dignus vt intres. &c.* videatur S. Dionysius de

stus de Ecclesi: hierarch. in theoria Synaxios. S. Gregor. Nazianz. *in oratione in obitu Gorgoniæ.* vbi refert cultum exhibitum Eucharistiæ, & inuocationem, nec non sanitatem exhibitam per Eucharistiam. 3. Ex summa religione, & cura solicita in tractando, & sumendo hoc Sacramento. S. August. *Epistola ad Ianuarium ait, nonnisi à ieiunis debere sumi.* Et S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio, inquit, *Quantam integritatem exigimus ab eo, qui communionem Domini manibus pertractat, quales manus, qualem linguam, qualia verba, qualem animam esse oporteat.* Quare occultabatur ethnicis, & catechumenis, & in Concilio Toletano 1. & Bracharensi 3. prohibitum fuit, ne amplius laici Eucharistiam sumerent in manus. 4. Probatur ex consecratione templorum, altarium, linteorum, vasorum, operimentorum omniumq; paramentorum, quibus Ecclesia ad eius administrationem vtitur, quæ omnia teste S. Hieron: ad Theophilum Alexand. *Propter consortium corporis & Sanguinis Domini, magnâ veneratione coluntur.* Item ex Sacerdotum, Ministrorumq; omnium sanctificatione, inunctione, puritate, & Sanctimonia, quæ omnia illos decent, quia corpus Christi Domini sacro ore conficiunt, & sumunt.

Ex summa religione.

Ex consecratione vasorum.

Ex ministrorum sanctificatione.

Deniq; probatur eadem veritas ex miraculis, quæ Diuinâ prouidentiâ patrata sunt, ad huius Sacramenti fidem, & religionem propagandam, quæ miracula, redarguunt Lutheranos, qui dicunt extra vsum, Christum non esse, in sacra hostia, proinde nec eum adorant. Redarguunt impios Caluinistas, qui credunt impossibile esse, vt Christi Domini caro, & Sanguis sit in hoc Sacramento, sed esse tantùm eius figuram, & signum. Redarguunt peruersos Iudæos, qui summam ignominiam huic Sacramento irrogare semper conati sunt. Refert Petrus Diaconus in vita Sancti Gregorii Magni, dubitanti fœminæ, hostia mutata est in lapidem. Hoc idem accidisse mulieri sectæ Macedonianæ, tempore Sancti Chrysostomi, vt scribit Sozomenus *lib. 8. cap. 5.*

Ex miraculis varijs probatur,

Referunt Nauclerus, & Fulgosus circa annum Domini 1290. Iudæum quendam Parisijs ab egena muliercula, promissione vestis, quam oppignorauerat, restituendæ, impetrâsse sacrã hostiam, quam igne accenso in sartagine, multùm diuq; assauit, sed

cùm nec-

cùm nec formam, nec colorem mutaret, gladio eam pupugit, ac confestim sanguis inde manauit, re detectâ, Christianis superuenientibus, & hostia in loco ei dicato, & Iudæi domus, sub titulo Saluatoris bullientis, in Ecclesiam conuersa est, vbi hostia, & gladius etiamnum ostenduntur. Mirabile est quod refert Surius in Chronicis Anno 1510. Pontius *lib. 3. rerum memorabilium*, in Marchionatu Brandenburgensi, haud procul Berlinio anno 1516. teste inprimis Surio, & compluribus aliis, Sacrilegus quidam Paulus Form, sublatâ de nocte è templo hostia, eam Iudæo vendidit, nouem grossis, Iudæus hostia in mensa posita, pugione sæpiùs punctam, perfodere tentauit, hostia tamen illæsa semper remanente, ille igitur in furias actus, dixit: *Si tu es Christianorum Deus, manifesta te, in nomine mille diabolorum*; vix verba finierat, & ecce dicto citiùs, scissa in tres particulas hostia Sanguinolenta, per circuitum immaduit, rubore. Obstupuit ille, & consilii expers, particulas panno inuolutas, mense vno, apud se retinuit, ac postea duas exinde aliis Iudæis, Brandenburgi, & Standelii habitantibus, dono transmisit: tertiâ secum retentâ, quam rursus confodit, & magna vis Sanguinis inde profluxit. Nititur eam absumere, sed non valet; mittit in aquam, sed enatat; in ignem, sed non læditur; in Paschate Azymi panis massulæ immiscet, & clibano imponit, at Clibanus instar solis collucere incipit, & massula in eius faciem insilit. Res interea patefit. Iudæi Berlinum vocantur, tormentis examinantur, omnia fatentur, & rei tandem ignibus exuruntur.

Refert Siffridus Misnensis lib. 3. anno 1299. & Auentinus lib. 7. annalium Iudæos in oppido quodam Riitlingen, à custode Ecclesiæ, Sacras hostias, magno pretio emisse, domumque deportatas, in mortario contudisse, acubusque, ac subulis pupugisse, Sanguinis copia à puncturis manante. Territi impii, sacras hostias, per multas Iudæorum domos hinc inde missitatas in terram defoderunt: sed multis miraculis Deus eas reuelabat, præsertim viso cælestis luminis, supra domum, vbi hostiæ abscondebantur; Vnde Christiani, in Franconia, præsertim VVirteburgi Bambergæ, Norimbergæ, & aliis in Ciuitatibus contra Iudæos insurgentes, magnam

Miracula varia referuntur in variis locis.

gnam eorum multitudinem, trucidárunt. Simile refert Cranzius de Iudæis in Vandalia degentibus, qui Sacras hoſtias, è templo furati, eas punctim cæſimq; læſerunt, ac tandem in viis publicis, ſub ſabulo repoſuerunt, vt pedibus, Chriſtianorum etiam, proculcarentur. Res tamen multis miraculis in via euenientibus patefacta, Sacræ hoſtiæ, in Eccleſia recens ædificata repoſitæ, Iudæi Crurifragio ſcelus luerunt. Aliud non diſsimile refert Hermanus Schedelius, de Iudæis, in oppido Dechendorff in Bauaria, iuxta Danubium, qui Sacras hoſtias furtim ſublatas, in ignem proiecerunt, ſemper tamen illæſas in incude quoq; malleis pulsárunt, at comminuere nequiuerunt, re à Magiſtratu comperta, Magiſtratus debitum de Iudæis ſupplicium ſumpſit.

Hæc eadem veritas realis præſentiæ corporis Chriſti Domini in Euchariſtia, & in Regno Poloniæ multis miraculis eſt illuſtrata. Anno ſalutis 1399. Poſnaniæ in Maiori Polonia, perfidi Iudæi pretio Chriſtianam mulierem corruperunt, vt Sacratiſsimam Euchariſtiam ſurriperet, & ad eos deferret; egens, & lucri cupida mulier; oblita timoris Domini, & Chriſtianæ profeſsionis, receptá ab illis pecuniá, promiſit ſe voluntati eorum ſatisfacturam, & rei conficiendæ idoneum tempus obſeruaturam; tandem ipſo die Aſſumptionis B. Virginis MARIÆ, impia mulier ad Eccleſiam Patrum Prædicatorum, quæ plateæ Iudæorum adiacet, cum filia, acceſsit, ibiq; ſub tempus prandii, ad locum tabernaculi, vbi Sacratiſſimum Sacramentum aſſeruabatur, accedendo fores tabernaculi per vim auellere conata, in terram collapſa fuit, quaſi Diuinitus admonita, ne tam enorme ſcelus attentaret: ſed nec eo caſu deterrita, iterum portam tabernaculi reſerare conabatur, & ſecundò in terram corruit, quo caſu non eſt melior effecta, ſed malitiá, & auaritiá ſtimulante, tertiò ibidem acceſsit, & non tam ſuis viribus, quám Diuiná quadam permiſsione, vt maior inde gloria Domini in Eccleſia propagaretur, oſtium ciborij aperuit, & pyxide venerabilis Sacramenti, acceptá, & tribus inde hoſtiis minoribus extractis, pyxide repoſitá, oſtium tabernaculi clauſit, & ſacrilegis manibus hoſtias Sacratiſsimas in linteolum album repoſuit, & op- Miraculũ Poſnaniæ.

portunâ occasione datá ex Ecclesia, discessit, & ad Iudæos perrexit, qui maximo cum applausu illud summum nostræ salutis pignus exceperunt, & mulieris impiæ detestabilem operam collaudárunt, ac dimissam honorario magno cumulárunt. Rabbini tanti sceleris authores conuocatis primoribus Iudæis in locum subterraneum, seu cellarium descenderunt sub lapidea Svvidvvarum, vbi in mensam tribus hostiis proiectis, cultris, seu pugionibus perfoderunt, ex quibus cruor erumpens, mensam, & parietes perfudit, quem in locum Iudæa cæca adducta, & re cognitá, sese recolligens petiit illuminari, & subitò illuminata est palamq; profiteri non erubuit, Christum esse Deum, per quem beneficium videndæ lucis percepisset, palamq; virtutem Domini extollebat, Iudæi impii miraculo territi, extra Ciuitatem SS. Eucharistiam in paludibus demergere frustra conati sunt; in itinere, claudo languido (in porta quæ tunc vocabatur Castrensis) sedenti Eleémosynam præbuerunt, qui repentè integram corporis sanitatem recepit; progredientes vlteriùs in vico Stelmachorum vocato, in vna domo agonizans lecto se proripuit, Christum Dominum transiisse conclamauit, Iudæis interim in obstinatione permanentibus, qui thesaurum illum pretiosissimum in foueam proiecerunt, & in Ciuitatem obstinati & triumphantes, redierunt. Verùm Deus ad arguendam incredulitatem & obstinationem ipsorum, paulo post iumenta excitauit, quæ honorem Diuinissimo Sacramento conuenientem deferrent; nam hostiæ tres super paludes eleuatæ, à puero Paulo filio Bubulci adoratæ, iumentis itidem genua flectentibus, quod Bubulcus ipse superueniens vidit, & obstupuit, miraculumq; Magistratui Posnaniensi indicauit, qui vt delirus in carcerem coniicitur, cui cùm miraculosè portæ essent reclusæ, iterum ad proconsulem rediit, & quæ antea coram illo deposuerat, non aliter se habere sanctè affirmauit; Magistratus rei veritate compertá, vnâ cum Præposito, ad Episcopum Albertum II. dictum Iastrzembice rem gestam defert, quod in prato illo SS. Sacramentum spectandum se publicè omnibus exhiberet. Conuocato Episcopus Clero vniuerso cùm crucibus, vexillis, & luminaribus, ad locum processionaliter accessit, Sacer-
dotiq;

dotiq; Ioanni Riczyvvol dicto, opinione Sanctitatis celebri, inuenxit, vt hostias Sacras apprehenderet, & ad se deferret, quæ diuinitùs in manus eius illapsæ, & Episcopo traditæ, quas cum summa solennitate, & triumpho detulit, & in Ecclesia Parochiali deposuit, dum quid agendum, deinceps esset maturiùs deliberaret. Cùm verò hominum studia in diuersas sententias abirent, nam Episcopus Cathedrali, Patres Prædicatores templo suo inferri debere, dicebant, ex quo furtò sublatæ essent, Magistratus verò contendebat in Parochiali relinquendas esse, sed SS. hostiæ, etsi in tabernaculo clauso Parochiali diligenter custodirentur, ad eum locum, in quem à Iudæis proiectæ fuerant, remigrârunt, quare Episcopus ibidem Sacellum ad tempus ædificauit. Porrò Vladislaus Iagelo Poloniæ Rex, voto ob incolumitatem vxoris facto, Posnaniã Anno Domini 1414. venit, & in Sacro hoc loco Basilicam magnificam, in honorem corporis Christi extruxit, & redditibus assignatis, Monasterium illi adiecit, in coq; Patres ordinis Sanctæ Mariæ à monte Carmelo, collocauit: quo in loco plurima gratiæ Diuinæ beneficia, & amplissimas consolationes homines reportant. Iudæi verò post diligentem inquisitionem, & in quæstionibus confessionem, cum sacrilega muliere, ad palum cum canibus eos, lacerantibus, alligati, viui combusti sunt, & dignas impietatis pœnas acceperunt: qui vtinam propter tam enorme scelus è Ciuitate Posnaniensi eiecti fuissent, nunquam ad tantam paupertatem Posnania deuenisset, ad quam nunc propter perfidos Iudæos, ob mercimonia, & artes mæchanicas, quas exercent peruersi Iudæi, deuenit. Ita Cromerus lib. 16. Thomas Treterus Custos & Canonicus Varmiensis in *suo libello descripsit, & æneis figuris illustrauit historiam.*

Simile factum Anno Domini 1556. refertur in oppido Sochaczevvo quod situm est inter Louicium, & Varschauiam. Iudæus quidam Bischeim nomine, Eucharistiam Sacratissimam ab ancilla sua Dorothea Lazecka Christiana, tribus taleris emit, quæ mulier scelerata, cum cæteris communicantibus ad altare accessit, & impœnitens instar Iudæ SS. Eucharistiam accepit, ac paulò post

Miraculũ in oppido Sochaczewo.

 ex ore

ex ore extractam, sudariolo inuoluit, Iudæoq; peruerso tradidit. Delatam scelestus in Synagogam cum aliis Iudæis detulit, quam multis ictibus transfixerunt, ex qua copiosus cruor emanauit, exceptum Sanguinem Iudæi in vitrum transfuderunt. Res est propalata, & omnes conscii flammis exusti sunt. Ita Rouerus Pont. *lib. memorab.* 5. Surius *in hist. Bredemb. l.* 1. *collat. Sacrarum. c.* 50.

Miraculú editum à S. Antonio.

Miraculum omnibus notum præterire nolo, á S. Antonio Patauino editum in partibus Tolosanis, quo hæresiarcha Bonuillus ad sanam mentem est reductus: nam cum hic disputásset publicè cum Sancto viro, contendens in Eucharistia non esse verum corpus Christi, & iam conuictus esset, palam cunctis audientibus, dixit, se tum demum crediturum, in Eucharistia, haberi verum Christi corpus, si huiusmodi miraculum contingat. Triduaná, inquit, ego inediá iumentum famelicum reddam, post triduum reducam illud in populi conspectum, paratasq; illi escam proponam, tu stabis ex aduerso cum tuo illo, vt dicis, corpore Domini, si iumentum postliabito pabulo suo, properauerit ad adorandum Deum tuum, Ecclesiæ tuæ fidem complectar. Accepit conditionem vir Sanctus; dies tanto certamini dicta, quá, adueniente, vndiq; omnes in plateam conueniunt. Adducitur ab Hæretico famelicus mulus: Sanctus interim Missam celebrat, in proximo sacello, quá peractá, egreditur ad populum, maxima cum reuerentia gestans Eucharistiam, proponitur ante mulum congrua pabuli copia, in vna parte, ex altera autem parte, profertur Eucharistia. Túm Sanctus ad animal conuersus, cunctis audientibus, & exitum rei præstolantibus, in virtute, inquit, & nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, reuera teneo, tibi præcipio, vt confestim huc accedas, & illam, quam par est, præstes reuerentiam, vt hinc perspicuè intelligat, peruersitas Hæreticorum, omnem creaturam suo subdi Creatori, quem dignitas Sacerdotalis, in altari contrectat. His dictis, dimittitur suæ libertati bellua, fræna illi laxantur, ac protinùs neglecto pabulo, ante oculos posito, vsq; ad poplites demisso capite, & coram diuinissimo Christi corpore, genua curuauit mirabiliter. Mox Catholicorum lætitia ingens exorta, hæræticorum verò con-

fusio ma-

fusio maxima: Hæresiarcha se Catholicæ Ecclesiæ reddidit, hæresim pessimam detestatus, multiq; alii abiuratâ perfidiâ ad Ecclesiam redierunt; quorum exemplum vtinam nostri temporis hæretici imitentur, & si nolunt credere asserenti *Hoc est corpus meum*, saltem operibus & miraculis credant. Hanc historiam refert Lucas Vaddingus *in annalibus Anno 1225. n. 15.* S. Bonauentura *in vita S. Antonij* Surius *c. 17.*

QVÆRES SECVNDO.

Quid sit præsentia Sacramentalis.

Nota præsentia Sacramentalis est aliquid reale, cùm enim Christum Dominum esse realiter, & præsentialiter substantialiter præsentem speciebus in Sacramento, sit aliquid reale existens in rerum natura, consequenter præsentia ista est aliquid reale. Deinde est aliquid intrinsecè afficiens corpus Christi Domini, licet enim sit respectus extrinsecus adueniens, vt mox dicetur, est tamen intrinsecus corpori; dicitur verò respectus extrinsecus per comparationem ad fundamentum, & terminum, non per comparationem ad subiectum, quod docet D. *in 4. d. 10. q. 1. num. 11. Quia si species sunt de nouo præsentes corpori Christi, & corpus est de nouo præsens eis, (etsi enim continentia non sit relatio realis mutua, tamen præsentia est relatio mutua.)* Sicut V. G. Verbum incarnatum non potuisset per incarnationem fieri præsens humanitati sine noua præsentia, si antea non fuisset vbiq; per immensitatem, Ergo cùm corpus Christi non sit vbiq; non potest fieri de nouo præsens speciebus, sine noua præsentia in ipso existente. Præterea hæc præsentia est distincta à substantia, quia hæc fuit ante, & erit post, & potest esse sine huiusmodi præsentia Sacramentali, an autem distinguatur tanquam res à re, vel tanquam modus à re vtrumq; probabile; cùm D. Subt. *Quod l. 3;* dicat, *Omne Ens prædicamentale, præter substantiam, quantitatem, & qualitatem, esse modum*, quid autem sit hæc præsentia varij varia.

Præsentia Sacramentalis est realis.

Intrinsecè afficit corpus.

Præsentia distinguitur à substantia.

Dico 1. Præsentia Sacramentalis corporis Christi Domini, non est actio: neq; modus substantialis. Prima pars patet quia omnis actio corporis Christi Domini in Sacramento præexigit necessario

Præsentia hæc non est actio.

sariò præsentiam eius, non enim res est præsens, quia operatur, sed operatur quia est præsens. Ergo Christi Domini operatio in Sacramento non est eius præsentia Sacramentalis. Confirmatur vi verborũ ponitur corpus Christi Dñi in Sacramento. Sed nulla actio eiusdem corporis ponitur ibidem vi verborum. Ergo præsentia Sacramentalis non est actio. Secunda pars probatur Quia modus substantiæ substantialis, non potest adesse, vel abesse sine mutatione substãtiali illius substantiæ cuius est modus. Sed præsentia hæc adest, & abest sine mutatione substantiali, corporis Christi Domini. Ergo. Tum quia substantia corporis Christi Domini sine præsentia Sacramentali est perfectè completa. Ergo. Quòdsi instes ista præsentia acquiritur per actionem substantialem. Nego, nam actio substantialis, non respicit per se præsentiam, sed alia mutatio, quam D. Subtilis *loco citato.* appellat mutationem localẽ impropriam, quia nimirum reducitur ad mutationem secundùm vbi.

Actio non respicit præsentiã.

Dico 2. Eadem præsentia non est respectus intrinsecùs aduenlens: sed respectus extrinsecus aduenlens qui vocatur à D. præsentia simplex, quiuè reducitur ad prædicamentum vbi. Prima pars probatur, respectus intrinsecus adueniens, consurgit necessariò positis fundamento, & termino: At verò positis speciebus, & Christi Domini corpore, non necessariò consurgit præsentia Sacramentalis, potest enim fieri conuersio panis in corpus Christi Domini existens in cælis. Ergo &c. Secunda pars constat quia respectus extrinsecùs adueniens, qui non necessariò consequitur extrema, etiam ambo in actu posita: & dicitur extrinsecùs adueniens, nõ solùm quòd supponat extrema inesse & quidquid ordinatur ad esse ipsorum; sed vlteriùs requirit aliquam determinationem posteriùs aduenientem, quæ est accidentaria extremis inquantùm sunt, & posteriùs adueniens ipsis in esse. Ergo hæc præsentia Sacramentalis est præsentia localis, non quidem propriè, sed reductiuè; ad relationem enim extrinsecùs aduenientem, potest esse motus, & consequenter ad hanc præsentiam Sacramentalem, vt docet D. Subt. *in 4. d. 6. q.* 10, ex Aristotele.

Præsentia non est respectus intrinsecus.

Est respectus extrinsecus.

Præsentia ista est localis.

PETES *In quo differunt præsentia Sacramentalis, & naturalis, & in quo conueniunt?*

Conue-

Conueniunt primo, quia vtraq; est respectus extrinsecùs adueniens. 2. quia vtraq; est terminus motus localis, siue propriè, siue impropriè. 3. Quod vtraq; sit fundamentum propinquitatis, & distantiæ.

In quo conueniunt præsentia naturalis, & Sacramentalis.

Differunt primò, quòd naturalis habeat duplicem positionem quantitatiuam, & situalem, Sacramentalis verò solùm primam. 2. quòd præsentia naturalis habeat duplicem extensionem, & diuisibilitatem, tam ex parte subiecti, quàm ex parte spatii, Sacramentalis verò solùm ex parte subiecti. 3. Quòd naturalis repleat locum & expellat aliud corpus: Sacramentalis non item; vnde adueniente corpore Christi Domini non expellitur quantitas panis. 4. Quia ad naturalem spectant illæ differentiæ positionis, sursum, deorsum &c. ad Sacramentalem non sic. Et sic istæ præsentiæ distinguuntur specie, quia præsentia naturalis est propriè localis, includens proprium vbi, & situm, Sacramentalis autem non includit proprium vbi prædicamentale, sed tantùm vbi simplex, nec vllo modo includit situm. Porrò istæ duæ præsentiæ à se inuicem non dependent, sed vna posset esse absq; alia, vt docet D. Subtilis *in 4. d. 10. q. 4. n. 6.* Sequitur Suarez. *disp. 48. Sect.* 2. De naturali constat, quia ante institutionem Sacramenti, Christus Dominus extitit, & post diem iudicii exister. De Sacramentali probatum est. *Articulo 2. quæsito 2.* Existentia enim naturalis non est de essentia existentiæ Sacramentalis; nam in Eucharistia non habet modum existendi Christus Dominus naturalem: neq; est causa eius, quia Deus est causa immediata præsentiæ Sacramentalis. Et sic Deus posset efficere, vt Christus solùm existeret in Sacramento, supernaturali modo. Ergo modus quo in Sacramento existit, suapte naturâ, non dependet à modo, quo naturaliter extra Sacramentum existit, sed ex sola institutione, quâ nunc hoc Sacramentum institutum est.

Differunt inter se.

Non dependent à se istæ præsentiæ.

QVÆRES TERTIO.

Quomodo corpus Christi Domini, sit vnitum speciebus.

Nota variæ sunt opiniones authorum Suarez. *disp. 47. Sect.*

Quomodo vnitur corpus speciebus

3. distinguit de duplici vnione, vna formali, & alia effectiua, dicitque corpus Christi Domini non esse vnitum speciebus vnione formali, eo modo, quo vniuntur componentia physica, vel metaphysica, sed vnione effectiua, eo modo, quo ferrum est vnitum magneti, à quo attrahitur, & tenetur, ne ab eo separetur. Alii volunt hanc vnionem esse continentis, & contenti. Alij vnionem compositionis. Alii quasi hypostaticam. Alii Sacramentalem appellant.

Vnio hic ex pacto Dei intercedit.

Dico 1. Sola vnio extrinseca ex pacto diuino hic intercedit. Ita D. Subt. *in 4. d.* 10. *q. 6. num.* 4. vbi dicit, Corpus Christi Domini non esse vnitum speciebus, sicuti forma est vnita materiæ, vel è conuerso, aut sicuti est actus vnitus potentiæ, vel è contra, aut veluti pars est in toto, vel generaliter, sicut aliquid necessitate naturali coniungitur cum altero, sed tantùm per actum voluntatis Diuinæ, quia Deus eâ voluntate quâ instituit Eucharistiam in Ecclesia, determinauit facere corpus Christi Domini semper præsens speciei post consecrationem.

Ratio est, quia non potest esse vnio naturalis, nam vel esset substantialis; vel accidentalis, non 1. quia inter substantiam, & accidentia quales sunt species, non intercedit vnio substantialis: non accidentalis, quia vnita hic se non afficiunt, sicut in vnione accidentali, neq; enim corpus Christi Domini est quantum; vel album, per quantitatem, & albedinem specierum. Non est etiam vnio effectiua, quia constare non potest corpus Christi Domini habere actionem circa species, quâ illas sustentet, aut quidpiam aliud præstet. Deinde id non est necessarium, Deus enim se solo conseruat species Sacramentales efficienter. Tum quia ista effectio est impertinens ad vnionem, imò & ad præsentiam, quia res potest agere in distans. Ergo ista vnio est extrinseca, & saluat omnia dicta SS. PP. & Conciliorum, de habitudine inter Symbola, & corpus Domini.

Corpus Domini non sustentat accidentia.

Dices 1. Corpus Christi Domini sustentat accidentia, non quidem materialiter, vt panis. Ergo effectiuè. Ergo habet effectionem illam. Ergo vnionem effectiuam. Respondeo Nego antecedens, quia corpus Domini nihil aliud hic habet, quàm vt sit præsens,

sens, vbi priùs fuit panis, & tegatur ab accidentibus.

Dices 2. Dicitur corpus Domini à speciebus contineri: Prætereà dicuntur species instrumentum coniunctum corpori Christi Domini. Rñdeo Concedo ex pacto, & voluntate Diuina, non ex alia vnione.

Dices 3. Ex vnione extrinseca, non satis colligitur absentia panis, quia remanente substantiâ panis, posset Christus Dominus fieri præsens in Sacramento; sed destruitur substantia panis. Ergo ex præsentia Christi Domini, debet colligi quædam perfectior vnio, quàm ex solo beneplacito Diuino.

Respondeo Poterat quidem Deus facere corpus Domini præsens, cum pane, in pane, & sub pane, vt infra dicetur, quia tamen aliter statuit, voluit etiam destruendo substantiam panis, corpus Christi Domini vniri remanentibus accidentibus, ita vt sicut desitio panis procedit ex sola diuina voluntate, ita quoque vnio corporis cum accidentibus ex eadem voluntate prouenit.

Dices 4. Res commodiùs fiunt per concursum causarum secundarum, quàm per Deum immediatè. Ergo & ista vnio commodiùs fit per corpus Domini, quàm per Deum immediatè.

Respondeo Antecedens est verum in causalitate causarum secundarum connaturali, non verò vbi agitur de re aliqua producenda, ad quam causæ secundæ nullam habent proportionatam virtutem effectiuam. In naturalibus valet

Dices 5. Eucharistia constat signis, & rebus. Ergo inter illa reperitur vera constitutio, seu compositio. Respondeo Non colligitur constitutio per vnionem intrinsecam, sed moralis solùm ex pacto. Moralis hic est vnio.

PETES *Ex vnione ad species Sacramentales, quales denominationes consequitur corpus Christi Domini?* Quæ denominationes competunt hic corpori.

Dico 1. Omnia prædicata absoluta tam substantialia, quàm accidentalia, dicuntur de Christo Domino, etiam vt est hic, quia, modus existendi sacramentaliter, ista omnia secum patitur. V. G. Deus, homo, substantia, quantus, Sapiens, speciosus &c. Illa verò

prædicata, quæ modus Sacramentalis non patitur, non dicuntur de eo, vt est, extensio, circumscriptio, esse in loco, &c. non enim Christus Dominus, vt est in Sacramento, dici potest extensus. Deinde prædicata quæ significant vnionem inter Christum Dominum, & species, verè dicuntur, de Christo, vt est hîc, dicitur enim Christus Dominus contineri sub speciebus, tegi sub speciebus, &c. Item dicitur corpus Domini, eleuari, circumferri, manducari, Item esse hîc, illic, vel alibi &c. quia ista significant mutationes similes mutationibus localibus. Porrò non dicitur verè alterari, frangi, contrectari, misceri, sed solùm metaphoricè, quia ista conueniunt solis speciebus, & transire non possunt in corpus Domini; tùm propter impassibilitatem, tùm propter modum existendi indiuisibilem. Quare quando dicitur in Sacrificio Missæ, *fiat commixtio corporis & Sanguinis Domini*. Id intelligendum est propriè de speciebus, & de corpore & Sanguine Domini, ratione præsentiæ solius Sacramentalis, quæ enim miscentur propriè, miscentur per diuisionem miscibilium in partes, & per contactum partium. At corpus Christi Domini & Sanguis, nō possunt hoc pacto misceri, quia sic existerent diuisibiliter in Sacramento.

Non verè alterari.

QVÆRES QVARTO.

Vtrum possibile sit corpus Christi Domini existens in cælo, esse simul in Sacramento?

Error hæreticorum.

Negant hæretici, maximè Caluinistæ, cùm enim sit articulus fidei, Christum Dominum existere ad dexteram Patris, negant hæretici existere realiter in Sacramento. Quidam verò Catholici tenent cum Ecclesia Catholica, corpus Christi Domini de facto simul existere in cælo naturaliter, & in Sacramento indiuisibiliter, negant tamen fieri posse, vt illud, & quodcunque aliud existat in pluribus locis circumscriptiuè, & diuisibiliter.

Opinio Catholicorum.

Corpus Domini est in cælo & in Sacramento.

Dico 1. Corpus Christi Domini existit simul in cælo naturaliter, & in Eucharistia Sacramentaliter. Ita definitum est in Concilio Tridentino *Sess.* 13. *c.* 1. Probatur 1. ex aliis mysteriis nostræ fidei difficillimis. V. G. Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, corporum.

corporũ &c, Quæ Philoſophia propter apparẽtes cõtradictiones capere non poteſt. Ratione probat D. Subt. *in 4, d. 10. q. 2. n. 5.* Omne Deo eſt illud poſsibile, quod non includit euidenter contradictionem. Sed ad poſitionem corporis Chriſti Domini in pluribus locis, nihil ſequitur, niſi plurificatio præſentiarum, quæ ſunt tantùm reſpectus extrinſecùs aduenientes, naturaliter poſteriores corpore, & contingenter ei conuenientes: nulla autem eſt contradictio quòd plurificato poſteriori naturaliter, maximè accidentariè, & contingenter conueniente, plurificari debeat prius, cùm & in multis aliis, vbi maior eſt connexio, ſecundùm rationem concedamus vnum ſine altero, poſſe plurificari. Et cùm nullus reſpectus magis ſit accidentalior ſuo fundamento, quàm ſit vbi. Ergo.

Dico 2. Idem corpus eſſe in diuerſis locis non repugnat etiam circumſcriptiuè. Probant multi Doctores *ex cap. 9, Act.* quando Chriſtus Dominus apparuit S. Paulo, & quidem circumſcriptiuè; quia ſi ſic eſt in cælo, & in terra, minimè videri potuiſſet à S. Paulo, ſi indiuiſibiliter tantùm extitiſſet. Reſpondent aliqui Chriſtum Dominum locum cæli deſeruiſse. Contra *Act. 3.* dicitur, *Quem oportet cælum ſuſcipere, vſq; ad tempus reſtitutionis omnium.* Neq; poteſt dici Angelus ei apparuiſſe, quia non fuiſſet teſtis ſufficiens reſurrectionis, ſi non vidiſset oculis corporeis ipſummet corpus, quod reſurrexerat. Confirmatur tùm quia *1. ad Corinth. 9.* dicit. *Nonne Dominum noſtrum vidi*; *tùm quia 1. ad Corinth. 15. Nouiſsimè tanquam abortiuo, viſus eſt mibi*; quæ probatio eſſet inſufficiens, ſi non vidiſset ipſe, ſicut & alij Apoſtoli viderunt. Probatur rationibus, Primò non magis adæquat quantitatem ſua præſentia ad locum, quàm adæquet ſubſtantiam ſua præſentia ſibi conueniens. Sed ſubſtantia poteſt habere plures præſentias, imò de facto habet ſubſtantia Chriſti Domini in pluribus hoſtiis conſecratis. Ergo & quantitas plures præſentias poteſt habere. 2. Poteſt Deus facere ſubſtantiam naturalem, non ſub modo naturali. Ergo multò magis poteſt facere eam ſub modo ſuo naturali. Conſequentia patet, quia minùs eſt conſtituere corpus in variis locis circumſcriptiuè, quàm non circumſcriptiuè, quia faciendo primum, eſt duplex miraculum,

Vnum corpus poſſe eſſe in pluribus locis

Rationibus probatur.

 facien-

Minus est esse corpus circũscriptiuè, quàm non circumscriptiuè.

faciendo, verò secundùm, est tantùm vnum. Sed hoc primum Deus facit. Ergo & secundum facere posset. Confirmatur modus existendi extensiuus, & diuisibilis, non repugnat positioni alicuius corporis in pluribus locis, quâ enim ratione existens in vno loco habet extensionem partium in illo, ita & existens in alio.

Probatur 3. Duo corpora possunt esse in vno loco. Ergo & vnum poterit esse in pluribus, Antecedens est verum. Consequentia patet quia magis est possibile cum vnitate prioris naturaliter, stare multitudinem posterioris naturaliter, quàm è conuerso: dimensio autem locati prior est naturaliter dimensione loci : tùm quia dimensiones locati sunt causa dimensionum loci : locatum siquidem facit latera continentis distare, & superficies eius esse in actu. Tùm quia dimensiones locati, possunt esse sine dimensione locantis, vt patet de superficie primi cæli.

In hoc loco attenditur resurrectio.

Obiiciunt 1. Hæretici, *Marci 16.* dicitur, *Surrexit non est hic*. Sed ista esset infirma locutio, si idem corpus possit esse in pluribus locis, potuisset enim corpus Domini manere in sepulchro, etiamsi alibi simul fuisset. Respondeo Hoc loco narrantur quæ gesta sunt, non quæ virtute diuinâ fieri possent. Tum quia ibi attendebatur sepulchrum, & resurrectio, vt sensus sit, non est in hoc loco mortuorum, quia surrexit ad vitam.

Obiiciunt 2. Ex S. Augustino. *lib. 2. contra Faustum cap. 11.* dicente, *Secundùm præsentiam corporalem simul, & in Sole, & Luna, & in cruce esse non posse*. Ergo. Respondeo nihil aliud intendit S. Aug. quàm si Christus corpus est, non posse simul, & totum esse distentum, per Solem, Lunam, & astra alia, & loca, sicut si phantasma esset, aut spiritus, pati non potuisset in cruce; sed intelligit non posse conuenienter naturæ suæ, & modo essendi corporum, aliás enim posse id fieri, non negaret omnipotentiâ creatoris, sicut eâdem omnipotentiâ illemet. 21. *de Ciuit. Dei. cap. 10.* scribit spiritum pati posse ab igne corporeo, vt notauit Bellarminus *lib. 3. de Eucharistia cap. 4.*

Obiicitur 3. Ex positione Scoti, hæc absurda sequuntur, corpus constitutum in variis locis, poterit esse simul viuum, & mortu-

mortuum, album & nigrum, superiùs, & inferiùs seipso, propinquum & distans, ambulans & quiescens. Sed hæc non admittenda. Ergo.

Pro resolutione Nota ex D. Subtili *in 4. dist.* 10. *q.* 2. *n.* 19. Vbi ponit duas Conclusiones. Prima est quidquid conuenit corpori independenter ab vbi, aut priùs naturaliter ipso vbi, necessariò inest, vbicunq; est corpus, quamuis habeat diuersa vbi, nec variatur variato ipso vbi, quia prius essentialiter non variatur per variationem posterioris, nec per eius multiplicationem multiplicatur necessariò: ea verò quæ sunt ipso vbi, seu quod est esse in loco, posteriora, vel simul natura cum ipso, variabuntur secundùm varietatem ipsius vbi; quia variato priori, variatur posterius, & variato eo, quod est simul natura cum alio, variatur & illud aliud. Ex his collige quòd cùm omnia accidentia absoluta priùs insint corpori, quàm esse in loco, illa non variantur variato loco, quocirca illa omnia, quæ insunt corpori existenti in vno loco, eadem insunt ei in alio loco; vnde si in hoc loco corpus est album, alio in loco simul existens erit album; & si in vno loco est quantum, similiter in isto existens erit quantum. Item si in vno est animatum, similiter & in alio aliás enim sequeretur apertè contradictio, esset enim idem corpus quantum, & non quantum, album & non album.

Regulæ notandæ. Prima.

Secunda propositio Sicut passum existens in vno vbi, reciperet formam à duobus agentibus sibi approximatis, sic ipsum in duobus locis existens patietur ab eisdem sibi in aliis duobus locis approximatis, quod intelligitur de passione ad formam absolutam. Patet hæc propositio, quia vt patiens ab agente patiatur, sufficit quód habeat potentiam passiuam, & agens actiuam, & sint debitè approximata, siue in hoc, siue in illo vbi, sit approximatio, nihil refert quantùm ad actionem ad formam absolutam, sed passum positum in duobus vbi, habet eandem potentiam passiuam ad formā absolutam, & actiuum eandem habet potentiam actiuam, & eodē modo potest fieri approximatio vtrobiq;. Ergo eodem modo patietur quantùm ad formam absolutam. Ex hac propositione sequitur, quod sicut si passo in vno loco existenti applicentur duo agentia con-

2. Regula.

tia contraria, vt ignis & aqua, effectum agentis vincentis recipiet: Item si in diuersis locis existenti, eadem agentia applicentur non vtriusque agentis effectum recipiet, sed eius quod vincet, & superabit aliud, quia duo effectus contrarii, eidem subiecto inesse nequeunt.

3. Regula. Tertia propositio Quæcunque conueniunt corpori dependenter ad vbi, vel etiam concomitanter, posito in diuersis locis corpore, possunt variari, & variantur de facto, dependentia ad locum sunt respectus præsentiæ formalis, indistantia, seu continguitas, situs, vt esse sursum, aut deorsum, sedere, stare, motus localis, & eiusmodi, & illa sunt concomitantia ad vbi. Ex hoc sequitur, quòd superiùs & inferiùs sursum, & deorsum, propinquum & distans, ambulans & quiescens, non absoluuntur à loco, sed cum loco necessariò connexa sunt, quo fit, vt dici posit corpus aliquod superiús, sursum, propinquum, & ambulans in vno loco; & inferiùs, deorsum, distans, & quiescens in altero loco, & quidem sine contradictione, quia ista non conueniunt eidem corpori, nisi respectu diuersorum, scilicet diuersorum locorum, & diuersarum præsentiarum, & certè inquit D. Subt. si posit esse aliquis alteri similis, secundùm albedinem, & dissimilis secundùm scientiam, quæ sunt distincta fundamenta istorum distinctorum respectuum, similiter poterit esse, & propinquum, & distans ratione alterius, & alterius vbi.

Obiicitur 4. Quod distat ab aliquo, est aliud ab eo, quia nihil distat à seipso. Sed si corpus Christi Domini esset in Eucharistia, & in cælo, distaret à se ipso. Ergo esset aliud, & aliud. Maior patet, quia distantia includit continuitatem; vnitas autem quātitatis continuæ est continuitas. Ergo distantia repugnat illi vnitati, & consequenter ponit pluralitatem. Respondeo Negando Maiorem, quia ad hoc vt aliquod corpus distet à se ipso, sufficit vt habeat vbi distantia. Ad probat: dico distantiam includere discontinuitatem locorum, non discontinuitatem corporis ad se inuicem. Deinde corpus habet maiorem vnitatem, quàm continuitatis, nimirum vnitatem identitatis ad seipsum.

Distantia includit discontinuitatem locorum, non corporum.

Obiicitur 5. Idem temporale non potest esse simul in diuersis temporibus. Ergo nec idem corpus in diuersis locis.

Respondeo Sicut idem temporale non potest esse simul in diuersis temporibus, eadem temporalitate, ita nec idem corpus simul in pluribus locis eadem locatione: sed sicut diuersis locationibus potest esse idem corpus in diuersis locis, ita idem temporale in diuersis temporibus, diuersis temporalitatibus.

Obiicitur 6. Si idem corpus posset esse in pluribus locis, simul, posset esse vbique, quod est proprium Dei. Sed hoc non. Ergo.

Respondeo Ad immensitatem non satis esse, rem esse præsentem omnibus rebus creatis, sed requiri vlterius, rem talis esse naturæ, quod sibi intrinsecè, seu ex propria natura, non solùm esse præsentem omnibus rebus realibus, sed etiam posse absq; sui mutatione coëxistere omnibus locis, & spatiis creabilibus, ad quod necesse est rem esse in se, & ex se, actu infinitam. Dato itaq; quòd aliquod corpus ponatur vbiq; per potentiam Dei, nō sequitur corpus ipsum infinitum, & imensum in se, neq; ei conuenire id, quod Dei est proprium.

Immensitas cui cōpetit.

Obiicitur 7. Sicut natura se habet ad speciem, ita quantitas ad locum. Sed vna res per propriam naturā est tantùm in vna specie, nec potest esse in pluribus. Ergo similiter per vnam quantitatem, non potest esse nisi in vno loco.

Respondeo Negando paritatem, quia vna natura est ratio formalis essendi in vna specie: at dimensio seu quantitas, non est ratio formalis proxima essendi in loco, sed tantùm ratio fundamentalis, quæ potest esse vna, licet respectus in ea fundati, sint diuersi: ratio autem essendi in loco formalis, est ipsa locatio actualis, quâ locabile locatur, & hæc potest plurificari, non plurificatâ priori.

Obiicitur 8. Si idem esset in pluribus locis, aut vnâ mutatione, aut pluribus: non vnâ, quia vna mutatio est ad vnum terminum; nec duabus, quia vel essent eiusdem speciei, vel diuersæ: non eiusdem, quia non potest aliquid moueri simul duabus mutationibus eius-

bus eiusdem ſpeciei 5. *Metaph. cap. de vno.* neq; diuerſæ, quia termini eſſent contrarii.

Reſpondeo Quòd duabus mutationibus eiusdem ſpeciei; impoſsibilitas enim mutationū pendet ex incompoſsibilitate terminorum, vel formarum, ad quas tendunt: oportet ergo probare duo vbi eſſe incompoſsibilia, quod negamus: ſicut igitur duo vbi, ſunt ſimul compoſsibilia in eodem corpore, ita & duæ mutationes locales.

Obiicitur 9. Impoſsibile eſt eandem materiam eſſe ſimul ſub diuerſis formis ſubſtantialibus. Ergo impoſsibile eſt idem corpus in diuerſis locis, Conſequentia patet, quia expoſitione conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis, quod ſic oſtenditur: ponatur idem nutrimentum numero in diuerſis locis, & comedatur à diuerſis animalibus, in ipſis exiſtentibus nutritiua vtriusque conuerteret idem in ſubiectum ſuum, & ſic materia eadem nutrimenti eſſet ſub diuerſis formis ſubſtantialibus eorum duorum animalium, quæ illud conuertiſſent alimentum.

Reſpondeo Conceſso antecedente, negatur conſequentia. Ad probationem dico, quod idem fieret de alimento ſumpto à diuerſis animalibus in diuerſis vbi, quod fieret ſi illi duo ſtomachi eſſent in eodem loco, & cibus ille eſſet in vtroq; tunc enim naturaliter virtus vna vinceret aliam, & totum illud verteret in ſuū corpus; vel eſſent virtutes æquales & tunc æqualiter conuerterent de alimento, hæc in ſuum corpus, & illa in ſuum, vel eſſent inæquales, non tamen vna omninò vinceret, & tunc fortior conuerteret plus in ſuum corpus, & alia debilior minus, ſicq; efficeretur, ne eadem materia à diuerſis formis informaretur, ſed diuerſæ partes materiæ à diuerſis formis.

QVÆRES QVINTO.

Quæ contineantur in Euchariſtia. vi verborum, & quæ concomitanter?

Nota 1. Totus Chriſtus Dominus continetur in Euchariſtia, & in ſingulis eius ſpeciebus. Ita Trident: *Seſs:* 13. *c.* 3. Sub ſpecie panis

cie panis continetur corpus, anima, Sanguis, nam ad *Rom. 6.* dicitur. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur*; si verò esset corpus sine anima illud esset mortuum, Sanguis quoque debet inesse, quia anima non est in corpore exangui. Similiter non est Sanguis sub specie vini separatus à corpore, propter eandem rationem. Deinde non erat conueniens corpus Christi Domini viuum in cælo, esse mortuum in Sacramento. Continetur etiam humanitas, & Diuinitas, corpus enim Christi Domini in Sacramento, est ad communicandam vitam spiritualem hominibus: habet autem virtutem communicandi huiusmodi vitam ex vnione ad Verbum. Ergo ex fine huius Sacramenti, non debet esse corpus separatum à Diuinitate. Præterea continentur non solùm partes essentiales corporis, sed etiam integrales. Insuper humores pertinentes ad integritatem corporis. Denique ea quæ ad ornamentum corporis spectant, vt crines, barba, &c, non verò vestes, cibus indigestus, saliua, hic continentur. Totus Christus est in Eucharistia.

Nota 2. Aliquid continetur in hoc Sacramento, vel vi verborum, vel per concomitantiam. Vi verborũ, quæ per verba formæ significantur, ita vt forma esset falsa, si aliquid eorum quacunque ratione abesset. Per concomitantiam, quæ per verba formæ non ita significantur, quin ipsa posset esse vera, etiamsi abessent, tamen propter connexionem, quam habent cum illis, quæ vi verborum ibi continentur, necessariò etiam ibi ponuntur, conueniens enim est, vt quæ sunt vnita in Christo Domino extra Sacramentũ, etiam in eo vniantur in Sacramento. Vi verborum quæ continentur. Per concomitantiam quæ.

Nota 3. Qui negant inesse homini aliam formam substantialem præter animam rationalem, valde laborant in explicando, quid intelligatur per corpus, quod vi verborum ponitur in Eucharistia; Quidam enim per corpus intelligunt materiam primam; sed materia, est simplex substantia, corpus autem est compositum. Quid per corpus intelligitur.

Quidam per corpus intelligunt materiam primam, cum modo quantitatiuo, non autem cum quantitate. Sed hunc modum refutat D. Subt. *in 4. d. 11. q. 3. num. 29.* tũ quia modus ille quantitatiuus esset effectus formalis quantitatis. Ergo non posset intel-

ligi sine quantitate. Tùm quia corpus in quod fit conuersio, tale est, vt carnem,& ossa habeat; caro autem & ossa non sunt sola materia cum modo quantitatiuo, vt patet. Ergo neq; corpus illud cōstituetur ex materia, & solo illo modo quantitatiuo. Quidam vt Sanctus Thom. *3. parte. q. 79. a. 6. ad 2.* per corpus intelligit constitutum ex materia, & anima intellectiua, vt dat esse corporeum. Sed Concilium Tridentinum *Sess. 13. c. 3.* expresse determinat animam Christi Domini non poni sub specie panis vi verborum. D. Subtilis *loco citato numero 29.* dicit, corpus humanum constitui in esse corporis humani, per formam aliquam substantialem quam vocat mixti, vel formam corporeitatis, quam dicit non esse formā completam & vltimatam, sed formam quandam partialem, constituentem corpus humanum organicum, in ratione partis essentialis hominis, quæ simul cum anima intellectiua possit constituere hominem.

Forma corporeitatis admittenda.

Obiiciunt contrarium sentientes. 1. quia ex sententia Aristotelis, facies, & caro mortua, dicitur æquiuocè facies & caro. Ergo facies, & caro mortua, non retinet eandem formam, quam habebat viua. 2. quia anima intellectiua dat esse substantiæ, & quidem substantiæ corporeæ. Ergo esse corporeum est tantùm ab anima rationali.

Facies mortua cur æquiuocè dicitur facies.

Ad 1. Dico Facies & caro mortua dicitur æquiuocè, facies & caro, propter absentiam formæ specificæ, dantis esse simpliciter, & viuum, & propterea quòd non sit ampliùs facies, vel caro totius, sed partis, existente enim anima intellectiua, non dicitur tantùm facies, vel caro corporis, sed facies, vel caro totius hominis. Quòd si dicas. Ergo facies, & caro mortua, erit vniuocè facies & caro. Concedo per comparationem ad corpus, non autem per comparationem ad totum hominem constitutum ex corpore, & anima intellectiua. Ad Secundum Dico Corpus genus, non est illud quod constituitur per formam corporeitatis, sed corpus quod est pars, quodque reductiuè ponitur in genere substantiæ. Vnde corpus genus, non tam corpus est, quàm habens corporeitatem.

Dico 1. Vi verborum ponitur tantùm Corpus Christi Domini consti-

ni constitutum ex materia & forma corporeitatis sub specie panis. Constat ex Trid. *Sess.* 13. *c.* 3. Ratio est, quia corpus humanū quâ humanum constat materia & forma corporeitatis. Quod D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q.* 4. *n.* 3. dicit, corpus illud, quod ponitur vi verborum sub specie panis, non continere animam, nec Sanguinem, nec accidentia. Et probat. 1. hoc esse posibile, accipiendo corpus pro primo perfectibili animæ, quia non est contradictio corpus illud esse sine anima, sine Sanguine, & sine accidentibus. 2. Ostendit hoc fuisse congruum, quia species panis repræsentant corpus Christi Domini sub ratione cibi, at verò sub ista ratione, non requirit animam, neq; Sanguinem. 3. Dicit ita factum fuisse, quoniam si in triduo Eucharistia consecrata fuisset, mansisset veritas verborum, & tamen non fuisset ibi anima. Ergo vi verborum istorum ponitur tantùm corpus, & non anima, neq; Sanguis. Deniq; probat ibidem ex diuersis signis, & signatis. Hoc idem probat D. Subtilis *in* 4. *d.* 11. *q.* 3. *num.* 57.

Vi verborum ponitur corpus sub specie panis.

Dico 2. Vi verborum consecrationis calicis, ponitur tantùm Sanguis, Patet ex his verbis. *Hic est Sanguis meus.* in quibus tātùm Sanguis exprimitur. Præterea nomine Sanguinis intelligimus constitutum aliquod ex materia & forma speciali Sanguinis, An autem Sanguis ponatur totus, vel per modum continui, vel per modum discontinui, vtrumq; posse dici probabile putant graues authores.

Sub specie vini Sanguis.

Dico 3. Corpus Christi Domini, non est sub specie vini, neque Sanguis sub specie panis vi verborum, sed tantùm per concomitantiam. Ita Sanctus Bonauentura, *in* 4. *d.* 11. *a,* 1. *q.* 4. Patet, tùm quia corpus Domini non exprimitur, in verbis consecrationis calicis, nec Sanguis in verbis consecrationis corporis. Tum quia Christi Domini corpus & Sanguis in Sacramento mysticè separari debent, ad repræsentandam pasionem Domini. Quòd per concomitantiam ponatur, constat, quia corpus Christi Domini ponitur nunc in Sacramento illud idem, quod est in cælo, scilicet viuum, & animatum, non est autem viuum, & animatum, sine Sanguine: Ergo Sanguis per concomitantiam poni debet simul

Per concomitantiam vtrumque

cum corpore sub specie panis. Aduerte hic Suarez. 3. p. disp. 51. Sect. 3. attribuit D. Subt, quòd dixerit Sanguinem esse sub specie panis vi verborum. Sed reuera si Suarez legisset D. Subtilem *in 4. dist. 10. q. 4. num. 13. ad 2. Et dist. 8. q. 1. num. 4.* nunquam hoc Doctori attribuisset, quibus in locis non vult absolutè Sanguinem poni vi verborum sub specie panis, sed tantùm in ea hypothesi, quâ quis vellet Sanguinem esse partem corporis, nec tamen propterea eodem modo poneretur sub specie panis, vi Sacramenti, quo ponitur ipsum corpus.

Suarez imponit D. Subtili id quod ipse non tenet.

Dico 4. Neq; Verbum Diuinum, neq; Diuinitas, neque tota Sanctissima Trinitas, ponuntur in hoc Sacramento vi verborum. Sed tantùm per concomitantiam. 1. pars patet, quia verba consecrationis, nō significant præcisè vnionem ad Verbum, neque Verbum ipsum, sed per se, & formaliter significant corpus, & Sanguinem, quę corpus sunt, & Sanguis: & quamuis significent corpus & Sanguinem Christi Domini, propter veritatem horum verborũ, *Hoc est corpus meum, Hic est Sanguis meus*; tamen in rigore potuisset esse corpus Christi Domini, necnon etiam Sanguis sine actuali vnione ad Verbum. 2. Pars constat ex Tridentino *Sess. 13. can. 1.* Et ratio est, tùm quia totus Christus Dominus continetur in Eucharistia. Ergo etiam Diuinitas eius. Tùm quia Verbum Diuinum est inseparabile ab humanitate Christi Domini, Tùm quia caro Christi Domini, est viuificatrix in Sacramento, non est autem viuificatrix, nisi ratione Diuinitatis. Ergo.

Diuinitas ponitur per concomitantiam.

PETES 1. *An tota Sanctissima Trinitas sit in Sacramento, eodem modo per concomitantiam, quo subsistentia Verbi Diuini?*

Respondeo negatiuè. Nam subsistentia Verbi est primò & per se, concomitanter deinde Diuinitas ipsa, quia Verbum Diuinum est indistinctum à Diuinitate. Deniq; Pater, & Spiritus Sanctus in quibus Verbum diuinum est per circumincessionem.

SS. Trinitas quomodo est.

PETES 2. *An Diuinitas Christi Domini, incipiat esse de nouo in Eucharistia?*

Respondeo negatiuè, quia nullibi de nouo potest fieri præsens Diuinitas, quæ iam est vbiq; per immensitatem, nihilominus incipit esse

Diuinitas an de nouo sit.

pit esse

pit esse præsens in Sacramento, nouo titulo, nimirum ratione præsentiæ, & positionis corporis, cui est vnita realiter, & substantialiter.

PETES 3. *An Verbum Diuinum possit dici consecrari?* An Verbũ Diuinum consecratur.

Respondeo affirmatiuè, per communicationem idiomatum, sicut dicitur conceptum, natum de virgine, passum in cruce, &c. Inde.

Collige Singulare & indiuiduum determinatum, non est idem quod subsistens in Sacramento, nõ quòd Corpus Christi Domini non ponatur subsistens in Sacramento, sed quia subsistentia non includatur in per se significato corporis.

QVÆRES SEXTO.

An Corpus Christi Domini sit in Sacramento, cum tota quantitate, sicut est in cælo?

Nota 1. Caluinistæ multis insolenti, & temerario stylo, contra antiquissimum doctrinæ Catholicæ dogma, & veritatem, insurgunt, & quasdam contradictiones confingunt, spectantes ad quantitatem corporis Domini, suppositâ huius mysterii veritate, dicuntq; istud corpus in Eucharistia esse quantum, & non quantũ, magnum & paruum, &c. Sed hoc nullus vnquam Catholicorum docuit esse quantum, & non quantum &c. Insolentia & temeritas Caluinistarum.

Nota 2. Communior est sententia Philosophorum, quantitatem esse accidens absolutum, distinctum realiter à substantia, & ab omnibus accidentibus corporeis, non verò esse modum substantiæ. Quãtitas est accidens.

Nota 3. Duplicem esse positionem quantitatis, vnam intrinsecam, & aliam extrinsecam. Intrinseca est per quam partes alicuius corporis habent ordinem inter se, ita vt vna sit extra aliam, quatenùs corpus illud sit debitè figuratum, & organizatum, ad recipiendam animam, & secundùm istam positionem intrinsecam, & absolutam, partes corporis habent debitam distantiam inter se, sed non in ordine ad locum. Extrinseca duplex est vna secundùm Positio quantitatis duplex

Extrinseca positio duplex.

quam corpus aliquod coëxistit toti loco, absq; eo, quòd coextendatur secundùm partes, partibus loci, & illa dicitur vbi, quæ est respectus extrinsecùs adueniens. Alia est per quam totum corpus coexistit toti loco, & partes eius coextenduntur partibus loci, & illa dicitur situs, qui etiam iuxta D. Subt. est relatio extrinsecùs adueniens, qui ab eo sæpè vocatur modus quantitatiuus, vel dimensiuus,

Positio intrinseca est de ratione quantitatis.

positio intrinseca est de ratione quantitatis, ab eaq; inseparabilis; non est enim benè intelligibile, inquit D. Subtilis, aliquid esse quantum dimensionatum, id est longitudine, latitudine, & profunditate affectum, quin sit designare in toto illo ordinem huius partis ad illam, puta capitis ad collum, secundùm quantitatem, vel positionem interiacentem inter illas.

Extrinseca non est de ratione quantitatis.

Positio verò extrinseca, non est de ratione quantitatis, sed accidens per accidens eius, possibile enim est, DEVM separare talem positionem à corpore quãto, manente etiam priore positione, & id quidem nõ solùm per negationem termini, sed etiam posito termino, cui scilicet præsenti, posset fieri commensuratio, seu coextensio alterius corporis, possibile esset Deum conseruare quantum, & coexistentiam eius ad aliud quantum, & tamen sine coextensione partium vnius ad partes alterius, quam dicit positio ista, de qua loquimur. Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q.* 1. *n.* 14. Quod probat *ibidem n.* 15. *Quæcunq; natura contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis simpliciter, se habet contingenter ad totum genus, intelligo enim simpliciter, quasi non est necessario ex causa intrinseca. Hæc videtur satis manifesta, quia si esset vna natura, & à causa intrinseca, determinaret sibi tale genus, necessariò determinaret sibi aliquam speciem talis generis, quia vna natura non habet intrinsecè ad opposita disiuncta necessitatem, quin habeat necessitatem ad aliquod vnum illorum;* Et per hoc soluitur instantia de numero, qui quidem est par, vel impar necessario, nec tamen necessariò alterum illorum. Instantia enim illa est de aliquo communi respectu passionis disiunctæ, loquimur autem de aliquo singulari, quod necessariò respicit determinatam speciem, si necessariò respiciat genus. Soluitur quoq; instantia de superficie, quæ necessariò est coloratã, & tamen contingenter se habet ad hunc vel illum colorem, quia talis necessitas non inest superficiei, ab intra; non e-

enim posset inueniri intrinseca ratio per quam esset contradictio ex parte superficiei, si esset sine colore, sicut contingentia est respectu cuiuscunq; coloris. Suppositá Maiore addit Minorem. Sed corpus se habet contingenter ad quamcunq; positionem partium in loco: patet quia possum mouere corpus meum à quacunq; positione ad aliam. Ergo corpus habens positionem partium in toto, non simpliciter se habet necessariò ad positionem istam extrinsecam. Vnde inferiùs concludit stare posse ordinem partium inter se, sine coextensione ad locum. Hinc Collige Conclusionem Doctoris intentam in hoc discursu esse, quòd coextensio ad locum, non sit propria passio quantitatis, ac proinde posse manere subiectum sine tali modo essendi, ex definitione talis formæ, quæ potest adesse, vel abesse præter subiecti corruptionem.

Coextensio ad locum non est propria passio quantitatis.

Dico itaq; Corpus Christi Domini existens in Eucharistia, habet totam illam quantitatem, quam habet in cælo, non habet tamen modum quantitatiuum, seu positionem extrinsecam, & coexistentiam partis ad partem. Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q*, 1. *n.* 12. Prima pars Probatur, quia corpus Christi Domini existit animatum in Sacramento; ad animationem autem requiritur, animatio, & organizatio, & figuratio, quæ inquit D. Subtilis tota non potest esse à forma corporeitatis, quæ dat tantùm distinctionem partium, substantialium. Ergo debet esse à quantitate, virtute cuius corpus illud habet partes organizatas, distinctas & ordinatas, tùm in toto, tùm inter se. Ex quo sequitur idem corpus non esse in Eucharistia ad modum substantiæ sine vlla ordinatione partium. Confirmat D. Subt. Vnum quodq; siue sit primus terminus transsubstantiationis, siue secundus, si tamen est ibi, habet proprietates suas, quæ sibi necessariò, & naturaliter conueniunt: vt V. G. si Deus crearet substantiam quantá, vel natura generaret substanriam quátam, vtriusq; productionis terminus primus esset substantia, & quantitas esset concomitans, & tamen tam in creata, quàm in genita substantia, quantitas haberet suum modum realem, sicut haberet, si primo modo terminaret aliquam mutationem. Ergo similiter hic habet suas proprietates, etiamsi ponatur tantùm concomitantes.

Corpus Domini est quantũ in Eucharistia.

Qhantitas ha bet suas proprietates.

mitanter. Confirmatur 2. Quia alia & alia habitudo ad agens, non variat naturam rei, hoc est prima, vel secunda, mediata, vel immediata, dummodò producatur, quia & habitudo ad aliud agens, non variat naturam rei. Ergo neq; quantitas carebit suo modo naturali, & intrinseco, ex eo solùm, quia non est primus terminus transsubstantiationis, dummodò sit ibi realiter, modus autem ille naturalis & intrinsecus, est ordo partium, tùm in toto, tum inter se, vt sequatur debita organizatio, & figuratio, quæ reddat corpus capax animationis.

Habitudo non variat naturam rei.

Quid modus naturalis.

Secunda pars patet, Quia corpus Christi Domini totum existit sub parua hostia, quod tamen fieri non posset, si quantitas haberet suum modum quantitatiuum, & dimensiuum.

Obiicies 1. Quantitas præstat diuisibilitatem. Sed modus iste est indiuisibilis. Ergo. Respondeo Quod præstet diuisibilitatem subiecti, non spatii: & sic corpus Christi Domini, est diuisibile secundùm se, non secundùm locum. Eodem modo soluitur de figura: quia corpus Christi Domini indiuisibiliter existens, est figuratum figurâ intrinsecâ, & organicâ, non locali situali, & extrinsecâ, hæc enim est separabilis à priore, vt constat in manu extensa, & plicata, diuersam figuram extrinsecam, vt sic habente, eandem tamen organicam, & intrinsecam retinente.

Quomodo quantitas præstat diuisibilitatem.

Obiicies 2. Si sic sequeretur non plus distare pedem à manu, quàm brachium. Sed hoc est inconueniens. Ergo. Respondeo Quòd plus distabit distantiâ quantitatiuâ intrinsecâ, sed non plus distabit distantiâ extrinsecâ, & situali.

Obiicies 3. Caput non potest esse extra collum, V. G. quin ibi designari possit, vbi designari non potest collum: Sed hoc dicit positionem extrinsecam. Ergo positio intrinseca non potest esse sine extrinseca.

Respondeo Nego maiorem, quia per positionem intrinsecam, caput erit extra collum, & tamen vbi erit caput, ibi erit collum, quia ibi, & vbi, dicunt rationes loci. Eadem ratione caput non erit sursum, neq; pedes deorsum, quia sursum & deorsum, sunt differentiæ situs. Collige Si spiritus naturâ suâ existat indiuisibiliter cor-

Ibi & vbi dicunt rationem loci.

ter, corpus aliquod Diuinâ virtute, eo modo existere poterit, Vide Concil. Trident. *Sess.* 3. *c.* 1.

PETES *An quantitas corporis Domini, ponatur hic vi verborum?*

Respondeo Non poni vi verborum, sed solùm concomitanter. Ita D. Subt, *in* 4. *d.* 10. *q.* 4. *n.* 15. vbi duos modos assignat ponendi corporis Christi Domini quantitatem in Eucharistia. Primus modus est, ponendo corpus Domini quantum in Sacramento, non quidem quantitate ibi præsente, sed quantitate afficiente idem corpus in cælo existens, & ibidem præsente, verùm huic modo penitùs non adhæret. Alium modum ponit, nimirum Corpus Christi Domini esse quantum in Sacramento per quantitatem ibi præsentem, non tamen primò, & vi verborum, sed concomitanter, idque ad tollendam contradictionem, quæ vitari non posset, nisi omnis forma absoluta afficiens corpus Christi Domini in cælo, afficeret consequenter illud idem in Sacramento: contradictio enim est, vnum & idem, respectu eiusdem simul esse, & non esse, hoc autem ita esset, quia eadem quantitas, respectu eiusdem corporis, simul esset, & non esset: neque valet recursus ad varia vbi, quia absolutum naturaliter prius inest, cui inest, quàm respectus. Hinc. Quantitas ponitur per concomitantiam.

Collige Quæcunque conueniunt corpori Christi Domini in cælo existenti, conueniunt etiam per quandam secundariá concomitantiam eidem corpori existenti in Eucharistia.

QVÆRES SEPTIMO.

An totus Christus Dominus sit sub singulis partibus specierum, & in omnibus indiuisibilibus earum?

Nota Ad intelligentiam difficultatis, vel esse sermonem de singulis partibus specierum, post earum diuisionem, vel ante earum diuisionem, & quidem post diuisionem, ita vt partes illæ sint diuisæ ante consecrationem, & postmodùm, vel distinctis consecrationibus, vel vna, duntaxat consecrétur. Ante diuisionem verò, vt videlicet considerando totam aliquam hostiam cùm omnibus suis partibus continuis, dicamus totum ibi esse Christum Dominum, & to- Declaratur status difficultatis.

& totum in singulis partibus: & quia partes illæ sunt diuisibiles in infinita iuxta naturam continui, dicamus vlterius totum Christum Dominum esse in illis partibus in infinitum, nec non vlterius in omnibus eius superficiebus, lineis, & punctis, quæ omnia sunt infinities infinita, ea propter sit totus Christus Dominus in Eucharistia infinities infinitè. Difficultas itaq; procedit de partibus continuis. Dicunt enim aliqui Christi Domini corpus esse quidem totum, & semel in tota hostia, non verò in singulis partibus ante diuisionem, licet sit post diuisionem. Exemplificant de imagine repræsentata in speculo, quæ tantùm est semel in toto speculo, licet sit pluries in speculo fracto, & diuiso. Dicunt alij totum Christi Domini corpus esse etiam in singulis partibus ante diuisionem, in quo iam omnes conueniunt, sed difficultas est, an ita sit in singulis partibus illis, vt sit etiam in infinitis, seu in illis in quas est diuisibilis in infinitum? Putant itaq; aliqui hostiam non esse diuisibilem in infinitum substantialiter, sed tantùm mathematicè, quia etiam panis, qui est totum aliquid homogeneum, non est hoc modo diuisibilis, sed habet certum terminum paruitatis, vltra quem consistere non potest substantia panis, & iuxta hanc opinionem, corpus Christi Domini erit tantùm in illis partibus, in quibus saluari potest adhuc substantia panis, non autem in illis minimis in quibus eadem substantia saluari non potest. Ita Sanctus Bonauentura *in 4. d. 10. 1. parte distinctionis art. vnico. q. vnica* contra quem insurgunt Suarez. disp. 52. Sect. 2. Vasquez *disp.* 188. *c. 3. & contra Alexandrum* Alensem, imò & contra D. Subtilem, sed an meritò, quiuis legendo scripta eorum, facilè iudicare poterit.

Totus Christus est in singulis partibus.

Dico 1. Corpus Christi Domini totum est in singulis partibus consecratis, post diuisionem. Ita Trident. *Sess.* 13. *Can.* 3. his verbis. *Si quis negauerit in venerabili Sacramento sub vnaquaq; specie, & sub singulis cuiusq; speciei partibus separatione factâ, totum Christum contineri, anathema sit.* Idem definitum fuit in Concil. Florent. *in decreto Eugenij*, cuius veritatis præcessit figura in manna teste S. Hilario: *nam qui plus colligerat, non habuit amplius, neq; qui minus parauerat, habuit minus, non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus*

Corpus Domini est totum in singulis partibus post diuisionem.

Sacra-

Sacramenti Spiritualis. Hoc idem docet S. Basilius in Epist. ad Cæsaream dicens. *Idem est virtute, siue vnam partem quis accipiat, siue plures.* Confirmatur ex Prosa de corpore Christi Domini, vbi dicitur, *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Ratio est, quia Sanguis Christi Domini fuit sub singulis partibus vini post diuisionem, in ipsa institutione, quia diuisus est calix post consecrationem. Ergo idem debet dici de corpore. Deinde consecratâ hostiâ, consecrantur omnes eius partes integrantes. Ergo sub illis est totus ibi Christus; non enim existit in Sacramento per partes, & commensuratiuè. Insuper omnes etiam minimæ particulæ diligenter colliguntur. Ergo in illis continetur corpus Christi Domini. Quòd si dicas particulæ sunt aliquando ita paruæ, vt omninò effugiant sensus. Respondeo quòd ista insensibilitas nihil obstet, quo minùs in illis sit corpus Domini, sunt enim illæ particulæ per se sensibiles, & insensibiles tantum per comparationem ad sensus.

Dico 2. Verissimum esse totum corpus Christi Domini esse sub singulis partibus hostiæ consecratæ, etiam ante diuisionem. Etiam ante diuisionem.
Est ferè communis Theologorum, quam S. Bonauentura *loco citato.* & Alensis 4. *p. q.* 40. *membro* 3. *art.* 5. probant authoritatibus, & rationibus. Authoritas est S. Hilarij, quæ habetur *de consecr. dist.* 2. *Vbi est pars corporis, ibi est & totum, &c.*

Prima ratio sumitur ex fractione, & diuisione hostiæ: fractâ 1. Ratio ex fractione.
enim hostiâ, Christus Dominus est totus sub singulis partibus. Sed constat quòd non est ibi, nisi virtute consecrationis. Ergo cùm cõsecrata esset hostia ante fractionem: nec fractio pertinet ad consecrationem, sequitur quòd ante fractionem, sicut & post, erat totum corpus Domini sub singulis partibus specierum. Ita Innocentius Tertius.

Secunda ratio sumitur ex conuersione: quia corpus Christi 2. Ratio ex conuersione.
Domini in Sacramento est per transubstantiationem panis in ipsû. Sed quælibet pars panis est panis, quia est totum homogeneum. Ergo quælibet pars panis conuertitur in totum corpus. Quare Innocentius inquit, *Ego sanè concesserim, quòd totalis panis, in totale corpus*

conuertitur; ita tamen quòd nulla pars panis in aliquam partem corporis transit.

3. Ratio est ex vtilitate fidei.

Tertia ratio est ex vtilitate fidei, & vitatione erroris: quia si totum corpus Christi Domini contineretur sub tota specie, & non sub qualibet parte, credi posset partem contineri sub parte, sicut totum sub toto, & ita frequenter sequeretur error, scilicet quod corpus Domini esset commensurabile hostiæ, per correspondentiam partium vnius, partibus alterius, & quòd Christus Dominus conuerteretur in partem, sicut pars continetur sub parte. Hæc ratio est S. Bonauenturæ, & Alexandri *locis citatis*.

4. Ratio est ex veritate & significatione Sacramenti.

Quarta ratio est ex veritate, & significatione Sacramenti: nam corpus Christi Domini continetur in Sacramento, vt signatũ in signo. Sed ratio significandi est vniformiter in partibus, & in toto. Ergo ad veritatem Sacramenti spectat, quod corpus Christi Domini sit in partibus, & in toto. Et hæc ratio est Sancti Bonauenturæ, & Alensis ibidem.

5. Ratio philosophica.

Quinta ratio est Philosophica. Designetur aliqua pars hostiæ, aut ibi est totum Corpus, aut pars; si totum, habetur intentum; si pars tunc diuidatur, aut est pars; aut est totũ; si pars. Ergo Christus est diuisus; si totum, & priùs non erat. Ergo plus continet hæc pars hostiæ, quàm priùs. Ergo de necessitate est aliquid ibi conuersum in partes, quòd priùs non fuerat.

6. Ratio.

Sexta ratio est ex ratione philosophica. Excellentiori modo est corpus Domini in Sacramento quàm spiritus: Spiritus enim solùm est in vno loco; at corpus Domini est præsens pluribus. Ergo si spiritus est ita in toto, quòd etiam sit in qualibet parte, multò magis corpus Domini.

Aduerte quòd multa hic congerunt de partibus minimis in toto homogeneo. Sed D. Subt. *in 2. dist. 2. q. 9. n. 15.* negat illas dari, ac proinde hostiam consecratam esse in infinitum diuisibilem, tam mathematicè, quàm physicè, & consequenter corpus Christi Domini contineri sub illis partibus in infinitum diuisibilibus, & sic in finities, sed potentia solùm, non actu; quia partes illæ sunt tantùm potentiá diuisibiles in infinitum.

Obiicies

Obiicies 1. Non potest modus explicari, quo corpus Christi Domini est totum in tota, & totum in singulis partibus hostiæ consecratæ; nam alij dicunt semel, alii pluries, alii infinities.

Respondeo Posse explicari per eum modum, quo anima est in corpore, vel Angelus in loco: & in qualibet hostia esse semel, seu per modum vnius actu, esse tamen pluries, seu infinities in potentia; non quòd corpus Christi Domini non sit actu præsens singulis partibus hostiæ consecratæ, sicut anima est actu præsens partibus corporis, sed quia illæ præsentiæ, tùm fundantur in eodem corpore, tùm terminantur ad eandem hostiam actu vnam, & indiuisam, & constituunt vnam totalem & adæquatam præsentiam.

Modus explicatur quo corpus Domini est in Eucharistia.

Obiicies 2. Intentio consecrantis, non respicit singulas partes hostiæ: Ergo sub illis non continetur totum corpus Domini.

Respondeo Non respicit explicitè concedo, implicitè nego: nimirum ex eo quia hostia, quam respicit componitur ex talibus partibus.

Exemplum in Notando allatum de speculo, est contra aduersarios; nam imago est pluries in speculo, cadit enim in quodlibet punctum speculi. Et sic falsum est, quòd illa semel tantum repræsentetur in speculo integro; & pluries in fracto, quia nec in integro, nec in fracto speculo repræsentatur imago obiecti, sed ipsummet obiectum, quod quidem immediatè causat visionem sui, vel per lineam rectam, quando in seipso videtur, vel per reflexam, quando videtur in speculo. Quòd autem obiectum semel tantùm, & vt vnum videatur in speculo integro, id facit continuitas speculi: quando autem videtur pluries in speculo fracto, id procedit ex fractione, & discontinuitate eiusdem speculi, à quo vt sic, non potest esse vna continua reflectio.

Exemplũ de speculo contra aduersarios.

Dico 3. Corpus Christi Domini existit sub omnibus indiuisibilibus hostiæ consecratæ, nimirum sub omnibus superficiebus, lineis, & punctis, non primò, sed secundariò & consequenter. Hæc

Corpus Domini existit sub omnibus indiuisibilibus.

Conclusio sequitur ex Doctrina D. Subt. de modo, quo Angelus est in loco *in 2. dist. 2. q. 6. n. 12.* vbi vult ita eum esse in loco, vt sit in omnibus indiuisibilibus loci : coexistentia enim Angeli in loco, nõ esset continua, si Angelus non esset in indiuisibilibus loci, cũ ergo corpus Christi Domini sit in hostia, ad modum quo Angelus est in loco, non potest intelligi esse continuè in hostia, nisi sit in omnibus indiuisibilibus eius. Confirmatur 1. exemplo Angeli coexistentis tempori nostro, cui quidem non posset coexistere continuè, nisi coexisteret omnibus indiuisibilibus eius. Confirmatur 2. exemplo animæ rationalis, quæ non potest continuè informare corpus, nisi consequenter informet omnia indiuisibilia corporis consequẽter enim & non primò informat indiuisibilia.

Dices 1. Ibi est corpus Christi Domini tantùm, vbi præfuit substantia panis, Sed substantia panis non præfuit sub indiuisibilibus quantitatis Ergo sub illis non est corpus Christi Domini. Respondeo Distinguo Minorem. Non præfuisse primò, & per partes suas, sed præfuisse per sua extrema: sicut enim priùs partes panis, correspondebant partibus quantitatis, ita etiã in diuisibilia, seu extrema substantiæ panis correspondebant indiuisibilibus, seu extremis partium eiusdem quantitatis.

Dices 2. Quando frangitur hostia consecrata, consurgunt duo extrema. Ergo sub illis incipit esse corpus Domini ; & non vi consecrationis. Ergo corpus Christi Domini potest esse de nouo alicubi non vi consecrationis.

Respondeo Sicut fractã hostiã, corpus Christi Domini incipit fieri præsens, distinctis & separatis vbi, si partes illæ in diuersis, & distinctis locis collocentur, cùm tamen priùs esset præsens vni vbi; sic fracta hostia, potest esse præsens quibusdam extremis, quibus antea præsens non erat, & hoc ex vi consecrationis, quæ postulat, vt quomodocunq; se habeat hostia consecrata, siue sit fracta, vel integra, vel quiescens, vel mota, semper sub illa consistat, corpus Christi Domini. Quando verò dicitur nullibi posse poni corpus Domini, nisi vi consecrationis, hoc intelligendum est de positione primò, & per se, non autem consequente,

QVÆ-

QVÆRES OCTAVO.

An corpus Christi Domini possit esse præsens in Sacramento sine mutatione locali?

Nota 1. corpus Christi Domini nõ esse localiter in Sacramento, vt communiter docent *in* 4. *d.* 10. quia in loco esse contingit vel circumscriptiuè, vel definitiuè. Non circumscriptiuè, quia illud est in loco circumscriptiuè, quod circumscriptiuè à loco, eiq; coextenditur, ita vt principium, medium, & finis eius correspondeat principio, medio, & fini loci. Sed corpus Christi Domini nõ est sic in Sacramento: non enim est per vbi intrinsecum, quod quidem nihil aliud est, quàm præsentia quantitatiua connaturalis corpori quanto: Sed præsentia Sacramentalis non est præsentia quantitatiua, connaturalis corpori Christi Domini, sed alia specie distincta ab ea, non etiam per vbi extrinsecum, quia vel illud esset ipsa quantitas, seu species panis. Sed neq; hoc, quia corpus Christi Domini, non est sub illa quantitate, tanquam in loco, sed tanquam in signo, & per modum substantiæ, intimè sub ea quantitate existentis: vel esset extrinseca superficies aeris ambientis species panis. Sed neq; hoc, quia superficies illa non comparatur ad corpus Christi Domini per propriam quantitatem, sed per alienam sibi non inhærentem, scilicet per quantitatem panis, qui præfuit, & ideò non est propriè locus eius. Quòd autem neq; sit definitiuè patet, quia illud est in loco definitiuè, quòd ita est hic, vt non sit alibi, nõ tamen spatio illi coextenditur, sed est totus in eo toto, & in singulis partibus. Sed corpus Christi Domini non est sic definitiuè, quia non est in hoc altari ita, vt non possit esse simul in pluribus aliis nõ tamen est vbiq; per imensitatem, quia sic solus Deus est vbiq;. Potest tamen corpus Christi Domini dici esse in loco, quia verè est in altari præsens substantialiter. & vt sic fundare potest respectus propinquitatis, & distantiæ, & denominationes illas loci, nempe vbi, ibi, hîc & alibi, alicubi &c. corpus enim Christi Domini dicitur esse hic, ibi, alicubi, vt in multis locis D. Subt. insinuat, & hoc

In loco contingit esse, vel circumscriptiuè vel definitiuè.

Non est circumscriptiuè.

Neque definitiuè.

Potest dici esse in loco.

vbi Sa-

vbi Sacramentale, reducit aliquomodo ad vbi prædicamentale. Quòd si dicas, omne corpus quod est alicubi, ita vt non excedat, nec excedatur ab eo, in quo est non est tantùm localiter, sed etiam conterminatiuè seu circumscriptiuè. Sed ita est corpus Domini in Sacramento. Ergo circumscriptiuè. Respondeo Non omne quod est alicubi conterminatiuè, est circumscriptiuè, quia si sumatur conterminatiuè negatiuè, id est, quod nec excedit, nec exceditur, non est circumscriptiuè; si autem sumatur positiuè, ita vt significet primum correspondere primo, & vltimum vltimo, sic conterminatiuè est circumscriptiuè. Sed sic corpus Christi Domini non est in Sacramento conterminatiuè, quia nulla est correspondentia partium eius, partibus hostiæ.

Nō omne quod est contermi-natiuè est circum-scriptiuè.

Nota 2. Ex D. Subtili *in 4. d. 10. q. 1 n. 9.* Quòd quando corpus mouetur de loco ad locum, & expellitur aliud corpus, cōmuniter sunt ibi 4. motus, vel mutationes, & octo termini; duæ scilicet in corpore expellente, & duæ in corpore quod expellitur; quia corpus expellens mouetur ab vbi suo, ad priuationem eius, idem etiam corpus mouetur à carentia secundi vbi, ad illud idem vbi secundum, & ista mutatio, dicitur mutatio acquisitiua vbi noui. Similiter duæ sunt mutationes, & quatuor termini circa corpus quod expellitur. Si autem moueretur aliquod corpus, & non expelleret aliud corpus de loco suo, iam non essent ibi nisi duæ mutationes, & ambæ in ipso corpore moto, vna scilicet deperditiua prioris vbi, & alia acquisitiua noui vbi. Si verò corpus nō recedens à priori vbi, fieret præsens de nouo alibi, tunc esset tantùm vna mutatio, scilicet à priuatione noui vbi ad illud nouum vbi, & hæc esset acquisitiua, & non deperditiua, quia talis mutatio non fieret à priori vbi, ad eius carentiam. Quare si nulla istarum mutationum admittatur, non est intelligibile, quòd corpus aliquod sit, vbi non fuit priùs, quin aliqua sit mutatio.

In motu corporis plures motus, & termini.

Nota 3. Corpus Christi Domini existens in Sacramento, non perdit illud vbi, quod habet in cælo, teste S. Aug. dicente, *Donec finiatur seculum sursum est Dominus* intelligendo id regulariter, potest enim Deus ex aliqua gratia speciali efficere, vt Christus Dominus

Corpus Domini in Sacramento non perdit illud vbi in cælo.

minus descendat localiter, sicut multis Sanctis apparuit visibiliter: oportet nihilominùs ponere ad saluandam realem præsentiam corporis Christi Domini hîc, quòd in ipso sit aliqua præsentia ad species, quæ non fuit priùs, alioquin non magis essent præsens hîc, quàm priùs, illa autem mutatio, quæ est circa species, scilicet quod nunc non sint in subiecto, cùm priùs essent in subiecto, nihil confert ad hoc, vt corpus Christi Domini de non præsente, fiat realiter præsens in Sacramento, vt patebit.

Non fit præsens per conuersionem

Dico 1. Non fit præsens in Sacramento corpus Christi Domini, per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Ita D. Subt. *in 4. d. 10. q. 1. n. 5. 6.*

Probatur 1. Conuersio panis in corpus Christi Domini est actio substantialis habens pro per se termino ad quem substantiam. Ergo actio illa non habet pro per se termino præsentiam. Quod probatur, quia per nullam mutationem habetur per se illud, quod est posterius suo per se termino, sed habetur tantùm per se tenùs talis mutationis. Sed hæc præsentia est quid simpliciter posterius substantiâ corporis Christi Domini, quæ substantia est per se, terminus conuersionis; vt de se patet: non enim talis præsentia est prior essentialiter, quia substantia corporis, potest esse sine huiusmodi præsentia, nec est etiam simul naturâ, quia tunc non posset ista præsentia destrui, nisi destrueretur substantia, quod falsum est. Ergo præsentia corporis Christi Domini non habetur per se, per conuersionem, seu transsubstantiationem. 2. Quod conuertitur in aliquod præexistens, potiùs acquirit conditiones eius, quàm è conuerso nam si nutrimentum conuertatur in carnem, potiùs animatur animâ carnis, quàm caro informetur forma eius; & in vniuersum potiùs acquirit conditiones absolutas, & respectiuas carnis, quàm è conuerso. Ergo ex sola conuersione panis in corpus Christi Domini præexistens, potiùs acquirit panis conuersus, præsentiam in cælo, quàm corpus Christi Domini præsentiam speciei panis in altari. 3, Deus potest facere corpus Christi Domini præsens in Sacramento, manente substantiâ panis, & tunc non fiet præsens per aliquam mutationem, quæ sit ad substantiam, vt ad

Poſſet eſſe corpus Domini cum pane.

per ſe terminum, & tamen per iſtam mutationem acquireretur Præſentia eiuſdem rationis cum illa, quæ nunc acquiritur. Ergo id fieret per mutationem eiuſdem rationis, Ergo non per mutationem ſubſtantialem. Maior patet, *quia ad nouitatem poſterioris, non ſequitur nouitas prioris*. 8. *Phiſ.* vbi vult Arles, quòd in cælo poteſt eſſe motus ſecundùm vbi, licet non ſit ibi aliqua nouitas ſecundùm formam abſolutam. Ratio eſt, quia vbi eſt quidam reſpectus extrinſecus adueniens, & non forma abſoluta: Sed præſentia iſta, eſt poſterior ſubſtantia panis, ſicut reſpectus eſt poſterior abſoluto, præſertim ſubſtantiali. Ergo ſine mutatione aliqua circa ſubſtantiam panis, poteſt eſſe noua præſentia corporis ad panem. Ergo oportet dare mutationem aliquam ad huiuſmodi præſentiam, quæ non ſit ſubſtantialis, & per conſequens in propoſito per tranſubſtantiationem, non habetur iſta præſentia, quia terminus eiuſdem rationis, cuiuſmodi eſt præſentia, non propriè, & per ſe eſt terminus duarum mutationum diſtinctarum ſecundum genus. 4. Si conuerteretur panis quantus in corpus Chriſti Domini quantum ita vt quantitas in quantitatem, & ſubſtantia in ſubſtantiam conuerteretur, corpus Chriſti Domini quantum, non haberet illud vbi circumſcriptiuè. Ergo ex conuerſione ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſubſtantia corporis Chriſti Domini, non habet illud vbi definitiuè, quod erat ſubſtantiæ panis definitiuè. Antecedens patet, quia non poſſet illud quantum. nempe Corpus Chriſti Domini, eſſe circumſcriptiuè in loco panis, cum ſit maius pane. Conſequentia probatur, quia ſicut ſubſtantia, & ſubſtantia, quæ ſubſunt quantitati ſe habent ad locum definitiuè; ita ſubſtantia quanta & ſubſtantia quanta, ſe habent ad locum circumſcriptiuè. Ergo quod conuerſio ſubſtantiæ in ſubſtantiam facit ad eſſe definitiuè in loco, illud idem conuerſio ſubſtantiæ quantæ in ſubſtantiam quantam faciet ad eſſe circumſcriptiuè in loco.

Corpus Domini ſit præſens per mutationem realem.

Dico 2. Corpus Chriſti Domini ſit præſens in Sacramento per mutationem aliquam realem; non tamen per mutationem localem. 1. Pars patet, quia non ſit tranſitus à contradictorio, abſque mutatione reali. Sed mutatio ſpecierum, & mutatio ſubſtantialis

panis in

panis in corpus Christi Domini; est impertinens ad rationem præsentiæ, vt probatum est. Ergo debet esse aliqua alia mutatio: illa autem non est ad aliquam formam absolutam, sed ad respectum extrinsecùs aduenientem. Ergo. 2. Pars probatur, tùm quia mutationem ipsam non concomitatur alia deperditiua prioris vbi, vt contingit communiter in motu locali: nam corpus Christi Domini existens in Sacramento, semper manet in cælis: tùm etiam quia hîc propriè terminus istius mutationis, non est vbi; nam in termino mutationis, corporis Christi Domini, non habetur hîc propriè vbi, sed terminus est quædam præsentia simplex ipsi speciei, vera tamen, & realis, terminus autem mutationis localis propriè acceptæ, est ipsum vbi. Ergo corpus Christi Domini, est in Sacramento sine mutatione locali. Hinc. Qualis terminus hic acquiritur.

Collige Corpus Christi Domini fieri hîc præsens per conuersionem, non tanquam per propriam, & formalem per se mutationem, sed per mutationem concomitantem ex pacto, & voluntate Diuina.

ARTICVLVS VI.

De iis quæ Christus Dominus agere, vel pati potest, vt existens in Sacramento Eucharistiæ.

Nota 1. Actiones aliæ sunt immanentes, aliæ transeuntes: immanentes sunt quæ recipiuntur in agente, & in eo manent, & hæ in homine, aliæ sunt corporeæ, vt sensationes, aliæ spirituales, vt intellectiones & volitiones. Transeuntes dicuntur, quæ non remanent in agente, sed transeunt in aliud, vt calefactio V. G. quæ ab igne egrediens transit in lignum. Actiones aliæ immanentes aliæ transeuntes.

Nota 2. Duobus modis potest inesse aliquid Christo Domino. Primò nimirum, & concomitanter. Primò inest, quòd ita inest, vt absolutè inesset, etiamsi Christus Dominus non esset alibi concomitanter verò, quando inest tantùm Christo Domino existenti Sacramentaliter, propterea quòd insit illi, vt alibi existenti & hoc propter identitatem subiecti, & formæ. Inest alicui aliquid Primò & concomitanter.

Dico 1. Omnis operatio quæcunque sit illa, quæ inest Christo

Omnis operatio quæ inest in cælo inest in Sacramento.

existenti in cælo, inest concomitanter eidem vt est in Sacramento. Ita D. Subt. *in* 4. *dist.* 10. *q.* 5. Probat 1. Sic, nullum absolutum desinit esse in aliquo, propter nouum respectum extrinsecùs aduenientem. Sed operatio est forma absoluta, vt probatur alibi. Ergo propter præsentiam Sacramentalem, quæ est nouus respectus extrinsecùs adueniens, non desinit illa operatio inesse suo subiecto. Quòd si dicas ad operationem requiri necessariò, præsentiam obiecti propter terminationem. Negatur id absolutè, præsentia enim obiecti requiritur tantùm propter causationem, ita vt quando est, aliqua causa sufficiens ipsius actus, non requiritur præsentia obiecti propter terminationem, vt patet de vidente creaturam in essentia Diuina: dato, enim quòd illa sit causa visionis creaturæ, non requiritur creatura, ad quam terminetur hæc visio præsens propriâ præsentialitate. Probatur 2. Principaliter, quia passio appetitus sensitiui, vt potè dolor, eadem infuisset hîc, & alibi. Ergo sensatio eadem. Antecedens probatur, quia mors sequuta fuisset Christi Domini existentis Sacramentaliter, sicut & existentis naturaliter: in existentia autem naturali, mors sequuta fuisset ad dolorem immoderatum. Ergo & in existentia Sacramentali. Consequentia prima probatur, quia secluso miraculo, & loquendo de causa naturali præcisè, nunquam est idem effectus, sine eadem causa. Sed dolor est sensationis effectus, vel obiecti, immediatè sensati. Ergo non potest esse idem dolor sine eadem sensatione: & quidem si quis consecrásset tempore passionis, Christus Dominus existens Sacramentaliter, eosdem dolores sensisset, atq; existens in cruce: Vnde patet omnem operationem etiam sensitiuam, conuenientem Christo Domino naturaliter existenti conuenire quoq; eidem Sacramentaliter existenti, non quidem primò, sed concomitanter.

Passio eadem quoque inesset

Probat 3. D. Subt. efficaciter, operatio inquit est perfectio potentiæ operatiuæ, & in ipsa consistit beatitudo ipsius potentiæ, ipsam etiam consequitur delectatio, proportionata perfectioni operationis, vt constat ex 10. *Ethic.* Ergo si oculus Christi Domini, vt in Sacramento, careret visione, quam habet in cælo, careret hîc suâ propriâ perfectione, & consequenter suâ beatitudine, eo modo, quo

visus

visus dicitur beatificabilis, careret etiam delectatione consequente illam operationem perfectam, & tunc sequeretur, quòd oculus Christi Domini, vt in Sacramento, esset miser, & cum dolore, & tristitia; quod enim tollit delectationē, est dolorosum & triste, quod tamen nullus admittit.

Dico 2. Nulla sensatio competit Christo Domino vt in Sacramento: potest tamen inesse de potentia absoluta, & per nouum miraculum. I. Pars patet, tùm quia in Sacramento organum Christi Domini, non habet modum extensum, sub quo, & non aliter est receptiuum sensationis. Tùm quia nullum obiectum est illi præsens in Eucharistia, quantùm ad rationem agendi localiter, quomodo Christus Dominus, vt in Eucharistia nulli agenti est præsens, non enim est magis præsens hîc alicui corpori in ratione pasși quàm si Angelus esset hîc. Ergo nulla sensatio potest illi inesse primò vt in Eucharistia, virtute miraculi quo in ea ponitur. Et hoc intelligendum est, tam de sensationibus internis, quàm de externis, omnes enim sunt materiales, requiruntq́; organa materialia & diuisibilia. Secunda pars probatur, quia nulla apparet contradictio, quin manente organo Christi Domini secundùm modum inextensum, posșit illi Deus imprimere species obiectorum, propinquorū, vel eleuare obiecta propinqua, vt producant illas species, vel eleuare virtutem actiuam, ocul. V. G. vel alterius sensus, & sic per nouum miraculum efficere, vt Christus Dominus etiam primò in Eucharistia eliciat sansationes aliquas, tam internas, quàm externas.

Non inest sensatio vt in Sacramento.

Per potentiam absolutam posset inesse sensatio.

Dico 3. Intellectio & volitio inest primò Christo Domino, vt est in Eucharistia. Probatur Sicut Angelus alicubi existens, potest intuitiuè intelligere obiectum sibi proportionaliter præsens: ita anima Christi ibidem existens potest illud obiectum intueri. Ergo anima Christi Domini, vt in Eucharistia potest intuitiuè intelligere illa intelligibilia, quæ sunt illi præsentia vt in Eucharistia, & sic potest intuitiuè videre Angelum hîc præsentem & animam Sacerdotis, hæc autem intuitio inest animæ Christi Domini primò, vt est hîc, quia non inest illi primò, vt est in cælo, supposito quod nimia di-

Intellectio & volitio inest primò in Sacramento

mia distantia impediat intellectionem intuitiuam creatam: sicut enim Angelus existens in cælo, intuitiuè non videt, quidquid præsens hîc videt intuitiuè, Hinc

Collige 1. In die cœnæ Domini, si quid intelligebat Christus Dominus in Eucharistia, intelligebat tantùm concomitanter, quia illud intelligebat, vt existens naturaliter, quandoquidem nihil tūc intelligere poterat, nisi dependenter à sensibilibus, in Eucharistia verò nullus potest esse vsus sensibilium: præsens itaq; conclusio, intelligitur de existentia corporis Christi Domini in Eucharistia, post glorificationem corporis sui.

Collige 2. Christus Dominus vt est in Eucharistia, habet aliquam operationem intuitiuam primò, quam concomitanter habet in cælo, & sic existentia corporis Domini in Eucharistia non est ad imperfectionem, sed ad perfectionem, saltem accidentariam, & extensiuam.

QVÆRES PRIMO.

An aliquis motus possit inesse corporalis, Christo Domino existenti in Eucharistia?

Nota 1. Vltra motum propriè dictum ex 5. *Phys.* & mutationem, quæ est ad terminum substantialem, datur etiam quidam alius impropriè, & extensiuè dictus, qui reducitur ad aliquem istorum, vt est hîc, quo corpus Christi Domini adducitur in Sacramētum Eucharistiæ, qui quidem non est propriè motus, reducitur tamen ad motum localem.

Motus vel mutatio im propriè dicta.

Nota 2. Quæstio præsens procedit, vel de agente supernaturali, vel naturali, an nimirum possit imprimi motus aliquis corporalis ab hoc, vel illo agente, corpori Christi Domini existenti in Eucharistia. Putat Suarez 3. *p. d.* 48. *Sectione* 6. mutationem factam in corpore existente in aliquo loco, non recipi in eodem alibi existente solâ virtute agentis naturalis, sed virtute agentis supernaturalis, supplentis, & eleuantis virtutem illius agentis, & consequenter tenet, si quis consecrâsset corpus Christi Domini Bethlehem, dum ipse patiebatur Hierosolymis, non potuissent ei infligi

vulnera

vulnera, vt existenti Bethleem, virtute crucifigentium eum Hierosolymis, sed virtute Dei, virtutem eorum eleuantis. Contrarium docet D. Subt: *in* 4. *d.* 10. *q.* 2. *n.* 11. *&* *q.* 6. *n.* 2. quem sequitur Vasquez. *d.* 182. *c.* 4.

Dico 1. Conuenire potest motus propriè dictus, corpori Christi Domini existenti in Eucharistia saltem concomitanter ad omnem formam absolutam, cuius est capax in existentia naturali, non verò ad formam respectiuam. I. Pars patet, ex ratione allata in præcedenti articulo. Forma absoluta non variatur, neq; deperditur, propter solum respectum extrinsecùs aduenientem corpori cui inest. Ergo si corpus Christi Domini moueatur in existentia naturali, ad aliquam formam absolutam, concomitanter mouebitur ad eandem in existentia Sacramentali: V. G. si moueatur motu alterationis, puta ad calorem, vel frigus in existentia naturali, eodem motu mouebitur concomitanter in existentia Sacramentali. Hoc idem patet de mutatione aggenerationis, quæ fit per nutritionem, & similiter de corruptione, ita vt si corpus Christi Domini nutriretur, & corrumperetur in existentia naturali, nutriretur, & corrumperetur in existentia Sacramentali.

Potest ei conuenire motus ad formã absolutã.

Dices Sacramentalis existentia, non dependet ab existantia naturali. Ergo corpus Christi Domini posset incorruptum manere in existentia Sacramentali, etiamsi corrumperetur in existentia naturali.

Respondeo cum D. Subtili *in* 4. *d.* 10, *q.* 6. *n.* 7. Si corpus Christi Domini corrumperetur in existentia naturali secundùm esse substantiæ, corrumperetur & in Sacramento, non verò si desineret esse sub modo naturali secundùm existentiam naturalem, necesse est vt corrumpatur secundum modum Sacramentalem, quia desitio ista, non esset desitio simpliciter, sed tantùm secundùm modum existendi naturalem, modus verò existendi Sacramentaliter est omninò independens à modo existendi naturaliter, vt dictum est hîc. *art.* 2. *q.* 2. Hinc

Si corrum peretur corpus in existen tia natura li, corrum peretur, & in Sacra mentali.

Collige Quæcunq; imprimuntur corpori Christi Domini existenti in vno loco, etiam ab agente naturali, concomitantur ipsum.

psum vbicunq; & quomodocunq; existat ratione identitatis illius quantitatis & subiecti.

Secunda pars conclusionis patet, quia si corpus Christi Domini moueretur in cælo, non propterea moueretur concomitanter localiter in Sacramento, siquidem ibi non existit localiter.

Motus non inest ei ab agente creato primò.

Dico 2. Non inest vllus motus corporalis corpori Christi Domini, vt existenti in Eucharistia primò ab agente creato: bene tamen ab agente supernaturali.

Probatur quia corpus Christi Domini non est in Sacramento localiter, & consequenter nulli agenti creato est approximatum secundùm locum. Ergo ab agente creato, non potest inprimi motus aliquis corporalis primò corpori Christi Domini, vt est in Sacramento. Secunda pars patet, quia Deus non requirit corporum, in quæ agit approximationem, vel existentiam localem; æquè enim potest in indiuisibile, atq; diuisibile, & æquè in distans, ac propinquum, quia Deus respicit passum, vt est receptiuum termini: & sic potest imprimi à Deo motus alterationis primò, vel alius.

Potest inesse ei aliquis motus primò

Dico 3. Aliquis motus corporalis impropriè, & extensiuè dictus, potest inesse corpori Christi Domini, vt existenti in Eucharistia etiam primò, & non solùm concomitanter. Probat Doctor Subt. *loco citato. n. 3. Conc. 3.* Quia post consecrationem, vbicunq; est hostia, ibi verè est corpus Christi Domini. Ergo propter præsentiam corporis ad hostiam, quæ habet aliam & aliam præsentiá localem primò, ad aliud & aliud continens, sequitur quòd corpus Christi Domini habeat aliam & aliam præsentiam, ad aliud & aliud continens, hæc autem alia & alia præsentia, non est sine mutatione impropriè, & extensiuè sumpta, nempe reducibili ad mutationem localem. Ergo &c: & talis motus improprius inest primò corpori, & est in Eucharistia quia nullo modo corpus Christi Domini, vt est in cælo, habet istam præsentiam Sacramentalem. Hinc.

Collige Corpus Christi Domini de potentia absoluta, moueri posset sine speciebus, quia quòd sit sub speciebus, est ex ordinatione Diuina.

Dico 4.

Dico 4. Non potest corpus Christi Domini mouere seipsum, motu locali naturaliter. Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q.* 7. *ad* 4. dicens, quòd potentia illa motiua Christi Domini, quæ est organica, & corporalis, licet sit in corpore Christi, vt est hîc, tamen non potest esse principium actus sui in corpore, vt est hîc, quia requirit partem extra partem, non tantùm in toto, sed etiam in comparatione ad locum, ad hoc vt per vnam partem motam localiter, moueat aliam. Et infra, Non potest mouere corpus suum, vt est hîc, quia vt hîc illud corpus, non subest alicui potentiæ motiuæ, nisi Diuinæ immediatè.

Non potest moue re seipsum

Dico 5. Corpus Christi Domini non mouetur per accidés, ad motum specierum à Sacerdote illas deferente, sed mouetur immediatè à Deo. Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q.* 6. *n.* 45. 6. Probatur Illud solùm mouetur per accidens, ad motum alterius, quod est proportionatum virtuti motiuæ illius agentis, quod mouet ipsum alterum, & quod est cum ipso altero coniunctum, naturali quádam necessitate, seu sicut actus est in potentia, seu sicut est pars in toto: ita enim V. G. ad motum lapidis, mouetur per accidens, tùm grauitas, tùm albedo eius; quia vtraꝗ; ista qualitas est proportionata virtuti motiuæ illius mouentis; quod mouet lapidem, ac insuper est coniuncta lapidi naturali quadam necessitate, vel tanquam proprietas, vel tanquam accidens in subiecto. Sicut si Angelus voluntariè esset vnitus lapidi, non moueretur per accidés ad motum lapidis: tùm quia Angelus non est proportionatus virtuti talis mouentis: tùm quia Angelus nullá necessitate, sed sponte, & voluntariè est vnitus lapidi: quo fit vt moto ipso lapide, si Angelus moueatur, non mouebitur per motionem talis mouentis, sed per se ipsum immediatè, qui voluntate continuâ decernit se fieri præsentem isti lapidi, quocunꝗ; asportetur, & vbicunꝗ; existat. Ita in proposito, quia nec corpus Christi Domini Sacramentaliter existens, est proportionatum virtuti Sacerdotis mouentis species, nec est vnitum speciebus, naturali quadam necessitate, sed voluntate Diuiná. Ergo corpus Christi non mouetur per accidens, ad motum specierum à Sacerdote, sed immediatè à Deo. Non interuenit

A Sacerdote non mouetur Corpus Domini.

Ab exemplo probatur.

uenit autem hîc nouum miraculum, quia Deus eá voluntate, quâ instituit Eucharistiam in Ecclesia, determinauit facere corpus Christi Domini præsens sub speciebus post consecrationem, vbicunque sint, & quomodocunque asportentur illæ species.

QVÆRES SECVNDO.

An Christus Dominus in Eucharistia per virtutem aliquam naturalem, possit agere & transmutare aliquid à se?

Christus Dominus non potest vti potentia actiua corporea in Sacramento.

Dico 1. Non potest vti potentia actiua corporea Christus Dominus, vt in Eucharistia. Ratio est, quia omnis potentia actiua corporea, requirit passum, in quod agit approximatum sibi localiter. Sed potentia omnis corporea Christi Domini existentis in Sacramento, nulli potest approximari localiter. Ergo vt hîc non potest habere passum sibi approximatum eá approximatione, quæ requiritur ad actionem talis potentiæ. Maior habetur 7. *Phis. t. 8. & 9. comment.* Vbi probat, oportere omne agens corporeum esse approximatum passo, mediatè vel immediatè.

Dices Christus Dominus in Sacramento, habet potentiam actiuam corpoream, quæ ex 5. *Metaph* est principium transmutandi aliud in quantum aliud. Ergo in ipso est principium transmutandi aliud in quantum aliud.

Respondeo Nego Consequentiam, propter defectum modi existendi organici, cùm existat hîc indiuisibiliter, & sic hîc agere, non potest.

Dices 2. Christus Dominus in Eucharistia respirat; aliâs suffocaretur. Ergo habet hîc vsum potentiæ respiratiuæ.

Respondeo Sufficit quòd ad respirationem quam exercet in in cælo, pulmo eius hîc refrigeratur concomitanter ad hoc vt non suffocetur. Atque hinc colligitur quòd Christus Dominus in Eucharistia, non videat, neque audiat, neque tangat, nec respiret primò, benè tamen concomitanter, habetque effectus istarum operationũ virtute elicitionis earundem ab ipso, in cælo.

Potest exercere actus spirituales in Sacramento.

Dico 2. Christus Dominus in Eucharistia potest exercere actus omnium potentiarum spiritualium, nempe actum intelligendi &

di & volendi. Probatur, quia tales actus, non requirunt existentiam localem, vel modum existendi diuisibilem, eliciuntur enim ab Angelis, qui non existunt diuisibiliter. Addit D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q.* 7. *n.* 3. quòd posit anima Christi Domini vt existens in Sacramento, illuminare Angelum ibidem existentem, ipsumque alloqui, per manifestationem proprii conceptus, eo modo quo Angelus potest loqui alteri Angelo à se sufficienter distanti.

Dico 3. Potest vti Christus Dominus in Sacramento, potentia non organica. Nota D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q.* 7. *n.* 4. *&* *dist.* 49. *q.* 14. *num.* 4. admittit potentiam non organicam: sicut enim angelus habet potentiam motiuam non organicam, ita & anima intellectiua, per quam potest mouere seipsam ad aliquem terminum localem, nec non aliud à se: & talis potentia erit post resurrectionem in beatis, per quam corpora beatorum mouebuntur ab earum animabus localiter, & non progresiuè; mouebuntur quoque nō organicè, quia per aliquem totalem impulsum primò, & immediatè, mouebuntur omnes partes eorum, sicut mouentur omnes partes primò, & immediatè corporis, quod mouetur ab Angelis. Hoc præmisso probatur Conclusio, potentia ista non organica, est ex parte principii sui scilicet animæ, spiritualis. Ergo nihil obstat, quominùs in Sacramento liberum exercitium habere posit. Ergo corpus quodcunque existens iuxta species consecratas, nec non etiam species illæ, moueri possunt ab anima Christi Domini existente in Sacramento. Concludit itaque D. Subt. potentiam nō organicā Christi Dñi animæ, posse in actū suū prorūpere & corpus sibi approximatū mouere, nō tamen vult animā Christi Dñi corpus suum mouere, vt est in Sacramento, & hoc ex ordinatione Diuina.

Potest vti potentia nō organica.

Anima habet potentiam non organicā.

QVÆRES TERTIO.

An aliquis intellectus creatus, posit naturaliter videre existentiam corporis Christi Domini in Eucharistia?

Nota 1. D. Subt. hanc difficultatem resoluit *in* 4. *d.* 10. *q.* 8. *n.* 5. ante resolutionem ipsius: exponit istos tres terminos, *intellectus, videre, naturaliter*: nomine *intellectus*, potest intelligi, vel in-

Quid nomine intellectus.

tellectus coniunctus, tùm in via, tùm in patria, vel intellectus separatus; intellectus humanus coniunctus, & seperatus in patria, eodem modo intelligit, quo Angelicus independenter à phantasmatibus: intellectus autem coniunctus in via, intelligit dependenter à phantasmatibus. Per aduerbium *naturaliter*, intelligitur, quòd intellectus creatus possit cognoscere illud idem obiectum, concurrentibus causis naturalibus, non autem quòd possit cognoscere corpus Domini existens in Sacramento, ex sola natura sua. Per particulam *Videre* intelligitur intellectio intuitiua, non abstractiua: intellectio intuitiua, est cognitio rei vt in se est præsens: abstractiua verò est cognitio rei relucentis in similitudine, siue interim existat, siue non, siue etiam sit præsens, siue non. Procedit itaque quæstio: nimirum de intellectu coniuncto naturaliter: de intellectu coniuncto vel separato in beatitudine, & de intellectu separato naturaliter.

Per naturaliter.

Per videre.

Per fidem cognoscitur.

Nota 2. Non est dubium, quin corpus Christi Domini per fidem cognoscatur in Sacramento: imò & dæmones per fidem coactam, id est præmentem illos tot miraculis, & effectibus, assentire huic mysterio, sicut & multis aliis, iuxta illud, *Dæmones credunt & contremiscunt*.

Non potest videri intellectu creato naturaliter.

Dico 1. Non potest corpus Domini videri naturaliter pro statu viæ, vt est in Eucharistia, ab intellectu creato. Ratio est, quia intellectus pro statu viæ, non intelligit nisi ex sensibilibus: accidentia autem sensibilia sunt ei eodem modo præsentia, & omninò inuariata, postquam est corpus Christi Domini sub illis, sicut & antequam esset. Ergo hoc obiectum eodem modo intelligit. Sed antequam Christus Dominus esset sub accidentibus, intellectus noster pro hoc statu non poterat illum intuitiuè videre, quandoquidem ibi non erat. Ergo nec postquam adest, potest illum intuitiuè videre.

Collige ex Sancto Bonauentura *in 4. d. 10. q. vlt. ad 1.* suppositâ fide huius mysterij, per miracula, & signa posse intellectum nostrum conuinci de veritate præsentiæ, corporis Domini in Sacramento.

Dico 2. Visio corporis Christi Domini in Eucharistia, non

pertinet ad rationem obiecti beatifici. Probatur, quia corpus Christi Domini in Eucharistia, non est obiectum beatificum, nec inclusum in obiecto beatifico: solà enim essentia Diuina est obiectũ per se beatificum. Hinc.

Visio corporis Domini in Eucharistia non pertinet ad raitonem obiecti beatifici.

Colligit D. Subt: *loco citato n.* 10. Non videri necessariò existentiam corporis Christi Domini à beatis, in genere proprio, ex vi luminis beatifici, quia *minùs* inquit *hoc spectat ad beatitudinem, quàm visio eius in verbo: nam lumen beatificum non transcendit naturam sui obiecti primarij, quod est Deus in se. sicut neq; visio.* Ergo non extenditur ad aliquod obiectum, ad quod non determinatur, aut mouet obiectum beatificum; obiectum autem beatificum, est ratio cognoscendi cognita, ideò vt mouet ad obiecta secundaria, mouet ad ipsa, vt cognoscuntur in ipso cognito, seu ad ipsum vt primò cognitum.

Dices Fidei succedit visio. Sed existentia corporis Christi Domini in Eucharistia, est obiectum fidei, Ergo &c, Respondeo visionem succedere fidei. quoad obiectum primarium, non quoad omnia secundaria, aliâs beatus videret in Verbo conferri gratiam per baptismum, vel Sacramenta alia, hic & nunc applicata, quod ex natura beatitudinis non deducitur.

Dico 3. Intellectus humanus, & Angelicus, tam separatus, quàm coniunctus in alio statu, potest naturaliter videre existentiam corporis Christi Domini in Sacramento. Ita D. Subt. *loco citato n.* 7. Probatur 1. Modus accidentalis, non impedit cognitionem substantiæ, quæ est per se obiectum intellectus: quia sicut ipsa habet priùs esse, ita & intelligibilitatem, ante illum modum. Sed præsentia Christi Domini in Eucharistia, est modus accidentalis substantiæ corporis Domini. Ergo &c. Confirmatur. Totum Ens creatum est obiectum proportionatum intellectui, tam ad cognitionem intuitiuam, quàm abstractiuam; Ergo intellectus extendi potest, præsertim in alio statu in totum Ens creatum. Probatur 2. Intellectus abstractus, & etiam coniunctus, in alio statu potest cognoscere præsentiam panis quando adest. Ergo & potest eius absentiam cognoscere, quando abest: & quá ratione potest cognoscere ab-

Angelicus intellectus & separatus beatificus humanus potest videre corpus Domini.

scere absentiam panis, potest cognoscere præsentiam substantiæ corporis Christi Domini, quia corpus illud in se est proportionatum huiusmodi intellectui. Ergo modus ille accidentalis, quo tale corpus existit in Eucharistia, non impedit quin sit obiectum visibile ab eodem intellectu. 3. Supernaturalitas quæ videtur esse habitudo ad supernaturale Agens, non tollit intelligibilitatem rei creatæ, præsertim ab intellectu creato separato, & coniuncto in alio statu, quia nullo modo dependet à sensibilibus in intelligendo.

Gratia & virtus supernaturalis cognoscibilis.

Obiiciunt 1. Aduersarij totam repugnantiam esse in eo, quòd hæc existentia sit supernaturalis. Respondeo Gratia, & virtutes infusæ sunt supernaturales, tamen videri possunt, & cognosci ab Angelis per naturalem virtutem, & species concreatas ipsis. Deinde supernaturalitas, non variat rationem rei in se formalem, quia est tantùm ordo ad Agens: quia substantia per se, est prior omni modo essendi, qui conuenit ipsi per accidens. Ergo & sic cadit sub cognitionem intellectus Angelici. Ergo & cognoscibilis est secundùm se, non obstante modo illo accidentali. Consequentia probatur, quia talis modus non est ipsi ratio substantialis essendi in se; neq; ratio intelligibilitatis, quia neq; motiua, neq; terminatiua cognitionis.

Instantia Caietani soluitur.

Respondet Caietanus, & negat cognosci modum illum existendi eius indiuisibilem respectiuè ad species. Contra idem argumentum posset fieri de quantitate absoluta, vt distinguitur à sua extensione, & modo essendi in loco diuisibili, vel indiuisibili: & eadem responsio etiam datur ab aliis, quam confirmant exemplo humanitatis Christi Domini, quæ videbatur ab Angelo, non tamen modus eius vnionis. Sed hoc exemplum non est ad propositum: quia vt *in 3. Sententiarum* dicitur, ille modus essentialiter respicit terminum, sine quo nequit intelligi, aut videri, qui terminus excedit virtutem intellectus Angelici, in proposito autem non datur talis ratio, quia supernaturalitas non obstat.

Obiiciunt 2. Cognitio fidei, est simpliciter eminentior omni cognitione naturali. Sed de existentia corporis Christi Domini in

mini in Eucharistia, est fides. Ergo de eadem nulla potest esse cognitio naturalis.

Respondeo. Esse fidem respectu nostri, qui tantùm intelligimus beneficio sensibilium, respectu verò intellectus separati, non esse istud auxilium supernaturale necessarium, quia viribus naturalibus hoc obiectum attingitur : & sic & dæmones possent hoc mysterium cognoscere, si DEVS non occultaret illis.

Respectu Angeli non est fides.

Obiiciunt 3. Futurum contingens non est cognoscibile ab intellectu creato. Sed hæc præsentia corporis Domini hîc, est futurum contingens. Ergo

Futurum contingens quomodo cognoscibile.

Respondeo. Quòd futurum contingens, dum est contingens in sua causa non potest cognosci, concedo, postquam tamen contingenter positum est, in esse, nego : & sic intellectus separatus potest cognoscere corpus Domini, si iam continetur ibi.

Obiiciunt 4. Intellectus separatus nihil cognoscit, nisi per species concreatas. Sed huius mysterij non habet species congenitas. Ergo. Respondeo Negando Maiorem, quia intellectus separatus, potest accipere cognitionem à rebus, vt probat D. Subtilis *in 2. dist. 3. q. 10. n. 15. & in 4. dist. 43. q. 3. n. 5.*

QVÆRES QVARTO.

An corpus Christi Domini existens in Sacramento possit videri oculo corporeo?

Nota 1. Particulas istas, *vt existens in Eucharistia*, posse habere duplicem sensum, vel specificatiuum, quo significatur posse quidem videri corpus Domini vt hîc, oculo corporeo, non tamen secundùm modum, quo ibi existit : vel reduplicatiuum quò significatur idem corpus posse videri, & secundùm modum. Aliqui Theologi tenent, id fieri non posse naturaliter, benè tamen per potentiam Dei absolutam, etiam secundùm sensum reduplicatiuum.

Sensus duplex vel specificatiuus, vel reduplicatiuus.

Dico 1. Videri non potest naturaliter corpus Christi Domini existens in Eucharistia, oculo corporeo. Ita D. Subtilis *in 4. d. 10. q. 9. n. 4.* Probatur Quidquid videtur oculo corporeo naturaliter,

Oculo corporeo non potest videri naturaliter.

turaliter, videtur sub pyramide, cuius basis est in re visa, & conus in oculo. Ergo corpus Christi Domini videretur sub tali pyramide, sed dari non potest basis pyramidis, sub qua corpus Christi Domini videatur, quia illa esset simul cum base pyramidis, sub qua videretur hostia: vbiq; enim est corpus Christi cum hostia; & tunc corpus Christi, & hostia, simul viderentur sub æquali angulo. Sed quæ videntur sub angulo eodem, videntur æqualia, Ergo corpus Christi videretur æquale hostiæ. Ergo videretur vt rotundum, quia basis sub qua videtur species hostiæ, est rotunda. Confirmatur Quia corpus Christi Domini existens in Sacramento, non potest approximari organo visus localiter, ad immutandum verò organum facultatis sensitiuæ requiritur localis approximatio. Tùm quia nihil indiuisibile potest agere in passum quantitatiuum, qualis esset V. G. lux punctualis (si posset dari) respectu oculi corporei.

Per potentiam Dei posset videri.

Dico 2. Deus de potentia sua absoluta potest causare in oculo glorioso, vel non glorioso, visionem corporis Christi Domini, licet etiam nusquam esset nisi in Eucharistia; & sic efficere vt corpus Christi Domini, quatenùs existens in Eucharistia, videatur oculo corporeo, sumendo ly quatenùs specificatiuè. Probatur Quia visio, est forma absoluta *ex* 1. *dist.* 3. Ergo sine contradictione potest fieri sine respectu præsentialitatis ad obiectum. Deinde non satis ab aliis probatur, modum existendi indiuisibiliter impedire sensationem corporis habentis quantitatem, & qualitates sensibiles saltem per potentiam Dei absolutam: Sicut enim Angelus existens indiuisibiliter, si haberet virtutem alterandi, posset alterare corpus, & immutare organa sensuum, sicut de facto mouet aliquando corpus quod assumit; ita corpus existens indiuisibiliter, non minùs posset alterare organa sensuum, si aliundè non esset repugnantia: & quia est, vt mox dicetur, ideò corpus Christi Domini existens indiuisibiliter, non potest immutare visum. Sed Deus ipse immediatè hoc præstat.

Cum modo non est visibile.

Dico 3. Corpus Christi Domini vt in Eucharistia, reduplicatiuè, includendo scilicet modum quo ibi existit, non est visibile,

etiam de potentia absoluta Dei. Probatur quia corpus vt hîc, non est causatiuum visionis, nec terminatiuum eiusdem, quia non potest habere approximationem ad organum, quia non est secundùm extensionem ad locum. Quòd autem non posit esse causatiuum, neque terminatiuum visionis, patet, quia tam causatio, quàm terminatio talis visionis, requirit in obiecto causante, vel terminante primò dispositionem debitam, & id quidem secundùm locum, vt potè approximationem, & distantiam debitam.

PETES *Quid iudicandum de apparitionibus quæ in hoc Sacramento contingunt?*

Dico 1. In istis mutationibus, seu apparitionibus, (quæ cõtingunt, vel ad confirmationem fidei, vel ad deuotionem dignè communicantis, vel ad terrorem indignè communicantium) nunquam est vera caro, neque verus Sanguis. Est communis DD. Probatur quia caro apparens, videtur plerũque conscissa, Sanguis etiã videtur effusus. Deinde tangi potest illa caro. Tandem successu tẽporis tabescit: hæc autem conuenire non possunt veræ carni Christi Domini gloriosæ, neque vero Christi Domini Sanguini intra venas corporis existenti. De apparitionibus in hoc Sacramento quid iudicandum.

Dico 2. Si mutationes illæ sint tantùm in organo, & non in speciebus, certum est remanere corpus Christi Domini sub illis speciebus: si verò in speciebus ita, vt corrumpantur accidentia, nõ remanet; valde autem probabile est semper remanere corpus Christi Domini, quando fiunt illæ mutationes in speciebus ad confirmationem fidei: quando verò fiunt ad terrorem indignorum, probabile est non remanere: neque adorandum est illud, quod apparet nisi adoratione respectiuá, vt est signum miraculosum repræsentans veritatem corporis Domini.

ARTICVLVS VII.

De transsubstantiatione panis in corpus Christi Domini in Eucharistia.

Nota 1. Transsubstantiatio *est transitio totalis substantiæ in substantiam*, Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 11. *q.* 1. Dicitur *totalis* scilicet Syncathe- Transsubstantiatio quid sit.

cathegorematicè, id est, totius, & omnium partium totius substantiæ in substantiam, non autem totalis cathegorematicè, sicut dicit Arist. 1. de Gener. t. 10. & 24. *Generationem esse mutationem totius in totum nullo sensibili remanente vt subiecto eodem* : quia in transsubstãtiatione, nihil remanet termini à quo, in generatione autem manet materia, licet totus aliquis terminus per se vnus, ad distinctionem termini alterationis, qui nunquam est per se vnus, succedat alicui toti termini per se vni. Dicitur *substantiæ* ad distinctionem accidentis, mutatio enim accidentis in accidens transaccidentatio, non transsubstantiatio dicitur.

Mutari quid sit.

Nota 2. Transsubstantiationem non esse propriè mutationem, quia *mutari* iuxta Aristotelem 6. Phys. t. 32. *est aliter habere se nunc, quàm priùs.* cùm igitur omnis mutatio, dicat subiectum, quod mutatur, & formam ad quam mutatur, & successionem immediatam informationis ad informationem, si transsubstantiatio admitteretur aliquo modo mutatio, hoc esset tantùm ratione alĩcuius successionis vnius ad aliud, scilicet corporis Christi Domini ad panem; potest tamen dici transsubstantiatio impropriè mutatio & habet quandam similitudinem mutationis illius propriæ, quæ est à subiecto in subiectum.

Cui conuenit ratio mutationis.

Nota 3. Quòd ratio mutationis positæ ab Aristotele non conuenit, nisi subiecto mutationis, quòd à termino in terminum transit, sicq; aliter se habet nunc, quàm priùs; nam aliter se habet, cùm est in termino ad quem, atq; priùs sub termino à quo. Neq; ad hoc vt aliquid mutetur, & consequenter aliter se habeat nunc, quàm priùs requiritur, vt entitatem positiuam habeat, sed sufficit negatio, quia nunc existens sub priuatione, & priùs sub forma, dicitur aliter se habere. Ex his sequitur quòd mutatio non conuenit termino à quo, nec ad quem alicuius mutationis, quia neuter aliter se habet nunc quàm priùs, quia si est terminus ad quẽ nunc primò est, & ita non habuit si priùs aliter, quàm nunc : si est terminus à quo, nunc non est, & consequenter non aliter se habet nunc, quàm priùs substantialiter. Neque valet si dicas, panis est conuersus in corpus. Ergo est mutatus. negatur enim consequentia quia

Mutatio non conuenit terminis à quo, & ad quem.

ria, quia non denotat transitum alicuius subiecti communis vtrique termino. Si dicas corruptum est mutatum obiectiuè, non subiectiuè, quia non manet. Respondeo dici denominatiuè mutari, quia quod conuenit parti per se, per accidens dicitur de toto 5. *Phys.* & quia materia corrupti est per se mutata à forma in priuationem, ideò hoc totum potest dici per accidens mutatum, non tamen per se: & ideò non potest mutatio diuidi diuisione per se, in mutationem subiectiuam, & obiectiuam. Quòd si dicas Aliquid dicitur generari subiectiuè, vt materia, & aliquid obiectiuè, vt concedit D. Subtilis *in* 1. *dist.* 5. *q.* 2. *& in* 4. *dist.* 11. *q.* 1. *a.* 3. Ergo generatio potest distingui in subiectiuam, & obiectiuam, & consequenter mutatio, quæ est superiùs quid ad generationem. Respondeo Negando generationem distingui in subiectiuam, & obiectiuam, licet aliquid dicatur generari subiectiuè, & obiectiuè, non tamen hæc diuisio generationis in subiectiuam, & obiectiuam, est diuisio generationis in diuersas species, sed in diuersas habitudines eiusdem formæ, & denominationis, vt comparatur ad diuersa, V.G. ad subiectum, & ad terminum, quâ enim recipitur in subiecto dicitur generatio per modum mutationis, quâ autem respicit terminum, dicitur generatio per modum productionis: non licet autem mutationem, quâ mutatio est, sumere aliter, quàm in ordine ad subiectum, non dicitur autem aliquid mutari obiectiuè, sicut dicitur generari;

Corruptum dicitur mutari denominatiuè.

Non distinguitur generatio in subiectiuã & obiectiuam.

Si dicas si generari distinguitur hoc modo, Ergo & mutari: & præterea quomodo possit generari sic distingui, & non mutari?

Non dicitur aliquid mutari obiectiuè.

Respondeo Quòd generatio non est inferiùs ad mutationem, nisi vt conuenit subiecto generationis, vt autem comparatur ad terminum habet rationem productionis. Ad aliud respondet D. Subtilis *loco citato n.* 9, quòd ab eodem abstracto possunt imponi multa concreta, vel vnum æquiuocè; nam illa forma potest habere aliam & aliam habitudinem ad diuersa, & per diuersa significantur concreta, vel per vnum æquiuocè acceptum potest significari il-

Generatio quomodo est inferius ad mutationem.

ficari illa forma, vt habens talem & talem habitudinem. Exemplum est de sano, nam sanitate vna existente, quæ potest habere aliam habitudinem ad signum, aliam ad causam, aliam ad subiectum, hoc concretum sanum imponitur ad significandam istam formam sub hac, & illa habitudine, & ideò est æquiuocum. Possent similiter ab eadem forma sumi, & imponi diuersa concreta, puta sanum, sanificatiuum, significatiuum &c. Ita in proposito, generatione existente eadem secundùm se, potest ipsa habere diuersas habitudines, scilicet ad subiectum cui inest, & ad terminum ad quem est, & ex hoc eius concretum scilicet generari potest æquiuocè accipi, vt nimirum denotat informationem huius & illius, sicq; aliquod dicitur æquiuocè generari, licet generatio secundùm se non distinguatur, sicut nec sanitas, sed tantùm dicitur alio modo accipi, vt est huius, & alio modo, vt est illius. Itaq; licet generari dicitur de subiecto, & termino, tamen generatio vna est, nec potest distingui in subiectiuam, & obiectiuam, sicut nec sanitas, quia vna tantùm est in specie.

Generari potest æquiuocè accipi.

QVÆRES PRIMO.

An corpus Christi Domini possit esse in Eucharistia per transsubstantiationem, & cuius Agentis virtute?

Dico 1. Transsubstantiatio simpliciter, ac consequenter panis in Christi Domini corpus, est possibilis. Probatur Quidquid potest esse totaliter nouum, non repugnat ei succedere alij, quod potest totaliter desinere: Sed aliqua substantia potest esse totaliter noua, etiam syncathegorimaticè, & alia potest eodem modo desinere. Ergo hæc potest totaliter succedere illi, totaliter desinenti, & consequenter hæc potest conuerti totaliter in illam, & ita transsubstantiari. Assumpta patent, quia nec totalis incæptio substantiæ, nec totalis desitio includit contradictionem, nec consequenter totalis incæptio huius ad totalem desitionem illius, quæ transitio includit transsubstantiationem: Ergo simpliciter transsubstantiatio est possibilis, ac consequenter transsubstantiatio panis in corpus Christi Domini.

Possibilis est transsubstantiatio.

Dico

Dico 2. Virtute solius Dei, vt agentis principaliter transsubstantiatio est possibilis. Patet ex S. August. lib. de corpore Domini c. 77. vbi dicit, *In mysterio corporis & Sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus Sancti &c.* Probatur ratione in cuius potentia actiua est vtrumque extremum, & quantùm ad totum esse, & quantū ad totum non esse, est in eius virtute actiua transitio vnius extremi in aliud. Sed esse totalis substantiæ, & non esse eius, subsunt virtuti Diuinæ actiuæ, & soli illi, quia quælibet alia virtus requirit subiectum in quod agat. Ergo transitio totalis substantiæ in substantiam, subest soli virtuti Diuinæ. Confirmatur 1. Sicut Deus potest dare nouas naturas rebus, quæ priùs non erant, ita potest mutare naturas earum, quæ præerant, & transsubstantiare vnam in aliam. Confirmatur 2. Quia solus Deus agere potest independenter à subiecto. Ergo esse, & non esse totale substantiæ, est in sola potestate Diuina, prout esse & non esse comprehendunt totum, & partes.

Virtute Diuina est possibilis.

Ratio.

Dico 3. Virtute agentis creati, vt instrumentaliter concurrentis, est possibilis transsubstantiatio. Aduerte quòd D. Subtilis *in 4. d. 13. q. 2.* agens instrumentale sumit, pro agente disponente & necessitante Deum ex pacto, ad constituendum corpus Christi Domini in Sacramento. Probatur Conclusio Prolatio verborum est actio instrumentalis, respectu conuersionis, seu confectionis corporis Christi Domini: & sic actione alicuius creaturæ, vt agentis instrumentaliter conficitur corpus Christi Domini, non quidem, vt attingentis terminum, sicut aliqua instrumenta habent actionē instrumentalem attingentem terminum, sed eo modo, quo agens præuium dicitur agere instrumentaliter ad formam principalem, quam non attingit, & actio eius ex eo tantùm dicitur instrumentalis, quia est præuia, & dispositiua.

Virtute creata quo modo est possibilis.

Nota.

Dico 4. Si transsubstantiatio sit actio reproductiua, non potest dici actio de genere actionis, si verò sit adductiua tantùm, potest dici esse de genere actionis. Probatur quia actio de genere actionis est respectus extrinsecus transmutantis ad transmutatum,

Actio adductiua est de genere actionis.

vel transmutabile, cui correspondet in passo respectus transmutati ad transmutans. At in transsubstantiatione reproductiua, nullum est passum, quod transmutetur, sed est terminus reproductus, & sic talis transsubstantiatio, est respectus intrinsecùs aduenniens, sicut & omni alius respectus, producentis ad productum, vel inducentis ad inductum.

QVÆRES SECVNDO.

An substantia panis transsubstantiatur post consecrationem in corpus Domini?

Nota 1. D. Subt. *in* 4. *dist.* 11. *q.* 3. *n.* 3. tres refert hac de re opiniones; Prima est quòd panis maneat, simul cum corpore Christi Domini. Hanc tenuit Berengarius, & tenent Husitæ cum Lutheranis, qui dicunt non fieri Christum Dominum præsentem in Eucharistia per conuersionem vnius substantiæ in aliam, sed alio modo, quis autem iste modus sit non concordant: alij dicunt per vbiquitatem, sed hoc asserere, est directè contra Sacras literas. *Surrexit non est hic.* Matth. 16. Et Ioan. 6, *Cùm vidisset turba quod IESVS non esset ibi.* Ratio est, quia quod vbiq; est non mouetur de loco in locum. Atqui Christus Dominus *descendit in cælos.* Et iterum venturus est ad iudicium. Deinde Minister Lutheranorum, quando alicui porrigit hostiam, non porrigit corpus Christi, sed nudum panem: nam id quod porrigit mouetur ex manu ipsius in os, & stomachum communicantis: corpus autem Christi, si vbiq; est, non potest ita moueri. Alij Lutherani dicunt, quòd sit præsens corpus Domini in Eucharistia per vnionem hypostaticam, id est per vnionem corporis Christi Domini cum pane, vt sentit Lutherus *lib. de capt. Babyl. cap. de Eucharist.* Sed non ad rem, nam vnio hypostatica non fit in natura, sed in persona, seu in hypostasi (ex eo enim vocatur hypostatica.) Sed in Christo Domino non est nisi persona Verbi. Ergo nulla fieri potest vnio hypostatica, nisi in Persona Verbi, Sed vnio ista quã fingit Lutherus, nõ fit in Persona Verbi, Ergo nõ est vnio hypostatica. Alii vt Kemnitius, & alii recẽtiores Lutherani dicunt, quòd sit præsens per simplicem coniun-

Errores Lutheranorum.

ctionem. Sed hoc non potest dici, quia verba illa *Hoc est corpus meum*, propriè intelliguntur, & non metaphoricè, vt nobiscum videntur sentire Lutherani. Deinde per pronomen *Hoc* designaretur panis, si non esset transsubstantiatio, & sic Lutherani sentiunt, cũ Caluinistis. vel certè sensus esset verborum illorum *Hoc est corpus meum. Hic panis est propriè corpus Christi*, quod dici non debet. Quando enim duæ res distinctæ, ac disparatæ, non aliter quàm per simplicem coniunctionem vniuntur, tunc vna propriè, non potest dici altera: non enim *Aer est panis*, tametsi aer sit in pane, & cum pane, Ergo si corpus Christi Domini per simplicem tantùm coniunctionem, est in pane, & cum pane, non licebit dicere, *Corpus Christi Domini est panis, aut è contra*. Secundam opinionem refert D. Subt. ibidem, quæ asserit non manere panem, nec conuerti, sed desinere per annihilationem, vel corruptionem, vel resolutionem in materiam primam. Et hanc opinionem refutat D. Subt. *loco citato. n.* 8. Tertiam sententiam refert *ibidem n.* 13. non manere panem, sed conuerti in corpus Christi Domini. Cum qua. — 2. Opinio. — 3. Opinio.

Dico Factâ consecratione, non ampliùs manet substantia panis sub accidentibus, sed conuertitur, & mutatur in corpus Christi Domini. Hæc Conclusio est de fide; definita in Concilio Romano sub Gregorio VII. contra Berengarium, Item in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & habetur *in cap. Firmiter de Summa Trinit.* sub verbo transsubstantiationis, & in Concilio Florentino in Decreto Eugenii vbi dicitur, *substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem conuertitur*. Et in Trident. *Sess.* 13. *c.* 4. his verbis *Quoniam Christus corpus suum, id quod specie panis offerebat verè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc denuò Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, &c.* Et ibidem *Canone* 2. Eos qui remanere panem & vinum, cum corpore Domini affirmant, anathematizat. — Substantia panis conuertitur.

Probatur 2. Ex SS. PP. S. Cyprianus de cœna Domini inquit. *Panis non effigie, sed natura mutatus*. S. Cyrillus Hierosf. Catech. 3. Mystagogica. ait. *Hoc sciens ac pro certissimo habens panem hunc, qui* — Authoritates SS PP.

videtur

videtur, non esse panem, etiamsi gustus sentiat panem. S. August. qui citatur *de consecrat. d. 2. Fideliter fatemur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi, & Sanguinem esse, quod benedictio consecrauit.* S. Ambr. lib. 4. c. 4. inquit. *Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod iam est corpus Christi.* Et lib. *de mysterijs c. 19.* ait. *Probemus non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq́; esse vim benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione ipsa naturâ mutatur.* Et S. Thomas D. Angelicus in Prosa de corpore Christi Domini, inquit, *Dogma datur Christianis, quòd in carnem transit panis, & vinum in Sanguinem.* Quæ verba S. Thomas dictante Spiritu Sancto protulit. Hæc cætus Lutheranorum in Concilio Dresdnensi, negans transsubstantiationem, suadente diabolo abstulit, sensum, & rythmum corrumpendo. *Dogma datur Christiano, quod cum pane manet caro, & vinum cum Sanguine.* ô impudentiá Lutheranorum, D. Subt. adducit rationes contra hæreticos; De Sacramentis id esse tenendũ, quod tenet S. Romana Ecclesia. Sed ipsa tenet transsubstantiari panem in corpus, & vinum in Sanguinem. Ergo. Quo in loco allegat definitionem Ecclesiæ in Concilio Generali editam, nihil asserens, si ea veritas fuerit aliâs definita, vel non? Fundatur hæc veritas Catholica in illis verbis Matth. 26. *Hoc est corpus meum.* Licet enim D. Subt. *loco citato* dicat, quòd hæc verba non ita cogant, quin aliquis dicere posset, per pronomen *Hoc*, non demonstrandũ panem si maneret, sicut nec per idem pronomen, nunc demonstrantur accidentia, sed contentum sub pane, scilicet corpus Domini, cùm etiam hoc pacto ista propositio potuisset esse vera, si Deus decreuisset panem mansurum cum corpore suo: tamen intellectus iste simpliciter falsus est, non enim Christus Dominus sic instituit, quia hoc Sacramentum sic institutum est, vt signatum eius non esset cum pane: sed solùm cum accidentibus, vt docet D. Subt. *loco citato n. 14.* Et subdit *n. 15.* quòd iste intellectus facilè concipitur ex verbis ipsis. Deinde accedit authoritas Ecclesiæ. *Eo enim Spiritu.* inquit D. Subtilis *expositæ sunt scripturæ, quo conditæ.* Et inferiùs subdit. D. Subtilis. *Et ita supponendum est, quòd Ecclesia Catholic*

Ex sacra Scriptura colligitur hæc veritas.

tholic

tholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, spiritu scilicet veritatis edocta, & ideò hunc intellectum eligit, quia solus verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit facere istud verum, vel non verum, sed Dei instituentis: sed intellectum à Deo traditum Ecclesia explicauit directa in hoc, vt creditur spiritu veritatis. Et licet verba illa possent detorqueri ad alium intellectum, tamen intellectus transsubstantiationis verus est, & hoc est quod intendit Trident. *Sess.* 13. *c.* 4. ex verbis Christi Domini in Ecclesia Dei persuasũ sẽper fuisse fieri transsubstantiationẽ panis in corpus Christi Domini, quasi scilicet Ecclesia Spiritu Sancto inspirata elegerit hunc sensum verborum, qui solus ex voluntate instituentis verus est. Confirmatur Si substantia panis maneret, vel annihilaretur, & non conuerteretur, veriùs diceretur *Hic est corpus,* quàm *Hoc est corpus meum.* Sed hoc esset contra intentionem instituentis. Ergo. Eo spiritu exponitur scriptura quo est condita.

Obiiciunt 1. Hæretici, in Sacris literis hoc nomen transsubstantiatio non inuenitur vllibi. Ergo non debent eo vti Catholici. Respondeo Non inueniri nomen, sed benè rem, sicut nec ὁμοούσιον hoc nomen inuenitur, sed res.

Obiiciunt 2. Sicut in naturalibus, ita & in credibilibus, non sunt ponenda plura sine necessitate. Sed veritas Eucharistiæ saluari potest sine transsubstantiatione: quia ad transsubstantiationem plura concurrunt miracula. Tum quia iste modus Catholicorum est difficilior.

Respondeo Concedo Maiorem, Nego Minorem, quia non paucitas, neque facilitas in rebus fidei attendenda, sed veritas & intentio instituentis, qualis hîc est, qui sine pane Eucharistiam instituere voluit.

QVÆRES TERTIO.

An ita totus panis conuertatur, vt nihil eius nec physicum, nec Metaphysicum remaneat?

Nota varias fuisse opiniones Scholasticorum circa hoc, alij enim tenuerunt formam panis remanere, alii materiam, alii existentiam, alii subsistentiam, &c.

Nec materia panis, nec forma manet.

Dico 1. Nec forma, nec materia panis manet post conuersionem. Probatur quia tantùm accidentia remanent, iuxta Trident. *Sess.* 13. *c.* 4. *Et Can.* 2. Ergo tota substantia conuertitur in totam substantiam. Ergo nec materia, nec forma manet. Patet specialiter de orma, quia forma dat esse rei. Ergo si forma panis remanet, esse, panis remanebit, quod est hæreticum.

Quòd neque materia remaneat probatur, quia transsubstantiatio, nihil aliud esset, quàm generatio, nam in generatione fit successio formarum, eadem manente materia. Sed in Sacramento hoc, ita se res haberet, si materia remaneret. Ergo esset generatio. Deinde materia panis & corporis Christi Domini, non est eadem numero materia, aliás inquit D. Subt. sequeretur formam corporis Christi Domini esse in materia panis, ante conuersionem, quod est falsum.

Neque existentia manet.

Dico 2. Non remanet existentia panis. Patet quia existentia non distinguitur realiter ab essentia. Ergo si essentia panis non manet, neq; existentia. Confirmatur quia rem corrumpi, vel desinere, aut in alterius substantiam transire, nihil aliud est, quàm cessare existere. Sed hæc competunt pani in Sacramento. Ergo panis cessat existere, & consequenter post conuersionem non remanet existentia panis.

Neque subsistentia.

Dico 3. Neq; subsistentia remanet: nam subsistentia est modus aliquis correspondens propriæ entitati rei cuius est modus. Ergo desinente propriá illá entitate, desinit & talis modus. Deinde multi tenent subsistentiam esse puram negationem. Ergo illa non remanet absente substantiá.

Neque indiuidualis entitas.

Dico 4. Non remanet eadem indiuidualis entitas panis, quæ præfuit. Patet Quia non potest intelligi quomodo hic panis, & in singulari desinat, per hanc actionem Sacramentalem, & tamen indiuidualis eius entitas remaneat pòst conuersionem. Deinde sequeretur non esse idem corpus Christi Domini in Sacramento, quod est in cælo: nam corpus Christi Domini quod est in Sacramento, est ipsa entitas indiuidualis quæ præfuit panis. Sed corpus Christi Domini in cælo, non est ipsa eadem entitas indiuidualis,

quæ

quæ præfuit panis. Ergo corpus Christi Domini in Sacramento, non esset illud idem quod est in cælo. Deinde hæc opinio quæ asserit aliquam entitatem indiuidualem panis, videtur esse contra Trident. loco citato, quod asserit tantùm accidentia remanere. Ergo non remanet entitas indiuidualis.

QVÆRES QVARTO.

An potuit constitui corpus Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento, remanente substantia panis?

Nota I. Circa hanc difficultatem est opinio S. Thomæ. 3. p. q. 75. a. 2. & in 4. dist. 11. q. 10. a. 1. & 4. & ferè communis Thomistarum asserentium ex illis verbis, *Hoc est corpus meum*, apertè concludi panem non manere in Eucharistia, nam si finitâ consecratione maneret panis, non posset dici, hoc quod in manibus habetur, esse corpus Christi Domini, sed solùm esse hîc corpus Christi Domini, quia pronomen *hoc* non designat locum sed substantiam præsentem sub accidentibus contentam. Porrò D. Subt. in 4. d. 10. q. 1. n. 4. Et dist. 11. q. 3. n. 5. dicit has rationes nō cogere, quia dato quòd substantia panis maneret, non demonstraretur substantia panis, sed contentum sub pane, sicut modò non demōstrantur accidentia, quia tunc esset propositio falsa. Sed est sensus, *Hoc Ens contentum sub isto signo sensibili est corpus meum.*

Dico 1. Certum est non potuisse corpus Christi Domini esse præsens in Eucharistia per hæc verba *Hoc est corpus &c*, in eo sensu accepta, in quo à Christo Domino accepta sunt, absq; desitione panis. Probat. D Subt. *loco citato. n.* 9. quia primum significatum ex institutione Dei, denotat desitionem panis.

Dico 2. Corpus Christi Domini potuit fieri præsens in Eucharistia, remanente substantia panis. Ita D. Subtilis *loco citato.* cū Richardo, & Durando. Sequitur Suarez. 3. p. d. 49. Sect. 1. Et Vasquez. *disput.* 182. Probatur quia desitio panis, & positio corporis Christi Domini, sunt duæ mutationes, non necessariò inter se connexæ, ita vt panis necessariò debeat desinere ex eo præcisè, quia sub accidentibus ponitur corpus Christi Domini. Ergo per

Potuit esse, corpus Domini cum pane

potentiam absolutam, posset poni corpus Christi Domini cum pane. Deinde si per potentiam Diuinam, duo corpora circumscriptiuè existentia, sese possent penetrare, multò magis Christi Domini corpus existens indiuisibiliter in Sacramento, poterit consistere cum substantia panis: & hoc tam actione substantiali reproductiua, quàm actione accidentali adductiua.

Dices Relatio præsentiæ Christi Domini, quam habet in hoc Sacramento, fundatur in conuersione panis, ad corpus. Sed impossibile, vt sit relatio sine fundamento. Ergo etiam impossibile erit, vt sit præsens corpus Domini in Eucharistia, eo modo præsentiæ, quem nunc habet absq; desitione panis.

Conuersio est remotum fundamentum. Respondeo Quòd poterat DEVS si voluisset, in corpore Christi Domini producere modum præsentiæ Sacramentalis, sine conuersione, quia conuersio est remotum fundamentum præsentiæ, proximum autem est corpus Domini.

QVÆRES QVINTO.

An transsubstantiatio panis in corpus Domini, sit actio productiua, vel adductiua?

Conuersio tria requirit. Nota 1. Ad conuersionem tres conditiones requiruntur 1. vt aliquid desinat. 2. Vt aliquid succedat in locum eius. 3. vt sit connexio, & dependentia inter desitionem vnius, & successionem alterius, ita vt vnum desinat, quatenùs alterum succedat, & vi desitionis fiat successio; nam si non essent connexa, non esset vna actio, quæ sit transsubstantiatio, quæ debet esse inter terminos positiuos.

Nota 2. Parum referre an adductio, vel reproductio corporis Christi Domini, & desitio panis sint tantùm fundamentum cōuersionis; vel per se, & formaliter spectent ad illam, quamuis enim probabiliùs sit esse tantùm fundamentum eius, tamen ad conuersionem ita pertineat, vt sine illis non possit esse conuersio.

Dico 1. Probabilis est transsubstantiatio reproductiua. Probatur, non est difficile concipere corpus Christi Domini iam præ-

xistens,

xiſtens in cælo, reproduci in Sacramento: ſicut enim conſeruatio, quæ eſt actio ſubſtantialis terminatur ad ſubſtantiam præexiſtétem, & conſtitutam iam in eſſe per creationem, ita actio illa conuerſiua terminari poterit ad ipſummet eſſe ſubſtantiale, vt per ipſam reproductum in Sacramento: non quòd prima productio Chriſti Domini corporis, & eiusdem reproductio ſint duæ actiones totales reſpicientes eundem terminum, vt vult Suarez, ſed quia iſta reproductio, eſt eadem actio realiter cum conſeruatione ipſius corporis, atq; conſequenter cum prima productione eius, (conſeruatio enim, & productio ſunt vna realiter actio) hoc excepto quod reproductio connotat deſitionem panis. Sicut enim Deus regulariter res conſeruat ex nihilo, & agens naturale ex aliquo, quod conuertitur in conſeruatum, Verbi gratia ignem ex ligno, quòd conuertitur in ipſum: ſic conſeruando corpus Chriſti Domini ex nihilo communi, & ordinaria conſeruatione, ad effectum huius Sacramenti, poteſt illud idem conſeruare ex aliquo, ſcilicet ex ſubſtantia panis mutata, & conuerſa in ipſum.

Probabilis eſt reproductiua actio.

Reproductio cōnotat deſitionem panis.

Conſentit modus iſte cum dictis SS. PP. qui dicunt corpus Chriſti Domini creari, & ex pane, vel de pane fieri, panem & vinum fieri corpus, & Sanguinem Chriſti Domini: hæc enim omnia denotare videntur productionem ſubſtantialem. Ergo eam Sancti Patres in transſubſtantiatione agnoſcunt.

Dices: Corpus Chriſti Domini ante conſecrationem exiſtit, quomodo ergo id quod exiſtit producetur? Reſpondeo Quamuis corpus Chriſti Domini præexiſtat, nihilominùs per conuerſionem accipit nouum eſſe ſub ſpeciebus Sacramentalibus; quare hæc conuerſio productiua, non terminatur ad vbi, ſed ad ſubſtantiam corporis Chriſti Domini; dependet tamen exiſtentia corporis Chriſti Domini in Euchariſtia, ab eiusdem exiſtentia in forma naturali.

Licet præexiſtat tamen reproducitur.

Dico 2. Transſubſtantiatio adductiua eſt etiam probabilis, & facilis. Probatur facilè eſt Deo conſtituere corpus Chriſti Domini in Sacramento, quod iam exiſtit in cælo, nihil efficiendo circa ipſum, niſi nouam præſentiam ad ſpecies, ſub quibus illud conſtituit, quia non repugnat Deo conſtituere vnum, & idem corpus

Probabilis eſt trāſſubſtantiatio adductiua.

in pluribus locis. Sed hoc modo adducitur corpus Christi Domini, non quidem deserendo illud vbi, quod habet in cælo, sed acquirendo nouum vbi in Sacramento, & hoc quidem ad desitionem panis, qui mutatur, & conuertitur in ipsum. Ergo conuersio adductiua est probabilis.

Dices Terminus huius transsubstantiationis, non est substantia, vt substantia, sed tantùm præsentia. Ergo iuxta hanc sententiam transsubstantiatio, non esset actio substantialis.

Est vera transsubstantiatio.

Respondet D. *in* 4. *d.* 11. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 23. negando priorem propositionem, quia substantia corporis Christi Domini, succedit substantiæ panis; non enim panis conuertitur in præsentiam corporis Christi Domini, sed in ipsummet corpus Domini, licet sola præsentia in hac sententia habeat hîc esse de nouo. Hinc soluitur illud argumentum Suarez dicendo in hac sententia admitti tantũ translationem, seu translocationem, non autem transsubstantiationem: nam si panis solùm recederet, & daret locum corpori Christi Domini esset tantùm translocatio, sed quia ita ponitur hîc corpus Christi Domini, vt ad positionem eius desinat omninò panis, & in ipsum conuertatur, fit, vt non translatio solùm sed transsubstantiatio hîc intercedat,

Non est transloca tio.

Vtraque opinio saluat transsubstantiationem.

Dico 3. In vtraq; sententia valdè benè explicatur transsubstantiatio, seu conuersio panis in corpus Domini. Probatur sicut enim agens naturale producens aliquid de nouo, consequenter & secundariò, ita corrumpit aliud propter formas oppositas, quæ se simul compati non possunt, vt ipsum quod corrumpitur censeatur conuerti in productum: Ita Deus reproducens, vel adducens Christi Domini corpus in Sacramento, vi talis reproductionis, vel adductionis, ita destruit substantiam panis, vt illa dici debeat conuerti in corpus Christi. Ergo per vtramq; actionem sufficienter explicatur transsubstantiatio.

Confirmatur Id quod corrumpitur dicitur transire & conuerti in productum, quia refertur ad illud tanquam ad causam suæ corruptionis, & ad id, quod sibi succedit in eodem subiecto. Ergo panis dicetur transire in corpus Domini, quia respicit illud tan-

quam causam suæ desitionis, & tanquam id, quod sibi succedit, sub iisdem accidentibus, siue illud corpus adducatur, siue reproducatur, nam si terminus ad quem alicuius conuersionis præexistat, perinde est ad rationem conuersionis alterius rei in ipsum, quòd reproducatur, vel adducatur iste terminus, quia æquè benè fieri potest conuersio vno atque altero modo: tota enim substantialitas huius actionis desumitur ex ipsa conuersione, quæ ea ratione est substantialis, quia verè substantia mutatur in substantiam, & substantia succedit substantiæ, siue substantia succedens præextiterit siue non. Quare vbi terminus reproducitur, substantia succedit simpliciter substantiæ, sicut si in proposito reproducatur corpus Christi, idem corpus succedet simpliciter substantiæ panis, quia panis, & corpus Christi sunt duo termini incompossibiles, licet de potentia absoluta possint esse simul: vbi verò tantùm adducitur terminus succedens, succedit tantùm hîc, ad desitionem alterius desinentis hîc; vt si in proposito adducatur corpus Christi, idem corpus succedet hîc, pani existenti hîc: quia natura adductionis non habet aliam incompossibilitatem, cum termino cui succedit, quàm incompossibilitatem essendi hîc, licet etiam ipsam incompossibilitatem Deus virtute suá absolutá tollere possit, sed desitionem hîc, concomitatur desitio simpliciter ipsius panis, quem Deus non vult alibi conseruare; quo fit vt etiam conuersio, & successio adductiua sit substantialis; tum quia substantia panis non conuertitur in solam præsentiam corporis Christi Domini, sed in corpus ipsum vt hîc præsens: tum quia ad successionem Christi corporis hîc desinit simpliciter substantia panis, licet tantùm consequenter, & concomitanter. Nota.

Aduerte hîc conuersionem istam non esse denominationem aliquam realem, existentem propter formam realem in aliquo subiecto actualiter existente, sed esse denominationem rationis fundatam in desitione panis, & in corpore Christi, quod vi talis desitionis successit. Conuersio qualis denominatio

QVÆ-

QVÆRES SEXTO.

An panis per conuersionem annihiletur?

Aliud est conuersio aliud annihilatio.

Nota 1. Aliud esse conuersionem vnius in aliud, aliud annihilationem, quia ad annihilationem 4. requiruntur, Primò vt non maneat aliquid annihilati, nec materia, nec forma, & per hoc differt à corruptione, in qua corrupti manet materia. 2. Quia terminus annihilationis ad quem, est negatio extra genus, quæ idem est quod omninò nihil, & per hoc etiam differt à corruptione cuivs terminus ad quem est priuatio, quia ibi manet materia corrupti, apta nata recipere formam. 3. Quia in annihilatione nihil manet vtriusq;, at in priuatione manet. 4. Quia priuatio non est eius terminus ad quem. Et in his duobus vltimis conuenit annihilatio cum conuersione, in qua tria sunt. primum est quòd nihil commune vtriq; termino manet. 2. quòd terminus ad quem est negatio in genere inclusa in termino, scilicet in forma disparata. 3. est quòd priuatio non est eius terminus ad quem. Vnde annihilatio, & conuersio conueniunt in hoc, quia sicut res quæ annihilatur omninò destruitur secundùm omnes partes suas, ita res quæ conuertitur in transsubstantiatione destruitur secundùm omnes partes suas. Differunt tamen primò, quia destructio in annihilatione, terminatur ad non esse omnino rei, destructio autem in conuersione terminatur ad esse rei, in quam fit transsubstantiatio. Secundò differunt, quia res quæ annihilatur, non destruitur per aliquam actionem, sed per hoc quod cessatur ab agente, sicut aer non tenebrescit per aliquam actionem, sed per hoc quod cessatur ab illuminatione: vnde annihilatio non est actio, sed cessatio à conseruatione rei, destruere autem rem, quæ conuertitur in transsubstantiatione est aliquid agere, & non cessare ab actione.

Nota 2. Varias refert opiniones D. Subt. *in* 4. *d.* 11. *q.* 4. *n.* 3. 4. *&* 5. panem non annihilari. I. est Henrici asserentis panem non annihilari, quia remanet aliquid panis post conuersionem. Sed contra primò, quia terminus à quo, & terminus ad quem sese mutuò excludunt. Sed corpus Christi Domini est terminus ad quem substan-

substantiæ panis. Ergo excludit quidquid erat panis. Ergo nihil amplius includit substantiæ panis. 2. Corpus Christi Domini non variatur in suo esse substantiali post conuersionem, sed retinet pristinum esse, Sed ante conuersionem non includebat panem, vel aliquid eius. Ergo nec post conuersionem. 3. Non potest intelligi aliquitas panis post conuersionem, nisi per illam panis sit aliquid post conuersionem, quod est erroneum. 2. Opinionem refert asserentem panem non annihilari, quia post conuersionem in corpus Domini, manet in illo in potentia: corpus enim Christi Domini, & panis habent subiectum commune, scilicet materiam. Reiicit istá Ægidij opinionem D. Subt. quia secundum istam opinionem sequeretur nunquam posse substantiam panis annihilari, nisi tota natura corporea annihilaretur, si enim aliquod aliud corpus corruptibile maneret, maneret quoq; materia eiusdem rationis, in cuius potentia esset vterq; terminus, ita quòd posset DEVS illud corpus conuertere in substantiam panis, sicut & corpus Christi Domini in eandem substantiam panis; Ergo si ex eo quòd panis communicat in materia cum corpore Christi Domini dicitur manere, & non annihilari, nunquam panis poterit annihilari; quamdiu remanebit materiale in rerum natura.

Nota 3. Theologi non conueniunt quoad istam desitionem; Aliqui enim dicunt panem non annihilari, sed desinere esse per conuersionem sui in corpus Domini; idq; ex vi actionis quâ corpus Christi Domini ponitur sub speciebus, ita vt poni non possit corpus Domini sub speciebus manente substantia panis, etiam de potentia absoluta, sed hoc reiecimus Quæsito quarto.

Dico 1. Sustinendo transsubstantiationem fieri per actionem productiuam, panis non annihilatur. Ita D. Subt. *in Quodlib.* 10. Probatur 1. Quia in transsubstantiatione productiua, productio, seu reproductio corporis Domini respicit per se desitionem simpliciter panis, ita vt non modò ex institutione diuina, verumetiam iuxta rigorem Philosophicum, termini illi se destruant, & tibi inuicem succedant, licet de potentia Dei absoluta, non sint incompossibiles, sicut nec termini generationis, & corruptionis, puta aqua

Panis non annihilatur per actionem productiuam.

ta aqua & aer, quæ naturaliter se mutuò destruunt, & tamen de potentia absoluta possunt se simul compati. Sed hoc sufficit vt panis non dicatur annihilari, quemadmodùm nec vllus terminus à quo, cui per se succedit aliquis terminus annihilari dicitur. Ergo in transsubstantiatione productiua panis non annihilatur. 2. Terminus annihilationis est purum nihil, hoc est nihil termini à quo, manet in termino ad quem, nec negatio in aliquo apto nato, quæ dicitur priuatio, terminat eam; nec deniq; negatio in aliquo positiuo disparato, terminat eam, sed simpliciter negatio extra genus, scilicet extra omne positiuum, siue sit subiectum, quod dicatur priuatum secundùm illam negationem, siue sit disparatum, quod includat illam negationem, & in hoc annihilatio distinguitur à corruptione, nam in corruptione remanet vtraq; negatio, scilicet in subiecto apto nato, & in termino disparato. V. G. quando lignũ corrumpitur: & ignis generatur remanet materia, & succedit terminus, nempe ignis genitus: quo fit vt negatio ligni non sit omnino extra genus, sed in genere tantùm, seu propter subiectum aptum natum in quo remanet tanquam priuatio, seu propter terminum positiuum, qui succedit; quodsi corruptioni ligni, neq; succederet terminus, neque remaneret materia, negatio ligni esset negatio extra genus, proindeque annihilatio. Nunc itaq; ad propositum, desitio panis, non est annihilatio, quia negatio eius non est omninò extra genus, sed in genere, non quidem propter subiectum in quo remaneat tanquam priuatio, quia hîc totus panis desinit, nec materia remanet in qua sit negatio panis, tanquam in subiecto apto nato, sed propter terminum, qui succedit nimirum propter corpus Christi Domini. Nec verò est quòd dicatur terminum illum se habere per accidens ad desitionem panis, quocunq; enim modo se habeat, in hoc præcisè distinguitur negatio in genere à negatione extra genus, quòd negatio extra genus, nec subiectum habeat, nec terminum succedentem, negatio autem in genere, vel vtrumque habeat, vt in corruptione, vel saltem alterum, scilicet terminum succedentem, vt in hac panis desitione.

Cur panis non annihilatur.

Dico 2. In transsubstantiatione adductiua, sustineri potest annihila-

annihilatio, idque considerando per se terminos illius; licet teneri quoq; possit non annihilari considerando eosdem terminos prout opponuntur tantùm, & sibi inuicem succedunt ex ordinatione Dei. Prima pars Probatur à D. Subtili *in* 4. *d.* 11. *q.* 4. *n.* 10. sic Desitio simpliciter panis in transsubstantiatione adductiua per accidens se habet ad positionem corporis Christi Domini in Sacramento: nam termini transsubstantiationis adductiuæ sunt positio corporis Christi Domini hîc, & desitio panis hîc. Ergo desitio simpliciter panis, non fit per se virtute positionis corporis Christi Domini; nullus autem terminus est ad quē in transsubstantiatione adductiua, quàm positio corporis Christi Domini hîc. Ergo desitio simpliciter panis per se nullum terminum ad quem respicit. Ergo iuxta rigorem Philosophicum, dici potest probabiliter in ea sententia panis annihilari: non annihilatur tamen præcisè, & formaliter istâ conuersione, sed tantùm concomitanter, quia istâ conuersione formaliter desinit tantùm panis hîc, & non simpliciter, ideoque non annihilatur, sed quia concomitanter, & consequenter desinit omninò & simpliciter, ideò etiam concomitanter, & consequenter dici potest annihilari, quatenùs scilicet illa desitio simpliciter per se nullum terminum respicit.

Desitio panis per accidens se habet ad positionem corporis Domini.

Secunda pars Probatur, nam ex ordinatione Diuina, panis desinit simpliciter ad desitionem eius hîc, quatenùs Deus alibi panem desinentem non vult conseruare. Sed desitio hîc respicit per se positionem corporis hîc. Ergo saltem consequenter, & ex ordinatione Diuina, desitio simpliciter panis respiciet positionem corporis Domini hîc. Ergo saltem hac ratione dici potest panis non annihilari. Confirmatur Quia positio corporis Christi Domini hîc, includit negationem panis hîc contradictoriè, & consequenter negationem panis implicitè contradictoriè, id est negationem eius quod fuit simpliciter, & non est ampliùs simpliciter. Sed hoc sufficit ad tollendam rationem annihilationis. Ergo saltem hoc pacto panis non annihilabitur: & sic ex ordinatione diuina, & consequenter potest dici panis non annihilari.

QVÆRES SEPTIMO.

An sit possibile quodlibet Ens conuerti in quodcunq;.

Nota 1. Præsens difficultas procedit de conuersione totali, quâ totum totaliter conuertitur in aliud. Et ad hanc conuersionẽ Durandus necessariò requirit Ens materiale, ita vt materia sit cõmunis vtrique termino, Paludanus requirit necessariò remanere aliquid commune vtrique termino. Suarez communicationem saltem in accidentibus, quia inquit si aliqua res omninò destruatur, ita vt nihil eius maneat, ne quidem accidens, non potest propriè in aliam conuerti, quia conuersio debet esse successio rerum in aliquo tertio in quo aliquomodo sibi repugnent, vt in hoc mysterio, in quo fit conuersio panis in corpus Domini, sub iisdem accidentibus: quòd si panis ita destrueretur, vt nihil eius remaneret, & in locum eius sufficeretur corpus Christi Domini, hoc non esset satis ad conuersionem, sed esset tantùm translocatio: atque ita consequenter docet, posse tantùm corpus conuerti in corpus, non autem in spiritum, quia spiritus non communicat in accidentibus sensibilibus, nec corpus demonstrari sensibiliter potest sub accidentibus spiritus.

Variæ opiniones authorum.

Nota 2. Ad conuersionem sufficit, quòd vnus terminus alteri succedat, vi desitionis eius, ita vt successio vnius, respiciat desitionem alterius, tanquam proprium effectum, & vice versa desitio vnius, respiciat successionem alterius, tanquam propriam causam, siue illa successio fiat sub iisdem accidentibus, & in eodem loco, siue non: quare quoties DEVS assumit creaturam aliquam, vt ex ea faciat aliquid aliud, ita destruit ipsam, vt vi talis destructionis, aliud efficiat, & ita aliud efficiat, vt vi talis effectionis eam destruat, & hæc oppositio procedit ex voluntate Diuina, quâ vnum statuitur non conseruari alio succedente.

Ad conuersionem quid requiritur.

Dico 1. Creatura non potest conuerti in Deum, nec è conuerso. Ita D. Subt. *in* 4, *dist.* 11. *q.* 2. Probat sic, Nihil potest conuerti, nec vt terminus à quo, nec vt terminus ad quem, nisi cuius esse, & non esse totaliter subest virtuti conuertentis. Sed nihil

Deus non potest cõuerti in creaturam

nihil intrinsecum Deo substat potentiæ Diuinæ: quia potentia actiua, non respicit pro obiecto nisi possibile: quidquid autem est Deo intrinsecum est simpliciter necesse esse. Ergo.

Dices I. Verbum Diuinum est terminus incarnationis actiuæ. Ergo Deus potest esse terminus alicuius actionis. Ergo non repugnabit Deitati terminare conuersionem creaturæ in ipsam. Confirmatur quia non repugnat Diuinæ naturæ terminare illam actionem realem, quæ non requirit in termino mutabilitatem, possibilitatem, nec finitatem. Sed transsubstantiatio est huiusmodi, quia non requirit terminum suum mutari, & consequenter neq; aliquã possibilitatem in termino, nec requirit addi aliquid termino suo, & per consequens nec finitum. Ergo.

Respondeo Negando Verbum Diuinum esse terminum incarnationis, licet enim Verbum Diuinum dicatur incarnatum, non tamen est terminus actionis realis, sed ita denominatur à relatione terminante relationem realem, quæ est in humanitate. Ad Confirmationem Dico quod contra immutabilitatem, necessitatem, & infinitatem est, quòd possit esse terminus actionis realis propriè dictæ de genere actionis, quæ requirit terminum per eam produci à causa actiua.

Verbum Diuinum non est terminus actionis realis.

Dices 2. Deus potest esse terminus intellectionis, & volitionis. Ergo & conuersionis. Respondeo Licet Deus possit esse terminus actionis, quæ sit operatio & qualitas, non tamen potest esse terminus actionis, quia non potest DEVS produci, nec in ipsum aliquid induci, nec mutari.

Deus est terminus intellectionis.

Dico 2. Quælibet creatura potest conuerti in quamlibet. Probatur Sicut enim Deus Angelum creat ex nihilo, ita potest eum producere, ex lapide: *Potens enim est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Ratio est D. Subtilis, quia vterq; talis terminus, & quoad esse, & quoad non esse, subest omninò virtuti actiuæ Diuinæ, ita tamen vt inter vnam & alteram creaturam, non sit dependentia essentialis, qualis est V. G. inter animam, & humanitatem Pauli; nam anima Pauli non potest in eius humanitatem conuerti, aliás humanitas Pauli subsisteret destructá animá eius, quod repugnat.

Creatura quælibet potest conuerti in quamlibet.

Obiicies 1. S. August. *de Genesi ad literam c.* 4. Et Boethius *libro de duabus naturis, & vna Persona c.* 7. dicunt, Corpus non posse conuerti in spiritum, nec e conuerso.

Respondet D. Subt. Prædictos Authores hoc ideò asseruisse, quia plures sunt rationes repugnantiæ in conuersione spiritus in corpus, quàm spiritus in spiritum, vel corporis in corpus, tametsi hæc omnia subiaceant omnipotentiæ Dei. Respondet 2. P. Rada *in* 4. *Controuersia* 6. *art.* 2. ex D. Subt. has authoritates intelligendas de conuersione formali, in qua subiectum commune manet, tali namq; conuersione corpus in spiritum conuerti non potest. Ergo non loquuntur de quacunq; conuersione possibili Deo.

Explicantur authoritates.

Obiicies 2. Si conclusio esset vera, sequeretur quòd substantia posset conuerti in accidens, & absolutum in respectiuum, & quantitas panis in quantitatem corporis Domini. Sed non primum quia substantia posset esse in hærens: non 2. quia respectus posset esse per se, sine fundamento, & termino. Sed hoc est impossibile, quia repugnat dari respectum sine fundamento, & termino. Non 3. quia sequeretur quòd corpus Christi Domini idem spatium occuparet, quod antea panis occupabat.

Respondeo Concedo sequelam quoad omnia. Ad probationem primæ inconuenientiæ Dico, id non sequi, quòd substantia manẽs substãtia inhæreat, quia vterq; terminus cõuersionis haberet proprium modum essendi sibi correspondentem, ita vt si terminus à quo fuerit substantia, habebit modum per se essendi, terminus autem ad quem si fuerit accidens, habebit proprium modũ, scilicet in alio. Non igitur substantia existit in alio, sed substantiæ per se existenti, tanquam termino à quo succedit ens in alio, tanquam terminus ad quem. Ad probationem secundæ inconuenientiæ Dico, non sequi inde respectum fore sine fundamento, & termino: quia acciperet esse per conuersionem eo modo, quo potest habere esse, respectus autem non potest habere esse sine fundamento & termino. Quare inquit D. Subtilis si absolutum præfuit sine fundamento, & termino, respectus etiam debeat esse cum fundamento & termino: sicut etiam si lapis conuerteretur in scientiam, ex sub-

Substantia potest cõuerti in accidens.

absolutum in respectiuum.

ex subsistente fieret inhærens, quia scientia non potest aliter existere quàm per inhærentiam. Ad probationem tertiæ inconvenientiæ Nego sequelam, tum quia non est necesse, vt id quod succedit succedat in locum desinentis: tū quia non est necesse vt eodem modo sit, & existat succedens quo existebat desinens.

Quantitas vna in aliam.

QVÆRES OCTAVO.

Quibus propositionibus possit hæc conuersio exprimi?

Nota I. Hac difficultas mouetur ad intelligentiam quarundam locutionum Patrum, quorum aliqui dicunt, panem esse, vel futurum esse corpus Christi Domini: Alij Corpus Christi Domini esse, quod fuit panis, vel posse esse, vel fieri corpus Domini. Alii corpus Christi Domini fieri, de pane, vel ex pane. Alij dicunt panem mutari in corpus Christi Domini pro quibus intelligendis adducit D. Subtilis *in* 4. *dist.* 11. *q.* 5. quasdam regulas, quarum Prima est, quod verbum (fieri) quando prædicat secundum adiacens, prædicat simpliciter esse fieri eius, de quo dicitur. V. G. si dicatur Petrus fit, vel panis fit, significat Petrum, vel panem suum esse substantiæ accipere. Quando verò fieri prædicat tertium adiacens denotat subiectum fieri secundùm formam prædicati, vt si dicatur, Petrus fit albus, denotat Petrum fieri sub forma albedinis.

Non potest dici panis fit corpus.

Secunda Regula Quòd *esse* notat vnionem extremorum, vel essentialem, vel accidentalem pro eo tempore, quod significat, quando prædicat tertium adiacens. V. G. Petrus est animal, ly est, significat vnionem animalis ad hominem pro tempore præsenti. Tertia Regula est, Illæ propositiones in quibus dicitur, quòd panis potest, vel potuit fieri Corpus Christi Domini, aut è conuerso falsæ sunt: quia illa de possibili falsa est, cuius de inesse est impossibilis: sed quælibet de inesse correspondens cuilibet istarum de possibili est impossibilis, ex prima regula. Ergo. 4. Regula est Quòd hæ præpositiones *De, ex, & in,* aliquando denotant habitudinē materiæ ex qua aliquid, vt ex ære fit statua: aliquando verò consubstantialitatem vnius ex alio, vt in Diuinis Filius est de, vel ex substantia

Neque panis est corpus.

Neque panis potest esse corpus.

Propositiones De, ex, in varias dicūt habitudines.

stantia Patris: aliquando verò solùm dicit ordinem vnius ad aliud vt ex manè fiet meridies, id est, post manè fit meridies, Quando itaq; explicant conuersionem vnius in aliud propositiones, debent accipi, vna in recto, & alia in obliquò, vt ex pane fit corpus Christi Domini.

Panis est qui conuertitur in corpus Domini.

Dico itaque Per istas propositiones panis est corpus Christi Domini, vel fit corpus, vel potest esse corpus, sunt falsæ in rigore, sed debent exponi, panem esse id, ex quo tanquam ex termino à quo, fit corpus Christi Domini: vel panis transit; vel conuertitur in corpus Domini, vel è conuerso. Quando verò 7. *Synodus act. 6. dicit*, *Diuinum corpus fieri panem*, intelligit panem spiritualem. Patet Conclusio ex regulis explicatis.

ARTICVLVS VIII.

De Accidentibus Eucharistiæ.

Accidentia remanent sine subiecto.

Nota 1. Negant Hæretici accidentia esse sine subiecto, sed in substantia panis & vini, quam remanere putant, subiectari arbitrantur. Sed Catholici ab exordio Ecclesiæ tenuerunt, & modò cōstanter tenent, accidentia sine subiecto remanere in Eucharistia, quod iustis de causis Deus præpotens efficere voluit, Primò vt scilicet nobis occultaretur forma carnis Christi Domini. 2. vt fides haberet meritum. 3. vt res pretiosissimæ sub vsitatis formis, ab infidelium captu occultarentur. 4. Vt corpus Christi Domini, minimè aptum, ad Sacramentum, sacrificium, comestionem, & fractionem &c, his vsibus per accidentia accomodaretur.

Cur remaneant.

Accidentis acceptio.

Nota 2. Accidens sumi, vel pro per se significato, quod est inhærere, vel pro eo quod denominatur ab isto per se significato, quod est vel absolutum, vt albedo & nigredo, vel relatio, vt est paternitas, filiatio. Porrò actualis inhærentia, non est de essentia accidentis, sumpti pro per se denominato. V. G. inhærentia actualis albedinis ad suum subiectum, non est de essentia eius, nec est idem realiter cum eo. Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. *n.* 5. vbi subdit hoc prædicatum esse in subiecto, potest accipi secundùm aptitudinem, vel actualitatem, & neutrum esse de essentia accidentis absoluti, imò accidens quodcunq; absolutum puta quantitatem & qualitatem posse

tem posse virtute Diuinâ existere sine priori, vt probat D. Subtilis *loco citato.*

Dico 1. In Eucharistia sunt accidentia sine subiecto præsertim quantitas. Hæc Conclusio est de fide, determinata in multis Conciliis, nouissimè in Tridentino *Sess. 13. Can. 2.* Et SS. Patrum communis. Probatur à D.Subtili *loco citato n. 3.* sic, Accidentia panis manent, vt patet, & non afficiunt corpus, quia illud non est quantum hac quantitate, sed quadam maiore, nec figuratum hac figurá, sed figura corporis humani, nec est coloratum hoc colore, sed colore conuenienti corpori humano: nec accidentia ista afficiunt aerem, quia aer non est capax illorum, sunt enim accidentia corporis mixti, & repugnantia elemento: nec afficiunt etiam substantiam panis, quia illa non manet. Ergo sunt sine subiecto.

In Eucharistia accidens est sine subiecto.

Obiiciunt Hæretici, Si sic, sequeretur quòd accidentia in multis casibus ferrent substantiam, cùm tamen substantia ferre deberet accidentia. Respondeo Nego sequelam, quia accidentia per se non ferrent substantiam, sed ipsa virtute Diuinâ sustentatâ, posset ferre, quæcunque poterant innixa substantiæ, cùm virtus ea sustentans, præstet id omne in genere causæ efficientis, quod præstaret substantia in genere causæ materialis, si adesset.

Dico 2. Accidentia separata, non recipiunt modum aliquem positiuum per se existendi, similem modo existendi substantiæ, per quem hic existant sine subiecto, sed immediatè conseruantur à Deo, extra subiectum. Ita D. Subt. *loco citato. n. 3.* contra S. *Thom. qui 3.p. q. 77. a. 1. ad. 4.* sequuntur omnes eius discipuli. Richardus ibidem *a. 1. q. 2.* Bellarminus *lib. 3. de Euchar. c. 24. & multi alij.* Probatur 1. quia non est aliquod fundamentum ab experientia, ratione à priori, aut posteriori, aut ex fide vrgens dari istum modum positiuum perseitatis in quantitate, & omnia saluantur, quæ fides, & ratio exigit sine tali modo. Ergo frustra fingitur. Antecedens patet ab experientia non esse fundamentum, quia quoad sensum manet omninò idem esse quantitatis, figura, dimensiones &c. aliàs sensus deprehenderet talem mutationem fieri, & colligeret non ad-

Accidentia non recipiunt nouum modum essendi post separationem.

non adeſſe ſubſtantiam panis. Non fauet etiam ratio à priori, quia talis modus, neq; ad eſſe, neque ad agere, aut pati quantitatis exigitur: non ad eſſe quia, Deus poteſt conſeruare quantitatem, abſque tali modo ſeparatam à ſubiecto, vt concedunt & aduerſarij; quia dependentia formæ abſolutæ à cauſa extrinſeca poteſt ſuppleri à cauſa prima. Sed talis eſt dependentia quantitatis à materia, vel ſubiecto. Ergo. Minor patet, quia talis eſt dependentia formæ ad ſubiectum, qualiter cum ſubiecto conſtituit aliquod eſſe. Sed quantitas cum ſubiecto conſtituit tantùm eſſe per accidens. Ergo ordo extremorum ad inuicem erit ordo per accidens, ac proinde a cauſa prima poteſt ſuppleri.

A fide non eſt ratio.

Quòd neque à poſteriori, ſubſit ratio, patet, quia nullus hic effectus probat talem modum eſſendi quantitatis, quia nulla apparet dependentia particularis ad ipſũ. Quòd neque à fide ſuppetat ratio, patet, quia omnia Concilia, nihil aliud dicunt, quàm accidentia hîc eſſe ſeparata ſine ſubiecto. Ergo non aſtruunt iſtum nouum modum eſſendi.

2. Ratio.

Probatur 2. Modus iſte poſitiuus eſt impoſsibilis, nam non poteſt aduenire accidentibus eorum inuariatá naturâ. Sed quod ita ſe haberet iſte modus. Probatur. Modus aſſendi per ſe, vel eſt differentia, vel proprietas interna ſubſtantiæ inſeparabilis ab ea. Sed proprietas. vel differentia alicuius naturæ, tribui non poteſt alteri naturæ ſpecie diſtinctæ, niſi mutetur eſſentialiter. V. G. rationale, vel riſibile non poteſt communicari lapidi inuariatâ eius naturâ. Ergo accidentia iſta mutarentur eſſentialiter, quod eſt falſum. Deinde in quo genere entis poneretur iſte modus? cum enim producatur per ſe, & verè terminet aliquam actionem Diuinam, debet reponi in aliquo genere entis. Sed nullum aſsignari poteſt. Ergo.

Suarez opinio non valet.

Neque valet quod dicit Suarez. modum iſtum diſtingui tantùm formaliter ab accidentibus: quæ enim ſunt idem realiter, & formaliter tantùm diſtinguuntur, ita ſe habent, vt vnum non poſsit eſſe, nec produci ſine altero; iſte autem modus producitur, & aduenit accidentibus iam conſtitutis.

3. Ratio.

Probatur 3. Si accidens quando ſeparatur, habet nouum eſſe, vel nouum modum eſſendi, oportet admittere tranſmutationem aliquam, à carentia illius eſſe, ad iſtud eſſe. Sed hoc

est impossibile : non enim est generatio, quia accidens non est subiectum generationis : nec est augmentatio, quia nec quantitas, nec alteratio, quia nec qualitas. Ergo. Respondet Suarez. 3. p. q. 77. esse mutationem supernaturalem, & extraordinariam. Verùm cùm per illam aliquid producatur, debet necessariò dicere cuius generis sit, tum illa, tum ens ad quod terminatur.

Substantia non potest accipere modum essendi in alio.

Probatur 4. Impossibile est substantiam accipere modum per quem dependeat à subiecto, tanquam inhærens illi. Ergo impossibile est accidens recipere modum perseitatis, per quem absoluatur ab omni inhærentia. Consequentia patet, quia ista duo scilicet per se existere, & inhærere, æquè conuenirent substantiæ: & accidenti. Deniq; Probatur Quoties virtus aliqua supernaturalis datur alicui, tamen postquam data est, naturale est habenti illam, consequi illud, ad quod est illa virtus, V. G. per visum redditum cæco supernaturaliter, naturaliter est post modũ cæco videre. Ergo licet supernaturaliter daretur accidentibus iste modus essendi, tamen postmodum naturale esset accidentibus existere sine subiecto.

Obiicitur Primò Si accidentia non reciperent nouum modum essendi, post separationem à substantia, manerent ibi violenter. Respondeo Nego, non enim manent violenter, sed supernaturaliter, Deo tribuente illis immediatè in genere causæ efficientis, illud omne, quòd priùs habebant à subiecto in genere causæ materialis.

Posterius quando potest esse sine priori.

Obiicitur 2. Posterius essentialiter, non potest esse sine priori essentialiter. 5. *Metaph. c. de priori*. Sed accidens est posterius substantia. Ergo. Respondet D. Subt. *loco citato n.* 25. quòd prius, & posterius possunt concipi, vel actualiter, vel aptitudinaliter, & hoc vniformiter, scilicet vtrumq; actualiter, vel aptitudinaliter. Si vtrumque accipias aptitudinaliter, vera est maior, quia semper posterius secundùm aptitudinem, supponit prius secundum aptitudinem. Si verò accipias posterius secundùm aptitudinem, & prius actualiter, nego, quòd illud prius non possit esse sine posteriori. Ad propositum dico quòd accidens non est actualiter posterius ad substantiam,

stantiam, sed tantùm natum esse posterius ad eam, tanquam ad aptitudinaliter prius. Aduerte tamen, quòd posterius naturaliter actu, non potest esse sine priori actu.

Obiicitur 3. Destructo vno modo, præsertim eo qui habet rationem vltimi termini, statim alius ei oppositus insurgit. V. G. destructâ vnâ figurâ quantitatis, statim aliam insurgere oportet, quia nulla res creata existere potest sine termino. Ergo destructo modo inhærentiæ actualis in accidentibus, insurgit necessariò modus perseitatis.

Duplex est modus essendi in alio.

Respondeo Insurgere alium oppositum, positiuè, vel negatiuè, destructo itaq; modo inhærentiæ actualis, insurgit aptitudinalis. Præterea duplex est modus essendi in alio: nimirum vt in alio sustentante materialiter, qui dicitur inhærere, & in alio vt sustentante efficienter, qui dicitur sustineri, & sustentari. Et sic destructo modo inhærentiæ insurgit modus sustentationis passiuæ ab alio, tanquam efficiente.

Collige Subiectum non cadere in definitionem accidentis essentialiter, sed tantùm vt additum.

QVÆRES SECVNDO.

An in Eucharistia quodcunq; accidens sit sine subiecto?

Duplex subiectum.

Nota 1. Duplex esse subiectum accidentium, scilicet vltimò terminans, & non vltimo terminans. Deinde Posse esse hîc sermonem de accidente, vel absoluto, vel respectiuo.

Sensibile duplex.

Nota 2. Sensibile esse duplex, vnum in potentia remota, vt sentiatur: aliud in potentia propinqua. Primum est quidquid habet formam sufficientem non tamen sub modo conuenienti, vt sentiatur. Secundo modo, quod habet talem formam, vt statim cessante impedimento extrinseco posit sequi actus, primo modo qualitas est sensibilis separata à quantitate: posteriori modo est qualitas in subiecto.

Accidentia in Eucharistia sunt sine subiecto vltimo.

Dico 1. Omnia accidentia, quæ fuerant panis, sunt in Eucharistia sine subiecto vltimatè terminante eorum dependentiam: sunt autem in subiecto scilicet in quantitate, non tamen vltimatè, sed proximè, & immediatè terminante dependentiam corũ. Prima pars

ma pars conſtat ex priori Quæſito. Secunda patet quia ablata eſt ab accidentibus inhærentia à ſubſtantia panis, non autem à quantitate. Ergo.

Dico 2. Quantitas quæ fuit panis, manet in Euchariſtia ſine ſubiecto quocunq; modo ſumpto, ita vt priuetur inhærentia actuali, quâ panis ſubſtantiæ inhærebat, neq; ineſt alij ſubſtantiæ. Probatur, quia quantitas manet, & ſubſtantia panis deſtructa eſt. Ergo inhærentia quâ pani inhærebat non manet, quia implicat deſtructo ſubiecto manere inhærentiam accidentis ad ipſum.

Quantitas eſt hic ſine ſubiecto.

Dico 3. Omne accidens reſpectiuum, eſt hîc neceſſariò in ſubiecto, ſeu fundamento. Ratio eſt, quia inquit D. Subt. Impoſſibile eſt quòd ſit reſpectus inter duo, quin ſit alicuius, & ad aliquid, & hoc non ex ratione accidentis, ſed ex ratione reſpectus: non poteſt autem eſſe reſpectus alicuius ad aliquid, niſi inſit illi, cuius eſt reſpectus. V. G. non poteſt eſſe ſimilitudo huius hoſtiæ, ad aliam hoſtiam ſimilem, quin ſit in illo albo, quod alteri dicitur ſimile.

Accidens reſpectiuum eſt in ſubiecto.

Dico 4. Licet in Euchariſtia ſit qualitas in ſubiecto; abſolutè tamen poteſt eſſe ſine ſubiecto. Prima pars patet, quia qualitas in Euchariſtia eſt extenſa, vt patet ad ſenſum: non eſt autem extenſa intrinſecâ extenſione. Ergo extrinſecâ, nimirum in quantitate. Secunda pars Probatur. Tùm quia dependentia ad primum, eſt magis eſſentialis, quàm ad aliquid poſterius, loquendo de abſolutis dependentibus, & terminantibus dependentias: qualitas autem eſt forma abſoluta, ſicut & quantitas. Ergo eſſentialiùs qualitas dependet à ſubſtantia, quam à quantitate; ſi ergo qualitas poteſt eſſe ſine dependentia actuali ad ſubſtantiam poterit eſſe ſine dependentia actuali ad quantitatem. Tum quia magis conuenit non eſſe in ſubiecto abſoluto, & magis perfecto, quàm minus perfecto. Sed qualitas eſt Ens abſolutum, & magis perfectum, eſt enim principium agendi, & nobilioribus ſubſtantiis nobiliores correſpondent qualitates, vt probat D. Subtilis in 4. d. 12. q. 2. num. 9. & 10.

Qualitas poſſet eſſe ſine ſubiecto.

Nobilior qualitas quantitate.

QVÆRES TERTIO.

An accidentia in Eucharistia possint efficere, quidquid poterant dum essent in subiecto?

Triplex actio accidentium.

Nota In hoc Quæsito de triplici genere actionis esse controuersiam, nimirum circa substantiam, tum generandam, tum corrumpendam; circa accidentia tum immutanda, tum corrumpenda, & quidem tam in subiecto, quàm extra subiectum existentia; & de actione circa sensum vel intellectum immutandum, quæ actio intentionalis appellatur. Porrò difficultas est de accidentibus Sacramentalibus, vel principaliter, vel instrumentaliter tantùm agentibus.

Accidentia non generant substantiam.

Quantùm ad primum, Dico 1. Accidentia neq; coniuncta, neque separata, neque principaliter, neque instrumentaliter generare, vel corrumpere posse substantiam. Ita D. Subt. *in 4. d. 12. q. 3.* quam probat multis rationibus. 1. Quia ex dictis in Philosophia, accidens non potest agere instrumentaliter circa substantiam, nisi agendo præuiè dispositiuè respectu termini substantialis, principaliter producendi à substantia. Sed hîc nulla est substantia, quæ terminum aliquem producat. Ergo accidentia hîc non agunt præuiè dispositiuè. Ergo neque instrumentaliter: agens enim principale assimilat sibi primò productum: sed accidentia non assimilant sibi substantiam. 2. Probatur instrumentum non operatur sine cõcursu causæ principalis. Ergo neque accidens separatum poterit instrumentaliter agere ad generationem substantiæ, sine concursu substantiæ. 3. Si accidentia possent generare, vel corrumpere substantiam, aut hoc possent virtute propriá, aut virtute alterius. Neutrum dicendum. Ergo. Non primum vt omnes fatentur. Non secundum, quia hoc esset virtute substantiæ. Sed in accidentibus separatis non est substantia? quod autem non est, non causat. Ergo. 4. Accidens separatum ab accidente coniuncto, non differt nisi per vnicam priuationem inhærentiæ actualis. Sed priuatio non est principium agendi. Ergo.

Dices

Dices 1. Accidentia Sacramentalia, posse in substantiam instrumentaliter, id est in virtute substantiæ cuius sunt accidentia.

Respondeo Non posse intelligi, quomodo agere possint in virtute eius, quod non est, inquit D. Subt. Nullam rationem causæ habet respectu producti, quando producitur, ex Secundo *Phys. Tex.* 37. *& 5. Metaphys. cap. de causa*; quia causa in actu, & effectus in actu, simul sunt, & non sunt: Substantia autem panis, vel vini, non est quando accidentia Sacramentalia agunt. Ergo illa substantia nullam rationem causæ habet, respectu effectus, qui producitur ab illis, & consequenter accidentia non agunt in virtute illius substantiæ, tanquam in virtute causæ superioris. Multas rationes Philosophicas D. Subt adducit: *loco citato*.

Dices 2. Accidentia separata non aliter se habent secundùm actum primum, quàm se habebant dum erant coniuncta. Sed ante separationem accidentia poterant attingere instrumentaliter generationem substantiæ. Ergo poterunt id, post separationem. Experientiis comprobatur, quæ adducuntur in contrarium de generatione viuentis per putrefactionem, & propagationem; & de generatione ignis ex motu, aut calore ferri candentis, & de generatione quorundam mixtorum.

Respondeo Nego Minorem. Ad experientias dico, etsi ista producantur ad sensum de nouo, & ad præsentiam agentis disponentis, saluari tamen debet earum productio ad illam causam, ad quam sufficienter ipsius effectus dependentia terminatur, hæc autem debet eminenter, virtualiter, vel formaliter includere perfectionem effectus: alioquin tollitur fundamentum colligendi perfectionem causæ ex effectu; & quod est inconueniens, etiam tollitur fundamentum colligendi recursum ad causam primam in multis operibus miraculosis. Accidentia non producunt substantiam.

Quantùm ad Secundum Dico Sacramentalia accidentia alterare possunt accidentia contraria, tam in subiecto, quàm extra subiectum existentia. Demonstrat experientia, Sacramentales enim species frigefaciunt, vel calefaciunt, si sint frigidæ, vel calidæ. Accidentia altera re possunt.

Ratio

Ratio est, quia illa forma est principium agendi, quæ secluso quolibet alio agit, & assimilat sibi passum. Sed species Sacramentales sunt tales, sunt enim sicut & reliqua accidentia principium totale suæ actionis, ac insuper existunt sub modo conuenienti, scilicet in quantitate: non enim ex earum separatione à substantia quidquam aufertur ab eis.

Dices 1. Sacramentales species non possunt alterare accidentia coniuncta, quin tandem destruant substantiam cui inhærent.

Respondeo negando id quod infertur: nam accidentia possunt tantùm alterare: alterare autem cum sit posterius naturaliter formâ substantiali rei alterabilis, non poterunt accidentia corrumpere formam substantialem, quia nullum prius naturaliter, corrumpitur per aliquid posterius naturaliter; vnde nec tota sphæra caloris à substantia separata, posset corrumpere guttam aquæ, sed illa corrumperetur à causa prima.

Nota.

Corrumperent. accidentia in subiectum.

Dices 2. Si accidentia Sacramentalia corrumperent accidẽtia separata, corrumperent illa vel in nihilum, vel in subiectum: non in nihilum, quia non possunt annihilare, non etiam in subiectum, quia sic possent producere substantiam.

Respondeo Quòd corrumperent in subiectum, quod etiam in tali casu substitueretur ab agente vniuersali, & hoc sine miraculo, quia Deus supplet regulariter omnem impotentiam naturæ creatæ, vt patet in animatione humani corporis organici.

Possunt agere actione intentionali.

Quantùm ad Tertium Dico Sacramentalia accidentia possunt agere actione intentionali, tam in sensum, quã in intellectum, producendo speciem sensibilem, & intelligibilem, quâ sentiantur, & intelligantur. Patet quia illa quotidie videmus, & gustamus, & de illis ratiocinamur. Tùm quia ad hoc non dependent à substantia, imò vice versâ, substantia in hoc dependet ab illis. Tùm quia respectu huiusmodi actionis, tota ratio agendi est forma accidentalis.

Dices 1. Agens, & patiens debent communicare in materia: forma enim sola, non potest esse principium agendi, contra ideas

Platonis. Respondeo verum esse de communicatione aptitudinali, vel actuali: accidentia autem separata nata sunt communicare cum passo in materia sui subiecti. Ad ideas Platonis dico, illas non posse esse principium generandi substátiam compositam. Sicut nec species intelligibiles, neque charitas sunt totale principium suorum actuum.

Agens & patiens communicant in materia

Dices 2. Si accidentia separata possent habere istas duas actiones intentionalem, & realem, sequeretur quòd essent agentia libera. Consequens est falsum. Ergo. sequela probatur hæc enim est differentia inter agens liberum, & agens naturale, quòd agens naturale agat semper vniformiter, agens verò liberum difformiter. Si ergo accidentia agant vtraq; actione non habebunt vnum modum agendi, & sic erunt agentia libera, quod est falsum.

Respondeo, Nego sequelam maioris. Ad probationem dico, quod aliquid agere difformiter dicitur dupliciter. Primò difformitate contradictionis. secundo difformitate contrarietatis; quòd agit difformiter hoc secundò modo, non est agens liberum, sed naturale, & talis actio difformis competit accidentibus.

Agere difformiter dupliciter

QVÆRES QVARTO.

Vtrum omnis motus, vel mutatio, quæ fit in speciebus consecratis, fiat sine subiecto?

Nota. Circa species consecratas multiplicem esse mutationem, nimirum ad vbi, ad qualitatem simpliciter, ad qualitatem comitante quantitate, & ad quantitatem simpliciter. Porrò ad quantitatem duplicem esse posse motum, vel secundum augmentum, & decrementum, vel secundùm diuisionem & appositionem.

Dico 1. Species consecratæ mouentur ad vbi, cuius motus est subiectum quantitas. Ita D. Subt: *in 4. d. 12. q. 4. §. ad quæstionem ergo Respondeo*. Prima pars patet experientia, videmus enim species consecratas moueri sursum, & deorsum. Secunda pars probatur, sicut enim vbi inesse quieto, necessario est in quantitate, vt in proprio subiecto, ita vbi fluens necessario est in eadem quantitate. re-

Accidentia separata mouentur ad vbi

taté requiritq; eandem quantitatem. Ergo motus specierum ad vbi non fit sine subiecto.

Mouentur ad quantitatem.

Dico 2. Species consecratæ mouentur ad qualitatem, tali motu habente pro subiecto quantitatem. Primam partem experientia probat, nam species consecratæ frigefiunt, & calefiunt aliquando: Atqui isti motus sunt ad qualitatem vt patet. Secunda pars constat, nam qualitas est hîc in quantitate, & ideò consequenter sunt motus isti ad qualitatem, sunt autem in quantitate tanquam in proprio subiecto proximè terminante dependentiam eorum.

Dices Species consecratæ possunt mutare suas figurationes, nimirum si species vini consecrati ex vase quadriangulari, infunderentur in vas rotundum. Sed istud fieri non potest sine deperditione quantitatis, & tamen motus ille esse ad qualitatem, forma enim & figura sunt species qualitatis. Ergo non omnis motus ad qualitatem habet necessariò quantitatem pro subiecto.

Figura quid dicat.

Respondeo Nego minorem, hoc enim vt inquit D. Subt. videtur esse contra sensum, nam nimis durum esset dicere, quòd quoties figuratur aqua aliter & aliter, in vase alio, toties haberet nouam quantitatem manentibus partibus iisdem in se, & in toto: quare figura vltra quantitatem, non dicit nisi relationem partium ad se inuicem, vel terminorum includentium partes, hæc enim relatio potest mutari, partibus manentibus iisdem in se, & in toto: & sic figura denominatiuè est qualitas, formaliter verò est relatio.

Species consecratæ mutantur ad qualitatem comitante quantitate.

Dico 3. Species consecratæ mutantur ad qualitatem, comitante quantitate, V. G. quando mutantur per rarefactionem, vel condensationem: & iste motus fit sine subiecto: Vnde etiam causatur à solo Deo, non autem ab agente creato. Hæc conclusio supponit dicta Philosophica duo, primò rarefactionem, & condensationem esse motum ad qualitatem comitante quantitate. Deinde rarefactionem nunquam fieri sine acquisitione alicuius nouæ quantitatis, sicut nec condensationem sine deperditione veteris quantitatis. Prima pars conclusionis patet, quia per excessiuum calorem species vini consecrati rarefieri possunt, & per excessiuum frigus

Nota.

conden-

condensari. Secunda pars probatur: In illis speciebus nullum est subiectum aliud, quàm quantitas; Ergo illius nouæ quantitatis, quæ de nouo acquiritur, nullum potest esse subiectum; Ergo mutatio ad illam quantitatem, est ibi sine subiecto. Tertia pars probatur hoc discursu Doctoris. Quòd immediatè conseruatur à Deo, non potest corrumpi ab agente creato; talia sunt huiusmodi accidentia separata: Ergo non possunt corrumpi effectiuè à creatura: & ratio est, quia nulla causa creata potest habere virtutē actiuā præeminentem virtuti causæ conseruantis ista in esse suo: sed hæc quātitas habet esse supernaturale, inquantùm scilicet immediatè conseruatur à causa supernaturali: Ergo nulla creatura condensando species consecratas, quantitatem illam destruit. Et idem dici debet de quantitate, quæ acquiritur per rarefactionem.

Conseruatum ab agente in creato nō potest corrumpi à creatura

Præterea, quantitas existens in subiecto, non corrumpitur per contrarium, quippe quæ non habet contrarium: Ergo nonnisi per defectum subiecti, vel alicuius ipsam necessariò consequentis, corrumpitur: sed non potest hîc corrumpi, per defectum subiecti, quia est hîc sine subiecto: nec etiam secundo modo, quia nullum aliud accidens inhærens quantitati, necessariò consequitur ipsam: Ergo ab agente creato destrui non potest per condensationem. Si ergo quæras (inquit D. Subt:) à qua causa inducitur quantitas noua? Respondeo (inquit) quòd à solo Deo immediatè, nec tamen nouo miraculo, quia eá voluntate, quá disposuit Eucharistiam esse in Ecclesia, disposuit quòd circa illas species, præsente actiuo naturali causaret talem transmutationem, & hoc ne meritum fidei euacuaretur, si videremus species intransmutabiles.

Quantitas à quo corrumpitur

Nota.

Dico 4. Potest hîc fieri motus ad quantitatem simpliciter: non tamen propriè secundùm augmentum, & diminutionem: sed secundùm diuisionem & appositionem, idq; non sine subiecto. Ita D. Subt. *loco citato. n. 25.*

In speciebus consecratis nō motus ad quantitatem.

Prima pars probatur, quia species Sacramentales franguntur, illisque potest addi aliud subiectum quantum, vt verbi gratia si vino consecrato infunderetur vinum non consecratum, diuisio autem illa & appositio sunt motus quidam in quantitate. Dictum

 verò

verò est, non posse mutari species secundùm augmentum, & diminutionem, quia augmentum, & diminutio, competunt tantùm rebus animatis. Secundam partem conclusionis declarat D. Subt: *loco paulò ante citato*, diuisionem non esse propriè mutationem aliquam eiusdem subiecti, sed esse tantùm reductionem partium in actum, quæ priùs erant in potentia in toto, seu reductionem partium ad actum distinctum, quæ priùs erant in toto continuatæ, & indistinctæ; quo supposito ostendit diuisionem specierum Sacramentalium non esse hîc omninò sine subiecto, quandoquidem diuisio illa est in ipsismet partibus, tum continuatis, tum distinctis, quia partes illæ secundùm eandem entitatem positiuam priùs erant in toto, & postea sunt extra totum, & ita partes illæ transmutantur, veluti à forma ad priuationem: priùs enim habent istum positiuum modum quòd sint in toto, quòd sint continuæ, & quòd sint cum alio, postea verò sunt extra totum distinctæ, & non cum alio.

Quid sit diuisio.

Appositio.

De Appositione idem dicit D. Subt. *loco citato*: quia possibile est aliquod quantum vino consecrato apponi eique continuari, & hoc quidem nullo subiecto remanente eodem, præter quam partibus illis continuatis, ita vt fiat transmutatio priori opposita, scilicet à priuatiuo ad positiuum; nam illud quantum non erat priùs cum alio, & postea fit cum alio. Quare secundùm mentem Doctoris Subt: multæ mutationes contingunt circa species Sacramentales in subiecto aliquo, potest tamen esse aliqua sine subiecto, V. G. mutatio rarefactionis & condensationis.

Dices. Tam motus quàm mutatio, necessariò requirit, & præsupponit subiectum, quod colligitur ex definitione motus, tertio Physic: *Motus est actus entis in Potentia*. Vel *est actus mobilis inquantùm mobile*. Quòd etiam constat ex definitione mutationis sexto Physic: *Mutari est aliter se habere nunc quàm priùs*. Ergo nullus motus, vel mutatio, potest fieri absq; subiecto.

Respondet D. Subt. §. Ad Argumenta principalia, subiectum mutationis non esse de essentia motus, nec de essentia mutationis, quòd aliquid nunc aliter se habeat, quàm priùs, sicut nec est de es-

sentia al-

albedinis, quòd sit alicuius habentis albedinem: vnde sicut forma aliqua in esse quietò essentialiter est in se talis, licet nullius sit subiecti, vt informabilis per ipsam: ita motus essentialiter est actualitas quædam potentialis, & mutatio est quædam aliter habitio, licet nullius sit subiecti denominati ab hoc, vel ab illo. Qui voluerit minutim videre disceptationem circa ea, quæ in hac quæstione tractat Doctor, videat Patrem Ioannem de Rada, & P. Fran: Aretinum, & reliquos nostræ Scholæ.

Mutationis subiectum non est de essentia eius.

QVÆRES QVINTO.

An Species Sacramentales corrumpi possint, actione agentium naturalium?

Nota S. Thom: *3. parte.* Q. 77. *a.* 4. absq; distinctione sentire, tum quantitatem, tum qualitates ab agentibus naturalibus corrumpi posse. Suarez 3. *p.* *d.* 57. *Sect.* 2. docet, quantitatem nunquam corrumpi posse in Eucharistia, quia in subiecto nunquam corrumpitur; cùm illa non sit in composito quod corrumpitur, sed in materia quæ non corrumpitur, & idcirco sicut desinente pane non corrumpitur, sed manet præsente Christi Domini corpore, ita corrupta Eucharistia, & desinente ibi corpore Christi Domini, vult ipsam non corrumpi, sed manere, & vniri materiæ, quæ succedit. Verùm hæc sententia Suarez supponit quantitatem esse coæuam materiæ, quod dictum ipsius, in Schola D. Subtilis locum non habet.

Opiniones aliorum.

Dico 1. Quantitas nequit corrumpi virtute agentis naturalis, præciso ordine eius ad primam causam, vt est separata.

Quantitas non corrumpitur ab agente naturali.

Probatur tum quia actio agentis naturalis exigit subiectum suum esse. Ergo nequit actio eius esse in quantitatem, nisi prout quantitas existit in subiecto. Ergo ad formam in eo gradu, qui est compatibilis esse quantitatis, & consequenter nequit producere formam incompatibilem esse eius; Sed forma introducta dependet à subiecto, sicut & actio eius productiua. Ergo supponit semper esse subiecti. Sed quod dependet ab aliquo in esse, non potest esse ratio non essendi eius formalis, vel includere non esse eius, neq; inferre

 non esse

non esse, nisi quatenùs habet connexionem cum aliquo consequẽte, quod corrumpit ipsum: in proposito non est talis connexio. Ergò patet subsumptum, quia alteratio illa, vt est ab agente naturali non habet connexionem cum alia forma consequente, & repugnãte, nisi quatenùs illa includitur in virtute agentis naturalis. Sed nulla forma repugnans esse quantitatis, includitur in virtute agentis creati. Ergo. &c. Maior patet, quia ipsa quãtitas separata, non dependet immediatè ab aliquo agente creato, neque agens creatum habet subiectum actionis in hoc Mysterio, quã posset induci substantia, repugnans substantiæ panis; etsi haberet, nihil referret, quia quantitas separata, ampliùs non dependet à substantia panis, neque à corpore Christi Domini vt subiecto, neque vt à causa efficiente, per cuius remotionem desineret: neque desinit corpus Christi Domini, nisi adueniente aliqua substantia, quæ repugnaret substantiæ panis si adesset. Deinde non dependet quantitas ab accidentibus, quæ insunt ipsi, eadem enim sub contrariis perseuerat, cùm nihil habeat contrarium: solùm ergo dependet à subiecto quando inest. Secundo probatur quia eatenùs corrumperetur virtute agentis naturalis, quatenùs induceretur forma incompatibilis in aliquo subiecto potentiali quantitatis. Sed nullum est tale. Vel ideò corrũperetur quia alteratio terminatur ad aliquam formam in eo gradu, quò habet connexionem cum forma substantiali, cum qua non maneret quantitas, si esset in subiecto. Sed hoc non, quia ex prima ratione præmissa non dependet abesse subiecti, in quo non inest, actu. Denique substantia composita de qua loquitur S. Thom. necessariò sibi determinat qualitatem aliquam propriam, maximè secundùm ipsum, qui vult substantiam corrumpi tantùm ad corruptionem quantitatis, quod non esset, nisi necessariò determinaret sibi qualitatem illam, ad cuius corruptionem corrumpitur. Sed quantitas non necessariò sibi determinat qualitatem aliquam, ita enim est indifferens ad vnam, sicut & ad aliam contrariam, & ad vnum gradum vnius, sicut & ad alium. Ergo tametsi substantia ad corruptionem quantitatis corrumpatur, quantitas tamen non corrumpitur; Vnde sicut iam dictum est, quoties contingit quantitatem hic

tem hic corrumpi, á solo Deo præsente agente naturali corrumpitur.

Dico 2. Ab agentibus naturalibus qualitates Sacramentales possunt corrumpi: ad quarum corruptionem desinere potest Eucharistia. Prima pars patet, quia habet contrarium: agentia autem naturalia, tùm in contrarium, tùm in illud quod est in subiecto agere possunt. Secunda pars probatur: nam Deus instituit non conseruare Eucharistiam, nisi quamdiu conseruantur accidentia, cum quibus stare potuisset substantia panis. Quare corruptis illis accidentibus desinit Eucharistia, & cessat Deus conseruare ibi corpus Christi Domini.

Quantitates ab agentibus naturalibus corrumpuntur.

Dices: Si corrumperentur species, aut in substantiam, aut in aliud accidens, aut in nihil: non in nihil, quia tunc accidens annihilaret, non in accidens, quia tunc creatura causaret accidens sine subiecto: nec denique in substantiam, quia ex accidente non potest fieri substantia. Ergo Species Sacramentales, id est qualitates, quæ sunt in Eucharistia, non possunt corrumpi virtute agentium naturalium. Respondeo quando illæ qualitates corrumpuntur, non desinunt in substantiam, neque in nihil, propter rationes assignatas in obiectione, sed corrumpuntur in aliam qualitatem contrariam, vel saltem alterius gradus in eadem specie: nec propterea sequitur, agens naturale, producere accidens sine subiecto, quia qualitas de nouo producta habet idem subiectum, quod prior qualitas habuit, scilicet quantitatem ipsam.

Accidentia corrumpuntur in accidentia.

Agens naturale non producit accidens sine subiecto.

QVÆRES SEXTO.

An redeat aliqua substantia, dum corrumpuntur species Sacramentales?

Nota D. *Subt. in 4. d. 12. q. 6.* resoluit, quo modo desinat Eucharistia, & quá transmutatione, nempe substantiali; & á quo agente, vbi varios modos dicendi Doctorum refert, & refutat. S. Thom. opinionem proponit ex *3. p. q. 77. a. 5.* docentis nullam substantiam propriè redire, sed in his casibus quantitatem gerere vicem materiæ, & substare formæ de nouo aduenienti, quia ex quo

Variæ opiniones referuntur.

Deus inquit instituit Sacramentum Eucharistiæ, & voluit quantitatem esse sine subiecto, contulit eidem quantitati modum essendi substantialem, & consequenter, omne aliud quod ad materiam panis pertinet, & ideò quidquid posset generari ex materia panis, vini, si adesset, generatur in ea sententia ex illa quantitate panis & vini.

Hæc opinio non placet Doctori *loco citato n. 8.* imò & multis aliis Theologis. Quare conueniunt ferè omnes Theologi, quòd in istis casibus necessariò redeat aliqua substantia, sed quænam sit illa, varii varia. Quidam dicunt illam desumi ex aliquo corpore circumstante, vt aere, vel alio. Quidam volunt ipsammet substantiam panis, in corpus Christi Domini conuersam, redire. Quidam dicunt materiam aliquam redire, non tamen de nouo creatam, sed productam ab accidentibus Sacramentalibus, propter posibilitatem quandam in ipsa transsubstantiatione illis per creationem cõmunicatam, quâ possunt transmutari non solùm in formam, sed etiam in materiam.

Necessariò redit substantia, nam quantitas incapax formæ substantialis.

Dico 1. Necessariò debet aliqua substantia redire corruptis speciebus, non enim sufficit sola quantitas, quæ subsit formæ substantiali. Ita D. *loco citato n. 8.* Probatur forma determinata ad aliquod receptiuum, nullo modo potest aliud receptiuum perficere V. G. albedo determinata ad perficiendum corpus, non potest Angelum perficere, sicut nec sapientia lapidem: Sed forma substantialis determinatur ad materiam substantialem, vt ad proprium susceptiuum. Ergo nullo modo perficere potest quantitatem illam: Ergo eadem quantitas non sufficit ad recipiendam formam substantialem de nouo aduenientem. Propterea forma de genere priori, non potest perficere susceptiuum de genere posteriori. Ergo nec forma substantialis quantitatem illam, vel dimensionem. Antecedens probatur, quia forma præsupponit suum susceptiuum tanquã actus potentiã, & hoc loquendo de ordine originis: actus autem generis prioris, nec origine, nec perfectione aliquid præsupponit de genere posteriori: Ergo forma substantialis non poterit præsupponere quantitatem, tanquam suum susceptiuum, cùm illa

sit de

sit de genere posteriori. Deinde forma substantialis est talis actus, qui natus est constituere vnum per se, cum suo perfectibili per se; sed illa non potest constituere vnum per se, cum aliquo de genere quantitatis: Ergo quantitas illa, non potest esse perfectibilis à forma substantiali de nouo accedente.

Præterea Illud quod est essentialis ratio terminandi dependentiam alicuius, non potest ab illo dependere; Sed forma substantialis est huiusmodi, respectu quantitatis: Ergo non potest ab illa dependere: dependeret autem, si simul cum illa vniretur ad constituendum totum aliquod. Vltimò, non potest intelligi quomodo de potentia quantitatis, possit educi forma substantialis, cùm ex natura rei, non sit in illa, tanquam in proprio potentiali.

Si dicas has rationes concludere de quantitate in sua natura, non vt habet modum essendi substantiæ. Respondeo Non habere modum illum, vt supra visum est; sed dato quòd haberet, non tamen haberet ideò entitatem substantiæ. Sed esse subiectum formæ, & cum illa facere substantiam completam, non competit materiæ secundùm modum essendi, sed secundùm entitatem suam. Et sic ruit fundamentum oppositæ sententiæ; licet enim Deus voluerit quantitatem esse sine subiecto, falsum est tamen contulisse ei entitatem substantialem materialem, per quam possit esse subiectum formæ substantialis. Occurritur instantiis.

Vnde D. Subt. *loco citato num. 9.* multa absurda infert ex opposita sententia, maximè illud, quod successu temporis sequeretur Sacerdotem aliquem, non fore hominem, nisi Mathematicum, nimirum compositum ex quantitate, & forma substantiali, si multò tempore nutriretur, speciebus Sacramentalibus.

Dico 2. In eo casu non redit substantia panis, & vini. Ita D. *loco citato n. 3.* Probatur quia vel substantia panis rediret ante corruptionem specierum, vel in vltimo instanti corruptionis, tanquam succedens ipsi corruptioni, vel certè simul ad corruptionem ipsam in fieri. Sed nihil horum. Non primum, quia vel desineret ibi corpus Christi Domini ante corruptionem specierum, quod est contra communem sententiá; vel simul esset cum substantia panis, Non redit substantia panis.

 quod est

quod est falsum, quia esse corporis sub speciebus, de facto includit non esse panis sub speciebus: neque vllá necessitate agentis, aut actionis, redit, antequam species desinant; quia sicut prima pars motus, ita & reliquæ vsque ad terminum, possunt fieri dependenter à subiecto priori, nempe quantitate. Si dicas eam redire necessitate generationis, vt posset substantia noua generari.

Contra, quia neque ex natura alterationis præuiæ, aut agentis id colligitur, neque ex natura termini, neque etiam ex natura generationis, & alioquin est superfluum, & inuolueret nouum miraculum, quod asseri nequit sine fundamento: Ergo non subest fundamentum, vnde dicatur redire. Probatur antecedens, quia alteratio præuia, habet sufficiens subiectum, vt dictum est, absque eo quòd redeat substantia panis, & vini: Ergo ex hoc capite non redit. Secundò, alteratio, vt disponit ad generationem alterius substantiæ, aut habet eam in termino concomitantem, & hoc non infert reditionem substantiæ panis, & vini. Primò, quia tendit ex natura sua in non esse substantiæ panis & vini, si adessent. Secūdò quia vel redirent sine quantitate, & aliis accidentibus, & sic non essent subiectum proportionatum agenti naturali; vt agit hac alteratione in species; tùm quia alteratio disponens ad corruptionem, debet esse secundùm accidentia propria illius subiecti, quod corrumpitur: tùm quia alteratio specierum separatarum, non esset corruptio accidentium panis, qui de nouo rediret. Ergo necessaria est noua alteratio in diuerso subiecto, nempe in ipsa substantia panis, ac proinde non ex vi prioris alterationis sequeretur corruptio substantiæ panis, ac generatio nouæ substantiæ.

Non sumitur à corpore circumstanti

Dico 3. Substantia rediens non sumitur à corpore aliquo circumstanti. Patet quia tunc necessarium esset Deum immediatè corrumpere substantiam corporis circumstantis, posteà materiā illius in instanti transferre de loco ad locum, quod est multiplicare miracula sine necessitate. Deinde necessarium esset ad desitionem Eucharistiæ, semper aliquid corrumpi ex his inferioribus, vt ex eorū materia supponeretur aliquid accidentibus Eucharistiæ, quoties ipsa corrumperetur, & sic oporteret dicere deesse nunc in his inferioribus

ferioribus totam illam materiam, quæ hactenus per consecratio-nem transsubstantiata est, quod est inconueniens, & ridi-culum.

Dico 4. Illa opinio quæ affirmat redire materiam, non ta-men annihilatam, neque conuersam, sed de nouo productam, fal-sa est quoad omnes suas partes. Probatur quoad primam partē, quæritur enim quando redit materia ista, aut enim in vltimo in-stanti, quando generatur ibi noua substantia, aut ante vltimum in-stans: Non ante, propter duo; tùm quia manente Eucharistia es-set ibi materia aliqua, alia à materia Christi Domini quod nullus dixerit: tùm quia materia illa esset sine forma, quod est simplici-ter impossibile secundùm S. Thom: qui materiæ, formâ seclusâ, denegat omnem actum entitatiuum: si verò in instanti generatio-nis redit materia, frustra ponitur redire ad hoc, vt agens naturale generet aliquid ex ea; quia non generat nisi de materia quanta, se-cundùm eundem S. Thomam. Insuper agens naturale non potest generare, nisi generationem illam comitetur corruptio etiam se-cundùm S. Thomam. Sed tunc non corrumperet aliquam sub-stantiam, quia illa materia non rediret sub forma substantiali, quæ corrumpi, vel expelli posset.

Non redit materia de nouo producta.

Quoad secundam partē probatur, Illud nihil, quod sequitur annihilationem materiæ, est eiusdem rationis cum nihilo præcedē-te creationem materiæ, sicut terminus ad quem annihilationis, & terminus à quo creationis sunt eiusdem rationis. Ergo est eadem distantia materiæ, ad nihil sequens annihilationem eius, & ad ni-hil præcedens creationem eius. Ergo eadem potentia potest super hanc distantiam, & super illam. Ergo si aliundè non repugnaret, & si materia aliqua hic sufficeret, posset Deus materiam semel an-nihilatam reparare, sicut & potuit creare.

Quoad vltimam partem probatur, Corpus Christi Domini, non aliter se habet ex eo, quòd panis conuertatur in ipsum. Ergo posset panis conuersus redire, eo modo, quo conuersus est in ipsū, absque eo quòd corpus Christi Domini aliter se haberet in se, quia sicut in habendo istam entitatem post conuersionem, non aliter se

habet positiuè, ita in non habendo : V. G. si cederet materia panis, non aliter se haberet priuatiuè. Ergo si aliundè non repugnaret : posset materia conuersa redire, absq; eo quòd diminueretur aliquid de corpore Christi Domini.

Materia non redit propter posibilitatem cõmunicatam accidentibus.

Dico 5. In hac transsubstantiatione materia non redit, propter possibilitatem communicatam accidentibus Sacramentalibus. Patet, quia cùm agens naturale nunquam generet, nisi præsuppositâ materiá, difficile conciperetur agens naturale, ex illa possibilitate specierum, quæ non est materia, generare aliquid. Deinde agens naturale generaret materiam, quæ tamen est ingenerabilis.

Redit substantia composita virtute diuina.

Dico 6. Dum corrumpitur Eucharistia, ad corruptionem specierum Sacramentalium; redit de facto, substantia composita, quam accidentia corruptiua afficiunt, in ipso corruptionis instanti, & hoc virtute diuiná immediatè. Prima pars probatur quia Deus statuit species Sacramentales manere sine subiecto, & consequenter in ipso instanti corruptionis redire debet aliqua substantia, quæ eis substernatur. Secunda pars patet, quia non debet poni alia substantia, quàm illa, quæ potest affici nouis illis accidentibus. Sed sola substantia completa, ex materia & forma constituta, potest illis nouis accidentibus affici, sequuntur enim illa accidentia totum compositum, non verò materiam, quæ seorsim non est capax illorum. Ergo illa substantia rediens, debet esse completa. 3. Pars probatur, quia nullum aliud agens à Deo, habet virtutem actiuam, sufficientem ad reproducendam ibi de nouo substantiã illam, cùm enim producatur ex sola corruptione accidentium, & agens naturale, ex corruptione accidentium, nihil generet. Ergo quando redit illa substantia, redit imediatè virtute diuiná, supplẽte in eo casu naturaliũ agentiũ impotentiã. Atq; sic cũ corrũpuntur species in stomacho, redit substantia apta nutritioni. Deinde ex redeunte substantia illa, generantur vermes, quando species Sacramentales corrumpuntur.

Nota.

PETES 1. *An ex mixtione alicuius liquoris cum speciebus Sacramentalibus, corrumpatur Eucharistia?*

Nota 1.

Nota 1. Mixtio iuxta Aristot. 2. de Gener. c. de mixtione, alia est impropria, quæ vocatur iuxtapositio partium minimarum alicuius liquoris penetrantis, & permeantis partes minimas alterius. Alia propriè dicta; quæ est miscibilium alteratorum, & postmodũ corruptorum vnio, in qua quidem fit generatio nouæ formæ substantialis, & constitutio noui compositi specie distincti à miscibilibus. Porrò eadem specie, nunquam perfectè miscentur, quia in perfecta mixtione, interuenit semper generatio, & corruptio, quæ verò sunt eiusdem speciei non se corrumpunt, quia non agunt in se inuicem, omnis enim actio corruptiua, semper prouenit ex contrariis. Mixtio est duplex.

Nota 2. Dupliciter misceri posse liquorem alterius speciei cum vino consecrato, nimirum vel in maiori quantitate, & virtute, vel in minori.

Dico 1. Liquor alterius speciei si misceatur vino consecrato in maiori quantitate, & virtute corrumpet Eucharistiam: si in minori non corrumpet. Patet hæc Conclusio ex ratione miscibilium, & ex actione, & reactione qualitatum. Vnde si magna quantitas aquæ misceatur vino consecrato, in modica quantitate corrũperet species. Liquor in magna quantitate corrumpit species.

Dico 2. Liquor eiusdem speciei mixtus vino consecrato in quacunq; quantitate, non corrumpit Eucharistiam. Probatur Non desinit Eucharistia quamdiu conseruantur species Sacramentales. Sed datâ qualibet mixtione liquoris eiusdem speciei semper conseruantur species Sacramentales. Ergo hoc posito non desinit Eucharistia.

PETES 2. *An quoties corrumpitur Eucharistia corpus Christi Domini aliquid amittat?*

Nota Duobus modis corrumpitur Eucharistia, vel malo casu, vel regulariter quoties à nobis consumitur, corrumpitur enim in nostro stomacho, quando corrumpuntur species, cum quibus non posset ampliùs stare substantia panis & vini, si adesset; & vsq; ad illam corruptionem, Christi Domini corpus manet substantialiter in nobis, & ideò statuunt Canones, vt statim vacetur orationi, &

tioni, & ad cibos communes non accedatur. Ita Clemens Papa *Epist*. 2. Siue ergo primo, siue secundo modo corrumpatur Eucharistia quæritur an ex corruptione eius corpus Christi Domini aliquid amittat.

Corpus Domini mutatur.

Dico 1. Corpus Domini ex corruptione mutatur realiter. Patet quia ex præsentia hic, transit corpus Domini ad non præsentiam hic, Ergo transitus ille fieri non potest absque mutatione reali.

Mutatio ista est tantum deperditiua præsentiæ

Dico 2. Mutatio ista est tantùm deperditiua præsentiæ Sacramentalis, quæ nihil est aliud, quàm respectus extrinsecùs aduenniens, quæ assimilatur mutationi locali, differt tamen ab ea: tum quia mutationem localem deperditiuam prioris vbi, sequitur semper mutatio acquisitiua noui vbi, hanc verò nulla sequitur acquisitiua: tum quia hic non deperditur proprium aliquod vbi, sed tantum analogicum. Quare sicut per constitutionem Eucharistiæ ponitur de nouo corpus Christi Domini in esse Sacramentali, ita vt acquirat nouum vbi, absque deperditione prioris, ita ex corruptione Eucharistiæ, amittit tantùm prius vbi Sacramentale absq; acquisitione. Patet per exemplum Angeli, qui existens in loco adæquato, potest relinquere aliquam partem illius loci, & existere tantùm in alia, deperdendo tantùm respectum præsentiæ ad illam partem sui loci adæquati, absq; acquisitione noui vbi.

Nota.

Collige Si corpus Domini esset tantùm in Eucharistia, & nondum in propria specie, vt asserit D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q.* 4. *n.* 6. tunc in ea hypothesi esse corporis Christi Domini Sacramentale, fuisset esse simplex eius, & deperditio Sacramentalis, fuisset deperditio esse simplicis, & substantialis eiusdem, modò autem non sic, ex alia institutione, non est corruptio esse substantialis, & simplicis corporis Christi Domini, sed tantùm esse Sacramentalis, seu depertitio præsentiæ Sacramentalis.

ARTICVLVS IX.

De Causa Efficiente, & Ministro Sacramenti Eucharistiæ.

Magna est dignitas humani generis, quòd Sacerdotibus noui testamen-

testamenti dederit Christus Dominus potestatem conficiendi, & consecrandi corpus Domini, quæ potestas non est concessa Angelis; illi enim non solùm offerunt carnem & Sanguinem *Agni* immaculati, *qui tollit peccata mundi*, sed verè ac realiter panem & vinum conuertunt, in substantiam carnis & Sanguinem Christi Domini, non quidem principaliter, sed ministerialiter. O excellentissimam dignitatem, cui nihil nec in cælo, nec in terra simile reperitur: de hac igitur potestate in præsenti Articulo inquiremus, vt mox patebit.

QVÆRES PRIMO.

Quæ sit causa Efficiens Sacramenti Eucharistiæ.

Nota 1. Certum est actione Diuinâ Eucharistiam effici principaliter, difficultas verò est, An quando Deus conuertit, panem in corpus Christi Domini, sit ibi actio de genere actionis? Et concludit D. Subt. non esse propriè actionem, vt est relatio extrinsecus aduenien s, sed est actio in Deo, vt dicit relationem rationis, adeò vt conuersio, quâ Deus conuertit substantiam panis in corpus Domini, non ponat in Deo, nisi relationem rationis; quemadmodùm creatio, quâ Deus creaturam producit, nôn est in Deo, nisi relatio rationis, vt probat *D. Subt. in 1. d. 30, & in 2. d. 1. q. 2.* An autē sit hæc actio correspondens actioni de genere actionis; si teneatur, quòd in conuersione panis sit actio productiua, tunc non est de genere actionis, sed est productio: si verò teneatur in conuersione esse actionem adductiuam, tunc talis actio in Deo, correspondet actioni propriè dictæ; quia in hac admirabili conuersione reperitur vera passio de genere passionis, nam corpus Christi Domini recipit nouam præsentiam, quam priùs non habebat, cui correspondet proportionalis actio, id est, per quandam similitudinem, & est relatio rationis. In Deo qualis est actio.

Nota 2. De Actione multa D. Subt. tractat *in 4. d. 13. q. 1.* Vtrum sit genus distinctum contra nouem genera prædicamentorum, & concludit actionem propriè dictam esse genus distinctum, neque esse formam absolutam, sed esse respectum extrinsecùs. Quid sit actio. Est in agente.

secùs aduenientem. Ibidem inquirit an actio sit in agente, vel in passo; & concludit, quòd in agente. Tandem inquirit, an relatione aliquid producatur? Et respondet 1. Quòd relatione aliquid producitur, prout ablatiuus construitur in ratione formæ proximè denominantis; nam productum formaliter producitur productione passiuâ, quæ est relatio; & producens aliquid producit formaliter productione actiuâ, quæ est relatio, & principium quo. Respondet 2. quòd relatione nihil producitur, prout ablatiuus construitur in ratione principii remoti formalis, nam principium fundamentale quo producendi, est forma, seu natura producentis; ignis enim non calefacit fundamentaliter calefactione, sed calore, nec calidum fit fundamentaliter calidum calefactione passiuâ, sed caliditate, vel calore producto, sicut ignis non generat ignẽ fundamentaliter generatione, sed suâ formâ substantiali, vel igneitate, Ita D. Subt. *loco citato n. 21.*

Relatione an aliquid producitur.

QVÆRES SECVNDO.

An creatura possit conuertere panem in corpus Christi Domini?

Creatura nõ potest principaliter conuertere.

Dico 1. Creatura non potest in hanc conuersionem, vt agẽs principale. Ratio est, quia in eam non potest nisi agens, cuius virtuti actiuæ totaliter subest esse, & non esse, vtriusꝗ extremi. Sed nullum creatum est huiusmodi, quia quodlibet præsupponit aliquam partem ipsius termini à quo, & ad quem, vt ostensum est *Art. 7.*

potest instrumentaliter moraliter.

Dico 2. Creatura est causa instrumentalis dispositiua moralis, non Physica, conuersionis Eucharistiæ. Ita D. Subt. *loco citato n. 40.* Probat vniuersaliter, quia sicut in omnibus Sacramentis, minister est agens quoddam dispositiuum: actio autem sua, est actio instrumentalis respectu actionis principalis agentis, eo modo aliqualiter, quo sectio est ad formam scamni, quia ad illam sequitur regulariter illa forma ex ordine agentis principalis. Ita in proposito prolatio verborum, posset dici actio instrumentalis respectu conuersionis corporis Christi Domini; quia ad illam prolationem, se-

quitur

quitur regulariter illa forma ex ordine agentis principalis. Ita in propoſito prolatio verborum, poſſet dici actio inſtrumentalis reſpectu conuerſionis corporis Chriſti Domini; quia ad illam prolationem ſequitur regulariter confectio corporis Chriſti Domini. Et ſic actione alicuius creaturæ, vt agentis inſtrumentaliter, conficitur corpus Chriſti Domini, non quidem vt attingentis terminum, ſicut aliqua inſtrumenta habent actionem inſtrumentalem attingentem terminum, ſed eo modo, quô agens præuium dicitur agere inſtrumentaliter ad formam principalem, quam non attingit, & actio eius dicitur inſtrumentalis, quia diſpoſitiua, & præuia.

Dices Inſtrumentum non habet intentionem, vt eſt inſtrumentum. Sed Sacerdos habet intentionem reſpectu Euchariſtiæ. Ergo Sacerdos non eſt cauſa inſtrumentalis Euchariſtiæ. Reſpondet D. Subt. *loco citato. n. 41. ad vltimum.* quòd actio inſtrumentalis agentis, accipiendo inſtrumentale agens pro diſpoſitiuo, benè requirit intentionem propriam in illo agente, ſiue ſit naturale, vt in calore alterante, benè eſt intentio propria, licet ſit agens inſtrumentale reſpectu ignis generandi, hoc eſt diſpoſitiuum ad illud, ſiue agens per intellectum: quia ibi inſtrumentum requirit determinatam actionem humanam, quæ ordinatur ad actionem principalis agentis, & talis vniuerſaliter eſt actus miniſtri in diſpenſatione Sacramentorum: hoc idem docet, *in 4. d. 6. q. 5. num. 6.*

Et hinc ſequitur quòd miniſter habens actionem propriam humanam præuiam actioni Diuinæ, tanquam diſpoſitionem neceſſariam non ſimpliciter, ſed ex ordinatione Dei paciſcentis cum Eccleſia, quòd ad talem actum miniſtri faciet talem actum ſibi proprium, eſt inſtrumentum Dei.

Dices 2. Natura poteſt formare corpus Chriſti Domini in eſſe naturali. Ergo poteſt formare illud ſecundùm eſſe, quod habet in Euchariſtia. Antecedens patet, quia natura formauit corpus ex ſanguinibus puriſsimis B. Virginis. Conſequentia conſtat. nam idem eſſe eſt corporis Chriſti Domini in vtero Beatæ Virginis, & in Euchariſtia. Sed ſuper idem eſſe vt terminum, poteſt eadem virtus. Ergo &c. Reſpondet D. *loco citato* non ſequi, natura poteſt eſſe

Natura non potest esse principium sub omni modo.

principium istius esse sub vno modo conueniente sibi: Ergo sub modo non conueniente sibi, sed repugnante sibi quantum est ex parte sui: negatur enim omne principium alicuius sub determinato modo essendi, posse esse principium eius sub omni modo essendi,

QVÆRES TERTIO.

An quilibet Sacerdos proferens verba consecrationis, cum intentione debita, & circa materiam conuenientem, possit efficere Eucharistiam?

Solus Sacerdos est minister Eucharistiæ.

Dico 1. Solus Sacerdos est minister proprius huius Sacramenti. Ita D. Subt. *in 4. dist. 13. q. 2.* estque communis omnium Theologorum. Probatur 1. ex illo *extra de Summa Trinitate, & fide Catholica*, vbi dicitur. *Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos qui ritè fuerit ordinatus secundùm claues Ecclesiæ.* Fundamentum huius conclusionis sumitur ex illo Matth. 26. *Hæc quotiescumque feceritis &c.* Vnde Trident. Sess. 22. c. 1. inquit. *Sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio, successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc Verba. Hoc facite in meam commemorationem.* Deducitur & ex 1. ad Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?* vbi ponderando illas particulas, *quem frangimus*, scilicet nos Apostoli, & Discipuli Christi Domini; si enim quilibet fidelis posset Eucharistiam conficere, non oporteret aliquem institui, qui eam aliis frangeret, sed quilibet posset de suo Sacrificio communicare. Congruentias afferunt Theologi.

Congruentiæ cur solus Sacerdos minister.

Prima est, sicut enim inter Angelos, inferiores illuminantur à superioribus, ita in Ecclesia oportet inferiores reduci ad Deum, per Prælatos, & Sacerdotes conficientes & ministrantes Eucharistiam, quæ est vinculum fidelium cum Christo Domino, & Deo. 2. Sicut inquit D. Subt. ab anima mediante corde, deriuantur virtutes ad cætera membra; & in republica actus principales pertinent ad personas digniores, ita rationabile fuit actum illum conficiendi Eucharistiam, residere apud illum, qui est principalis in Ecclesiastica

Hierar-

Hierarchia, qualis est Sacerdos. Denique non minoris reuerentiæ, vel authoritatis est, posse super corpus Christi verum, quàm super corpus Christi mysticum; sed istud soli Sacerdoti conuenit: Ergo & illud: & quidem rationabilius, propter reuerentiam corporis Christi veri; non enim potest in Ecclesia satis digna persona, nec satis dignus gradus inueniri ad consecrationem huius Sacramenti, in quo veraciter & realiter continetur ille, qui est Sanctus Sanctorum.

Dices Quilibet fidelis potest sumere Eucharistiam. Sed sumptio est finis consecrationis, & per consequens est simpliciter quid melius, & nobilius. Ergo æquè, vel magis poterit quilibet fidelis Eucharistiam conficere: non ergo solus Sacerdos. Respondeo non esse parem rationem de sumptione, & confectione, quia sumptio est quid melius, quoad vtilitatem, non verò quoad potestatē, vnde Christus omnibus præcepit sumptionem, Ioan. 6, *nisi manducaueritis &c.* paucis tamen commisit potestatem conficiendi, quia nō fuit necessarium illam omnibus committere, sed satis fuit eum in quibusdam residere.

Cur non omnis fidelis potest conficere.

Collige 1. Lutherum turpissimè errâsse *lib. de missa priuata, & vnctione Sacerdotis,* asserentem quemlibet Laicum, imò & dæmonem validè posse consecrare, si verba integrè super legitimam materiam proferat.

Lutheri turpis error.

Collige 2. In nullo casu necessitatis, posse hoc Sacramentum confici à non Sacerdote. Ratio est, quia potestas ad hoc Sacramentum, & Sacrificium est supernaturalis, & datur in consecratione Sacerdotis. Sed sine potestate, non potest actio exerceri. Ergo nullus alius, potest consecrare, & sacrificare, nisi Sacerdos: quod ex his verbis colligitur, *Hoc facite in meam commemorationem:* vbi verbum *facite,* significat sacrificate.

Nunquam potest confici à non Sacerdote.

Collige 3. Angelum Eucharistiam conficere non posse. Ratio est, tum quia à Christo Domino potestas non est ei collata, neque concessa.

Angelus non potest.

Dicò 2. Omnis Sacerdos cuiuscunque gradus & conditionis existat, potest Eucharistiam conficere. Probatur à D. Subtili ex qua-

Omnis Sacerdos potest.

dam propositione Canonis, vbi dicitur quòd ille, qui non potest Baptismum amittere, non potest etiam amittere ius baptisandi, Ergo, inquit à simili, qui ordinem Sacerdotalem non potest amittere; nec ius conficiendi Eucharistiam potest amittere; Sed nullus Sacerdos potest amittere potestatem Sacerdotalem, quia character est indelebilis; Ergo nullus qui non est Sacerdos potest Eucharistiam conficere.

Degradatus potest.

PETES 1. *An degradatus posit conficere?*

Respondeo affirmatiuè: quia nullus degradans potest auferre characterem, nec conceditur quòd si quis potest ministerialiter aliquid conferre; posit etiã ministerialiter auferre; quia Deus non eum similiter instituit ministrum in collatione, & in ablatione, & tunc illa Regula 7. *Ethic. c. 8. faciliùs est destruere, quam construere*, non admittitur in ministerialiter agẽtibus, pro quibus adduci potest illud. 2. ad Corinth. c. vltimo. *Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in ædificationem.*

Degradatus est Sacerdos.

Quòd si dicas degradatum non remanere Sacerdotem, quia spoliatur priuilegio clericali, & traditur curiæ seculari. Respondeo remanere Sacerdotem, nec esse essentiale Ordini, habere illud priuilegium, quippe quòd concessum est ab Imperatore Constantino, à quo tamen non conceditur Ordo Sacerdotalis, Præterea Sacerdotes traduntur curiæ seculari à suis superioribus, qui non possunt esse iudices, in causa Sanguinis.

Hæreticus verè Sacerdos potest.

PETES 2. *An Hæreticus, & Schismaticus verè Sacerdos, præcisus ab Ecclesia posit conficere?*

Respondeo posse, modò habeat intentionem faciendi, quod Christus Dominus instituit, & quod facit Ecclesia. Hinc colligit D. Subt. Duo absolutè esse necessaria sine quibus nulla posset esse consecratio. Primum quòd Sacerdos posit proferre verba consecrationis. 2. Quòd posit habere intentionem debitam faciendi, quòd facit Ecclesia. Primum patet, quia consecratio fit tantùm virtute verborum; Ergo debent proferri vt aliquid fiat. Secundum etiam manifestum est, quia actio illa est actio quædam humana, requirens cognitionem; & intentionem operantis. Ex defectu primi

non pos-

non potest mutus conficere: ex defectu secundi: non potest etiam amens, & carens vsu rationis conficere.

Dico 3. Non quilibet Sacerdos potest ordinatè conficere. Probatur breuiter hoc discursu D. Subt. Supposito quòd Sacerdos habeat conuenientem materiam, possit verba proferre, etiam cum intentione debita potest adhuc habere quædam impedimenta, quibus retinetur, ne ordinatè, & debitè conficiat; illa autem sunt in multiplici differentia, sunt enim vel culpa tantùm, vel pœna tantùm, vel nec pœna, nec culpa. De impedimento culpæ patet ex dictis, & patebit adhuc ex dicendis infra. De impedimẽto quòd nec est culpa, nec pœna, quando nimirum aliquis non est ieiunus; ieiunio corporali dicetur *art.* 10. Restat ergo hîc videre de impedimento quòd est pœna, nulla tamen talis pœna est naturalis, siue, in corpore, siue in anima, quia pœna naturalis; non simpliciter impedit, sed tantùm pœna Canonica, vel pœna naturalis, quatenùs super eam fundatur pœna Canonica. *Pœna autem Canonica est aliqua prohibitio actus exercendi, vel gradus recipiendi, qui aliás competeret non prohibito.* Porrò Pœnæ Canonicæ multæ sunt, vt est irregularitas, degradatio, excommunicatio maior, suspensio, simonia, infamia, hæ pœnæ explicatæ sunt à me in Tabula *Naufragij Disp.* 10. de Simonia hîc *Disput.* 2. *dicam*, Ad infamiam verò reuocatur peccator publicus, concubinarius, vsurarius &c. Porrò pœnæ Canonicæ fundantur super defectus naturales, non enim voluit Ecclesia quascunque Personas defectuosas ministrare in altari, & in veteri lege prohibebantur. Leuit 21. *Qui habuerit maculam, non offeret Deo suo panem, nec accedet ad ministerium eius.* Ergo multò magis in noua lege; tùm propter reuerentiam Sacramenti; tùm ad vitandum scandalum pusillorum, vt habetur *Extra de corpore vitiatis; & dist.* 33.

Non quilibet Sacerdos potest ordinatè cõficere.

Pœna Canonica quæ.

QVÆRES QVARTO.

An plures Sacerdotes possint eandem hostiam consecrare?

Prima opinio affirmat. Fundamentum est, vnum effectum à pluribus causis totalibus moralibus posse produci est possibile. Confirmatur Quá enim ratione ad prolationem verborum ab vnico,

Plures Sacerdotes an possint consecrare, quidā affirmant.

nico Sacerdote Deus inuisibiliter operatur, ita ad prolationem eorundem verborum à pluribus Sacerdotibus, potest Deus inuisibiliter operari, illud enim omninò dependet, ex suo beneplacito: nec est virtus aut qualitas aliqua impressa verbis, per quam physicè talem effectum producant, sed solùm ex pacto Diuino ad eorum positionem & prolationem, Deus ipse talem effectum producit. Hæc opinio etsi sit facilis, quoties Sacerdotes illi simul cum Episcopo proferunt verba consecrationis, tamen non caret difficultate, si quis eorum vt fieri potest, & fortassis etiam fit semper, Episcopum præueniat; nam in hac opinione ille consecrabit, qui priùs verba protulerit consecrationis, & Episcopus postmodùm verba consecrationis proferens, nihil efficiet, quia iam ibi erit corpus Christi Domini. Vnde admonet Richardus maximè debere caueri, ne quis illorum Sacerdotum Episcopum præueniat: quòd si cōtingat præueniri, vel ab vno, vel à multis, eorum intentio inquit referri debet ad instans prolationis Episcopi, & consequenter dicunt alij, intentionem omnium referri debere ad illud vltimum instans, in quo verba consecrationis sunt ab omnibus prolata: cū enim inquiunt illi omnes constituant vnicam causam consecrationis, oportet vt ab omnibus consecratio sit posita, hoc est verba sint prolata; vt habeatur effectus. Hæc fundamenta sunt opinioni huius affirmatiuæ.

2. Opinio est negatiua.

Secunda opinio est negatiua. Plures Sacerdotes non consecrare, neq; verba proferre cum intentione consecrandi. Sed tantū ad notandam potestatem illam esse sibi traditam, & ad recipiendam formam, quā deinceps consecrare debent. *Ita Richar. in 4. d. 13. art. 2. q. 1.* Quem sequuntur *Suarez. 3. p. d. 61. Sect. 4. & alii multi.*

Probatur hæc opinio.

Probatur quia ridiculum esset Episcopum, qui sacrificat in illa cæremonia nihil efficere, quòd certè contingeret, si præueniretur ab aliquo illorum Sacerdotum, priùs absoluente verba consecrationis. Tùm quia in tam graui mysterio, ridiculum esset dicere, tot verba consecrationis esse superflua, & inaniter prolata; si enim prolata ab vnico sufficiunt, ab aliis prolata, sunt superflua. Tùm quia primus qui absoluit consecrat, Ergo reliqui qui profe-

runt verba

runt verba super materiam consecrationis, etiam cum intentione consecrandi, inaniter proferunt. Tùm quia Sacerdotes illi qui ordinantur, communicant tantùm sub altera specie. Ergo non communicant vt Sacrificantes: Ergo non proferunt verba vt consecrantes. Deniq; quia non habent illi omnes materiam sibi debitè præsentem, cùm enim eorum sint aliqui longè positi ab altari, non possunt demonstrare materiam consecrandam, eâ demonstratione, quam superiùs ad consecrationem diximus esse necessariam.

Ad fundamentum vltimum primæ opinionis. Respondeo; Eum qui præuenerit Episcopum in prolatione verborum, non posse per intentionem suam suspendere efficaciam verborum ab ipso prolatorum; aliás effectus, consecrationis differri posset ad arbitrium Sacerdotis, quod diximus esse falsum.

Dices 1. In Pontificali Romano monentur Sacerdotes illi, qui ordinantur, vt distinctè, & debitè proferant verba consecrationis. Ergo monitio illa indicat illos talia verba proferre debere cũ intentione consecrandi. Responsio ad fundamenta primæ opinionis.

Respondeo negatiuè consequenter, quia monentur eius rei, vt sciant quô tempore, quâ methodo; quibus ceremoniis, & quibus modis debeant inposterum proferre verba consecrationis.

Dices 2. Episcopum qui consecratur, conficere simul cum Episcopo consecrante, Sacerdotem quoq; ministrantem Episcopo in Ecclesia Græca, etiam simul cum ipso conficere.

Respondeo Istæ instantiæ sunt sine fundamento; nam horum, & Sacerdotum, qui ordinantur ab Episcopo, est eadem ratio. Vnde hæc opinio negatiua; videtur esse probabilior, quàm prima.

QVÆRES QVINTO.

Quis sit Minister dispensationis Sacramenti Eucharistiæ?

Nota 1. Ex D. Subtili *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *ad* 5. licet minùs sit dispensare, quàm conficere, tamen aliquid plus requiritur ad dispensandum, quàm ad conficiendum: quia dispensatio non respicit tãtúm corpus Christi Domini verum, sed etiam mysticum, scilicet Dispensatio quid.

fideles.

fideles in quos dispensans debet habere authoritatem. Vnde præter potestatem ordinis, quæ ad conficiendum sufficit, requiritur & potestas iurisdictionis ad dispensandum, sicut est determinatum *in Concil. 1. Carth. Et Mileuitano c.* 18. Et ratio est, quia dispensare Eucharistiam est pascere: pascere autem est officium pastoris. Tum quia nemo debet mittere falcem in messem alienam.

Duplex est iurisdictio:

Nota 2. Duplicem esse potestatem iurisdictionis ordinariam, & delegatam: atque hinc deduci, duplicem distingui posse dispensationem: vnam propriam, tum ex officio, tùm ex commissione alicui conuenientem. Aliam impropriè dictam, nimirum subsidiariam, & obsequentem seu famulantem, quæ nihil aliud est, quàm asportatio quædam, & applicatio corporis, & Sanguinis Domini, concessa quibusdam in obsequium, & famulatum Sacerdotis.

Diaconus quando potest dispensare.

Dico 1. Potest Diaconus saltem ex commissione, & in casu necessitatis hoc Sacramentum dispensare. Patet ex historia S. Laurentij, vbi habetur. *Experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationẽ.* Porrò praxis moderni tẽporis vetat, ne operá Diaconorum vtantur Presbyteri, nisi in casu maximæ necessitatis, ne aliquis moriatur sine viatico absente Parocho. Suarez existimat id etiam Subdiaconum facere posse, imò & laicum in casu summæ necessitatis. Sed hoc nullo modo admittit D. Subtilis. *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. citans illud *de Consecrat. d.* 2. *c. Peruenit.* vbi dicitur, *Quòd quidam Presbyteri, in tantum parui pendunt Diuina mysteria, vt laico corpus Domini tradant ad deferendum infirmis.* Vnde Synodus Rhemensis interdicit. *Ne talis temeraria præsumptio amplius fiat.* Deinde Diaconis olim licebat solùm Sanguinem Domini dispensare, non verò corpus. Et rationem assignat D. Subtilis *loco citato*, quia Sanguis Christi Domini non tangitur nisi immediante vase, corporis autem species immediatè tanguntur: sed constat ex Cōciliis vtramque speciem Diaconos distribuisse.

Soli Pastores dispensatores ex officio.

Dico 2. Ratione muneris, & officij, ordinariâ potestate, soli Pastores sunt dispensatores Eucharistiæ: Alij verò Sacerdotes omnes possunt dispensare Eucharistiam ex commissione, non solùm tanquam ministrantes, vt Diaconi, sed vt principaliter dispensantes, ex

tes, ex commissione tamen & delegatione, à propriis pastoribus. Prima pars definita est in Conciliis, Carth. 1. c. 7. & Mileuit. Can. 28. vbi decernitur, vt vnusquisq; in propria Ecclesia, & de manu proprij Pastoris communicet. Et ratio est, quia officium pastoris est, oues suas pascere, maximè temporibus illis quibus ad id obligantur, vt in Paschate, & in articulo mortis. Secunda pars probatur, quia non semper possunt Pastores Eucharistiam per seipsos dispensare. Ergo possunt hoc aliis Sacerdotibus committere. Porrò ad hoc sufficit ratihabitio, seu præsumpta voluntas Pastoris, nec requiritur expressa delegatio, secùs tamen est in pœnitentia, vbi non sufficit præsumpta voluntas, vel ratihabitio, (vt probaui in Tabula Naufragij d. 8. q. 5. a. 2. nam ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, requiritur expressa voluntas habentis iurisdictionem, ibi enim ius actu dicitur, & sententia fertur in reum, at verò iurisdictio actualis ad Sacramenti Eucharistiæ dispensationem non requiritur.

Sacerdotes alii ex commissione.

Nota.

Collige 1. Quemlibet Sacerdotem, attentantem Eucharistiam dispensare, absq; expressa, vel præsumpta voluntate Pastoris, peccare mortaliter, nullam tamen incurrere censuram Sacerdotes Seculares, religiosos verò incurrere excommunicationem Papæ reseruatam, administrantes Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, vt dicam *sequenti Petite*.

Non quilibet Sacerdos potest dispésare.

Collige 2. Sacerdos in necessitate potest seipsum communicare, V. G. si iaceret moribundus, & posset facilè, ex Sacrario hostiam sibi sumere, nec esset alius qui posset eam dare. Ita Caietan. *Verbo Communio*. Coninchus q. 82. a. 4. Idem affirmat dicendum de Diacono in tali casu, quia ius antiquum id ei concedit, vt patet ex *Concil. Nicœno* c. 14.

Sacerdos potest seipsum communicare.

PETES *An Religiosi non habentes speciale priuilegium, possint dispensare Sacramentum Eucharistiæ?*

Nota Excommunicationem esse latam contra religiosos, non habentes speciale priuilegium, *in Clementina c. Religiosi de priuilegiis*, qui præsumunt Eucharistiam ministrare Clericis, vel laicis, sine licentia Pastoris. Limitant 1. Doctores, non incurri ab iis censuram, qui bo-

Contra Religiosos excommunicatio.

qui bona fide administrant, ex ignorantia excommunicationis reseruatæ, vel ab iis qui probabiliter credunt Pastorem ratam habiturum talem administrationem; Ita Bonac. d. 4. q. 5. p. 2. n. 8.

Limitatur. Limitant 2. Excusari Religiosos Eucharistiam dispensantes infirmis in articulo mortis, sine licentia proprii Pastoris, tunc enim nō peccant administrando, quamuis Parochus sit inuitus, quia in tali casu præsumitur ratihabitio Summi Pontificis: *Ita Sa Verbo Euchar. n. 4. & alij.* Si nolit Parochus.

Religiosi quando possunt dispensare. Dico 1. Religiosi possunt præsertim mendicantes, ministrare Eucharistiam in suis Ecclesiis, per totum annum tam laicis quā Clericis: exceptâ communione per modum viatici. Conclusio hæc constat ex priuilegio Ordini Minorum concesso, à Nicolao Quinto, Sixto Quarto, & Leone Decimo, & habetur in monumentis Ordinis, Dixi *exceptâ communione per modum viatici,* id est, in articulo mortis, quia Ecclesia semper censetur reseruare Parochis omnem illam communionem, quâ præceptum Diuinum adimpletur, quod in articulo mortis adimpleri debetur.

An possint dispensare pro Paschate. Dico 2. Religiosi non possunt dare communionem sæcularibus etiam in suis Ecclesiis pro festo Paschatis. Porrò per communionem Paschalem, aliqui intelligunt illam, ad quam quilibet in festo Paschatis tenetur ex præcepto: & hoc ideò, vt quilibet sæcularis, semel saltem in anno recognoscat proprium pastorem, si quis autem communicauit adimplendo præceptum in sua Parochia, poterit ipso die Paschæ communicare si voluerit ex deuotione apud Religiosos, etiam sine licentia Parochi. Alii verò per communionem Paschalem intelligunt solum gloriosissimum diē Dominicum Resurrectionis, ita vt Religiosis hoc die, nullo modo liceat communicare sæculares in suis Ecclesiis cæteris autem diebus antecedentibus, & subsequentibus diem Dominicæ Resurrectionis, licitum esse communicare; sæculares verò quiq; communicantes in Ecclesiis Mendicantium, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. *Ita in Compendio Priuilegiorum Hieronym: à Serbo Verbo Communio.* Et Laurent: Portel. *Verbo Sacramentorum administratio num: quinto.* Rodericus *tom. 1. q. 56. a. 3.*

Communio paschalis quid?

Collige Paulum IV. concessisse Fratribus Minoribus, vt possint confessiones infirmorum etiam vbilibet extra domos, & habitacula Fratrum audire, eosque in casibus, & censuris quibus eis per priuilegia Sedis Apostolicæ huiusmodi hactenus concessum est, posse absoluere, & ipsi hactenus absoluere consueuerunt: ac omni tempore, præterquam in Resurrectionis Dominicæ die Sacramentum Eucharistiæ, tam illis, quàm aliis quibusuis personis ministrare possint licitè. Hanc concessionem refert Hieronymus Rodericus *in Quæst. Regular. Verbo Sacrament. administratio num. quinto.* Monent graues DD. in his omnibus discretè semper procedendum esse, & quantùm fieri potest, nunquam contra voluntatem Pastorum, ne inde scandalum aliquod oriatur, & Pastorum indignatio; præsertim palam non debent vti Religiosi hoc priuilegio, & ad infirmos, qui sunt in articulo mortis, vt dixi Conclusione prima. Priuilegia concessa Religiosis

Dico 3. Religiosi apud Indias Occidentales ad curam Indorum missi, tanquam Parochi, liberè suis parochianis Sacramenta ministrare valent, sine metu dictæ excommunicationis: quia id faciunt ex commissione Summorum Pontificum. In Indiis possunt.

QVÆRES SEXTO.

Qualis dispositio requiratur in Sacerdote Eucharistiam administrante?

Dico 1. In Sacerdote administrante, vel conficiente Sacramentum Eucharistiæ, requiritur, vt sit in statu gratiæ. Probatur quia ex officio est deputatus ad hoc munus, & consecratus, cum speciali gratia: qui autem ex officio deputatus est ad ministranda Sacramenta, debet esse in gratia, alioquin peccaret mortaliter indignè tractando: Est communis Doctorum. Sacerdos debet esse in statu gratiæ.

Quantâ igitur puritate, ob admirabilem dignitatem, decet Sacerdotes resplendescere: nam si Arca illa in qua manna recondebatur, ex imputribilibus lignis constabat, intus, & extra, aurò obducta, quantò magis Sacerdotes, qui manna cæleste in manibus gerunt, intra corda sua abscondunt, decet maior Sanctitas. *Munda-* Quanta debet esse puritas Sacerdotum.

mini qui fertis vasa Domini. Isaiæ 52. Sacerdotes tui induantur iustitiam. Psal. 131. Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, Sanctificentur, ne percutiam eos. Exodi 19. Quid est cur Sacerdotes & Leuitæ Veteris testamenti lauabant manus & pedes, & radebant pilos carnis suæ, & aspergebantur aquâ lustrationis? vt hinc colligerent Sacerdotes Noui testamenti, quanta ipsis puritas conueniret, qui ad consecrãdum, tractandum, dispensandumq́ corpus Christi Domini deputantur. Vtinam Sacerdotes sint memores admonitionis illius, quam S. Franciscus dedit sui Ordinis Sacerdotibus, in Epistola ad Fratres. *Audite Fratres si Beata Virgo MARIA sic honoratur, vt dignum est quia Christum portauit in vtero: & si beatus Ioannes contremuit, & non est ausus, Sanctum Dei contingere verticem: Si sepulchrum Christi, in quo per aliquod tempus iacuit, sic honoratur: Quam debet esse homo Sanctus, & iustus, & dignus, qui non iam moriturum, sed in æternum viuentem, & glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere contrectat manibus, corde & ore sumit, & alijs ad sumendum præbet? Videte dignitatem vestram, ô Sacerdotes, & Sancti estote, quoniam ipse Sanctus est.* Ita Sanctissimus Patriarcha, qui licet dignissimus esset, nunquam tamen ob tanti culminis reuerentiam ad Sacerdotium passus est se promoueri: talis fuit & S. Benedictus, qui solo Diaconatu contenti, vlterius progredi noluerunt.

Admonitio S. Frãcisci ad Sacerdotes.

Dico 2. Sacerdos celebrans in peccato mortali, graue sacrilegium committit. Aliqui verò putant tres esse peccati prauitates, nimirum indignè consecrando, offerendo, & sumendo. Ita Bonacina *disp. 4. q. 5. p. 1. num. 4.* vbi alios citat. Aliqui verò putant vnum peccatum esse. Ita Rodericus *c. 248. num. 26.* Henriquez. *lib. 8. de Euch. c. 45. n. 2.* Rationem assignant, quia consecrare, offerre, sunt actus subordinati ad rectam sumptionem. Sed diuersi actus, quando alij alijs subordinantur, non efficiunt diuersa peccata, vt docet S. Thomas *2. 2. q. 72. art. 6.*

Sacerdos in peccato mortali an peccet

PETES *An Sacerdos ministrans, seu dispensans Eucharistiam, siue in Missa siue extra Missam, existens in peccato mortali, peccet mortaliter?*

Prima opinio affirmat, ita Suarez. *d. 66. S. 6.* Coninch. *q. 64. a. 6. d. 1. n 35.* & hoc verum affirmant, etiamsi distribuat ve-

nerabile Sacramentum ab alio consecratum : nam etsi non conficiat Sacramentum, tamen realiter corpus, & Sanguinem Domini dispensat, & talem actum exercet, ad quem particulariter est consecratus, & qui actus requirit in Ministro Sanctitatem. Vnde subdit Coninchius talem peccare toties, quot hostias diuersas distribuit, quia sunt verè distinctæ Sacramenti distributiones, etiamsi statim consequenter fiant. Alia Opinio negat esse peccatum mortale Sacramentum Eucharistiæ distribuere existentem in peccato mortali: Ita Ledesma *tom.* 1. *c.* 6. Vasquez. *in* 3. *p.* *t.* 2. *d.* 136. *c.* 3. *n.* 38. Ratio eorum est, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei, ad iustificationem proximè, sicut in aliis Sacramentis, sed tantùm est velut applicans actiua passiuis: in aliis verò Sacramentis Sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim est idem conficere, & ministrare, Rodericus noster *c.* 248. *n.* 26. dicit. Si Sacerdos post communionem suam, vult præbere Sacramentum alteri personæ, & existit in peccato mortali, peccat mortaliter, quia est actus distinctus: si verò ministraret continuè mille personis, non esset inquit nisi vnum peccatum mortale, licet enim sint actus distincti, quoad suam entitatem, moraliter tamen non reputantur vt distincti, sed vnus. Opinio Suarez quoad priorem partem, est securior.

Duplex opinio refertur.

Nota Roderici opinionem.

Collige 1. Sacerdotem habentem conscientiá peccati mortalis, teneri antequam celebret, vel administret, præparare se ad gratiam, per confessionem, si est occasio, vel saltē per contritionē, quando non est copia Confessarii; imò non est necessaria Confessio, sed sufficit contritio, quando solùm est administraturus Eucharistiam aliis, secùs quando est ipse sumpturus. Ita Rodericus *cap.* 68. *num.* 10. *& alij.*

Ad quid tenetur Sacerdos in peccato existens.

Collige 2. Sacerdos existens in peccato mortali, & aliquis interim periculosè est infirmus, potest celebrare cum sola contritione, ad communicandum illum infirmum, ne moriatur sine viatico. Ita communiter DD.

Nota casum.

Collige 3. Sacerdos qui in ipsa actione celebrandi, recordatur alicuius peccati mortalis, licet tunc eliciat actum contritionis,

 non te-

non tenetur statim post Missam illud peccatum confiteri. Ita Vasquez. *tom.* 3. *disp.* 208. *c.* 3. *n.* 19. Et licet in Tridentino *Sess.* 13. *c.* 7. dicatur. *Quòd si necessitate vrgente absq; præuia confessione celebrauerit, quàm primum confiteatur* : hoc dictum non habet locum, quando Sacerdos, ideò solùm non confitetur, ne notam infamiæ incurrat, etiamsi habeat copiam Confessarij, tamen ante aliam Missam confiteatur.

Collige 4. Sacerdos simplex etiam non Parochus; potest celebrare Missam, contritus, sine præuia confessione, dum non adest alius Sacerdos, vt alij Missam audiant, & ipse vt præcepto satisfaciat. Ita Rodericus *c.* 247. *n.* 6. & alij. contra nonnullos qui contrarium sentiunt.

Collige 5. Sacerdos qui ante Missam est confessus, cui in celebratione peccatum mortale in mentem venit oblitum, non tenetur in tali casu elicere actum contritionis de illo peccato. Ratio est, quia talis est iustificatus per pœnitentiam, seu confessionem, quam fecit integram formaliter, licet non materialiter. Ita Vasquez. *tom.* 4. *q.* 86. *a.* 2. *d.* 2. *n.* 11. Tum quia contritio est necessaria ad culpæ, & peccati remissionem, sed illud peccatum oblitum in confessione, virtualiter fuit verè remissum. Potest igitur Sacerdos tunc prosequi Missam inceptam, & non elicere actum cõtritionis, sed postea confiteri suo tempore illud peccatum oblitum, & tunc de illo conteri, vel atteri.

Nota varios & occurrentes casus.

Collige 6. Sacerdos qui post Introitum recordatur alicuius peccati mortalis, tenetur confiteri, si sine scandalo potest, ita Suarez. *tom.* 3. *d.* 66. *Sect.* 4. Coninchus *q.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. quod verùm esse dicunt; si ante consecrationem, seclusâ infamiâ confiteri pòssit: post consecrationem verò si recordaretur peccati alicuius mortalis, non confessi, aut si in Missa mortaliter peccaret post cõsecrationem, non teneretur, etiamsi adesset confessarius, confiteri & etiamsi sine nota possit, sed sufficeret vt contritionem eliceret, & sacrificium inchoatum perficeret. Aliqui verò dicunt etiamsi ante consecrationem ei peccatum in mentem venerit, non esse adstrictum confiteri, quamuis hoc commodè, & sine scandalo facere possit

Nota casum.

re posſit. Quare in tali caſu Sacerdotem iubent elicere actum contritionis, & ob reuerentiam Sacrificii, Miſſam incæptam perficere. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *a.* 6. Henriquez. *lib.* 8. *c.* 46. S. Bonauentura *in* 4. *d.* 13. Nauarus *c.* 25. *n.* 76, Prior opinio magis probabilior aliquibus videtur. S. Thomas *q.* 83. *a.* 6. *ad* 2. dicit eſſe tutiùs deſerere tunc Miſsam, non autem neceſſarium. Addit Syluester. *Verbo Euchariſt. q.* 7. in Miſſa ſolenni ſeu cantata, ſi inter concionem ſeu cantum poſsit confiteri, obligatus ad confeſsionem.

Collige 7. Sacerdos habens reſeruatum & venialia, obligatur ad confeſsionem tam reſeruati, quàm venialium, vt à reſeruato poſsit abſolui ſaltem indirectè; ita putat Conmchus *loco citato n.* 21. Contrarium docent multi, cum D. Subtili *in* 4. *diſt.* 17. in tali caſu poſſe Sacerdotem, ſi adeſt ſcandalum celebrare cum contritione ſine præuia confeſsione. Si verò habeat mortalia non reſeruata, & reſeruata, tutiùs eſt; vt præmittat Confeſsionem, etiamſi Confeſſarius ſit talis, qui non poſsit abſoluere à reſeruatis, & de reſeruatis curet elicere actum contritionis. Vide dicta *in Tabul. Naufr. d.* 8. *q.* 6. *art.* 6.

Habens reſeruatũ quid opus

Collige 8. Sacerdos excommunicatus celebrans, non præmiſſa confeſsione, iuxta aliquos, vt eſt Bonacina *d.* 4. *q.* 6. *p.* 1. *num.* 34. & Suarez. *loco citato Sect.* 1. duo peccata committit, ſciens ſe teneri vinculo peccati, & cenſuræ; iuxta *Vaſquez. diſp.* 106. *cap.* 1. *num.* 6. tantum vnum, quia non facit contra duas obligationes ſpecie diſtinctas; nam in tali caſu, lex humana poſitiua prohibet idem, quod lege Diuina prohibitum erat; nimirum ob eandem rationem intuitu Religionis.

Ex communicatus celebrans.

QVÆRES SEPTIMO.

An alia diſpoſitio præter gratiam requiratur in adminiſtrante Euchariſtiam?

Reſpondeo Quòd Sacerdos curare debet, vt ſeruato ritu & decentiá debitá, miniſtret hoc Sacramentum, eſt enim hoc Sacramentum ſummæ dignitatis, proinde cum debita reuerentia eſt miniſtrandum. Hinc ſequitur 1. Parochum non poſſe deferre Eu-

Chariſtiam

charistiá, publicè ad infirmũ sine stola, & superpelliceo, præcedente lumine, iuxta *c. sanè de celebrat. Missarum.*

Notent Parochi.

Sequitur 2. Sacerdotem non posse aliis digitis conferre, si ob infirmitatem nequeat eam pollice & indice administrare, quãuis enim tota manus sit consecrata, tamen à consuetudine communi non est recedendum. Quare & tempore pestis satiùs esse denegandum Eucharistiam, quàm eam non propria manu administrare, innuit Suarez. *d. 44. S. 3. n. 17.* Posseuinus verò existimat excusari posse à peccato, præciso scandalo, & periculo lapsus Eucharistiæ in terram, si instrumento ritè confecto, & apto administretur.

PETES *An Sacerdos non ieiunus celebrare Missam aliquando possit?*

Non ieiuni an possint celebrare.

Dico 1. Probabilior est sententia negans Sacerdotem ad cõmunicandum infirmum, posse celebrare non ieiunum. Patet quia maior est ratio habenda huius Sacramenti, quàm necessitatis proximi. Ita omnes recentiores, & est talis praxis.

Dico 2. In tribus casibus, possunt Sacerdotes non ieiuni sumere, & consecrare Eucharistiam. Primò Quando Sacerdos aquam pro vino posuit, & illam post sumptionem hostiæ sumpsit, tunc enim denuò debet consecrare saltem calicem, propter integritatẽ sacrificii. *Ita Rubricæ Missalis, & omnes DD.* Secundò si celebrans post consecrationem recordetur se non esse ieiunum, tunc debet continuare, & perficere Sacrificium. 3. Si Sacerdos post consecrationem deficiat, etiam vnius speciei, tunc alius Sacerdos non ieiunus, deberet illud sacrificium perficere, & communicare, si non sit alius Sacerdos non ieiunus. Ita habetur *cap. Nihil. 7. q. 1.* Quartus casus est communis si reliquiæ hostiæ remaneant in patena, & corporali, tunc sumendæ sunt à non ieiunis. Ratio est, quia totius omninò hostiæ, & calicis consumptio, prout includit etiam sumptionem ablutionis, censetur vna actio, ad ipsam communionem decenter perficiendam, pertinens. Postquam verò ab altari recessit Sacerdos, & inueniat in patena, vel calice, in Sacristia aliqua fragmenta, si non possunt conseruari, cum debita reuerentia, vel non sit alius Sacerdos, qui postea hoc die celebret, in illo calice,

vel alio

vel alio, & illa fragmenta sumat ieiunus, tunc Sacerdos non ieiunus, potest sumere illa fragmenta, Ita Coninchus q. 80. a. 8. n. 65. vbi dicit n. 64. Quando Sacerdos publicè celebrat, & ante consecrationem recordatur se non esse ieiunum, consultiùs videtur, vt pergat, quia communiter, non potest desistere, sine aliqua nota, & infamia, non enim præceptum Ecclesiæ obligat cum tanto incommodo. Aliud est dicendum si clam celebret, tunc enim si recordetur Sacerdos ante consecrationem, se non esse ieiunum desistat.

Aduerte hîc Non esse necesse, vt Sacerdos sit ieiunus, quando est aliis ministraturus hoc Sacramentum.

PETES 2. *An Sacerdos teneatur præmittere Diuinum officium, vel præparationem aliquam ante Missam?*

Respondeo De Matutino; vna opinio affirmat peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem, non recitato Matutino & Laudibus. Ita Aretinus *in 4. dist. 13. q. 2. a. 10.* citans Rubricas generales, dicitq; esse tutiorem opinionem istam, quàm oppositam, & communi consensu receptam, maximè quando non est vrgens, & iusta causa. Alia opinio negat esse peccatum mortale, etiamsi non sit vrgens, & legitima causa, quia ex sui institutione, preces, & sacrificium Missæ nullam habent connexionem, neq; vllum ordinem. Ita Layman *lib. 4. t. 5. c. 4. n. 5.* Suarez *disp. 82. Sect. 1. & alij.* verior tamen est opinio prima, quando non est vrgens, & iusta causa, nam si subita necessitas occurrat, non puto esse peccatum lethale.

Matutinū an prætermittendum.

De præparatione an aliqua requiratur? Bonum est, vt semper illa præmittatur, quæ habetur in Missali, si adest opportunitas temporis, si verò omittatur sine contemptu, non est graue peccatum. Ita Aretinus *in 4. d. 13. q. 2. a. 10. in fine.* vbi excusat à mortali eum, qui omittit ex negligentia, venialiter tamen talem peccare affirmat. Neq; est alleganda consuetudo, quia illa sola consuetudo obligat ad mortale, quæ introducta est eâ mente, vt sit prohibitiua, vel præceptiua sub peccato mortali, quod inde deprehenditur, quando ab omnibus obseruatur, & omissio eius peccatum lethale iudicatur. Idem iudicandum est, de orationibus illis, quibus vtitur Sacerdos induendo vestes sacras, quas recitare tenetur, ex more &

Præparatio quæ ante Sacrum.

Consuetudo quæ obligat ad mortale.

ri & instituto Ecclesiæ, non tamen sub peccato mortali, si non subsit contemptus.

Ante primam licitum est celebrare.

Quòd si petas an licitum sit celebrare sacrum non recitata prima?

Respondeo Esse licitum, est communis opinio DD. id enim pij, ac docti viri factitant, nisi hoc sit alicubi contra præceptum Superioris, vel statutum, vel consuetudinem communiter receptam, vt docet Nauar. in Manuali c. 25. n. 83.

ARTICVLVS X.

De Suscipientibus Eucharistiam: & vsu.

Triplex manducatio.

Sciendum est triplicem assignari manducationem à Doctoribus, nimirum spiritualem tantùm, Sacramentalem tantum, spiritualem & Sacramentalem simul. Spiritualis est multiplex. Primò fides in Christum à SS. PP. vt S. Augustino tract. 25. & 26. in Ioannem, appellatur Spiritualis manducatio corporis Christi Domini. 2. Omne desiderium communicandi, dici potest Spiritualis manducatio, quæ si sit cum peccato mortali, est impropriè, & materialis manducatio spiritualis, etiamsi aliquis desideret communicare in meliori statu, tamen talis manducationis non est fructus augmentum gratiæ. 3. propriè Spiritualis manducatio est desiderium, & votum communicandi, procedens ex fide viua, hoc est ex fide informata charitate, vt docet Concil. Trident. Sess. 13. c. 8. Istud verò desiderium, vel est explicitum, vel implicitum, & vtrumq; non caret fructu, quem consequitur ille, qui sic communicat, non ex opere operato, sed ex opere operantis, seu ex deuotione, voto, ac desiderio : atq; ita qui quotidiè assistunt Sacro, & sunt in statu gratiæ, possunt communicare spiritualiter Porrò Patres antiquæ legis spiritualiter dicuntur manducâsse corpus Christi Domini, iuxta illud ad Corinth. 10. *Omnes eandem escam spiritualem mãducauerunt.* illa tamen manducatio valde erat impropria, vt notauit Alex. Alensis 4. p. q. 43. dicuntur enim manducâsse eandem escã spiritualem, nobiscum, vel quia crediderunt in eundem Christum venturum, in quem nunc incarnatum credimus; vel quia crediderunt manna illud, quo vescebantur, præsignare alium cibum : vnde di-

Spiritualis multiplex

Patres antiqui quomodo manducarunt.

se dicuntur manducâsse quidem eandem escam, sed non eodem modo, quia manducauerunt in figuris, nos autem in veritate.

Sacramentalis manducatio ea est, quâ ore, & corpore suscipitur Sacramentum corporis Christi Domini, de qua manducatione Sacramentali. S. Chrysost. *homil.* 23. *in Matth.* 3. Aug. *Epist.* 118. dicitur autem Sacramentalis sola, quando suscipitur Sacramentum istud indignè, & sine fructu. Sacramentalis manducatio.

Tertia manducatio Sacramentalis, & Spiritualis simul est, quâ corpus Christi Domini, ore simul, & Spiritu viuæ fidei suscipitur, ita vt suscipienti profit ad gratiam & salutem.

QVÆRES PRIMO.

Quibus ministrari possit & debeat Sacramentum Eucharistiæ.

Dico 1. Soli homines sunt capaces huius Sacramenti, iique fideles, post quam ad annos discretionis peruenerint. Per hanc particulam (Soli homines) excluduntur Angeli, quia non sunt capaces corporeæ manducationis, etiam in corporibus assumptis, quia in illis non exercent opera vitæ. Addit Alexander præclaram rationem 4. *p.* *q.* 45. *memb.* 2. *a.* 1. quia in manducatione Eucharistiæ, fit cum Christo vnio naturæ, fidei, & dilectionis. Sed Angeli non sunt capaces vnionis naturæ cum Christo homine, propter eorum spiritualem naturam. Ergo. Excluduntur etiam bruta, quia licet possint comedere corpus Domini, non comedunt tamen quatenùs Sacramentum, neque Sacramentaliter, quia vt docet Alexander *loco citato memb.* 1. manducare corpus Christi Sacramentaliter, est illud manducare per modum crediti, & cogniti; quo modo non possunt manducare bruta: & licet manducetur à brutis propter vnionem eius cum speciebus, quamdiu durant, non tamen manducatur quoad significationem, neq; quoad effectum. Neq; vlla à brutis infertur contumelia corpori Christi Domini, cùm eius non sit capax vt existit Sacramentaliter. Per particulam (*fideles*) excluduntur infideles, & Cathechumeni, qui non sunt capaces huius Sacramenti, cùm eos priùs nasci oporteat, quàm viuere, nascuntur autem, per Baptismum. Per particulam (*postquam ad annos discretionis*

Qui capaces Sacramenti huius.

Bruta an excludantur.

tionis &c.) excluduntur infantes, & paruuli, non habentes vsum rationis. Definitum est in Tridentino Concil. Sess. 21. Can. 4. *Si quis dixerit paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Ratio est, tùm quia Eucharistia requirit præparationem 1. *ad Corinth.* 11. quæ paruulis est impossibilis. Tùm quia est cibus grandium, id est fidem habentium. Tùm quia requirit discretionem, quâ discernatur ab aliis cibis. Tùm quia nulla est necessitas, neq; tanto irreuerentiæ periculo exponi debet tantum Sacramentum. Quòd si dicas in primitiua Ecclesia dabatur paruulis. Respondeo Id fiebat ex speciali dispensatione: tùm vt reuocarentur à mensa dæmonum, ex qua recedentes parentes idolothyti partē in ora eorum iniiciebant: tùm vt sanctificarentur corporaliter contactu corporis Christi Domini: tùm vt aduersus dæmones armarentur: tùm quia Patres antiqui, an esset Eucharistia ad salutem necessaria paruulis, causas pro illius temporis ratione habuerunt, vt inquit Concil. Tridentinum *Sess.* 21. *c.* 4.

Pueri quando admittendi.

PETES. *Quâ ætate pueri possunt admitti ad communionem?*

Respondeo Varii varia scribunt, in eo tamen ferè conueniunt, hoc non tam spectandum, ex eorum ætate, quàm maturitate ingenii; (quæ in quibusdam citiùs, in quibusdam tardiùs apparet) & perfecta circa res fidei institutione. Vnde licet statim ac sunt doli capaces, ac peccârunt mortaliter, obligentur etiam lege confessionis, consuetudo tamen Ecclesiæ fundata in Concil. Lateranensi habet, vt non statim admittantur ad communionem, sed expectent donec sufficienter circa hoc mysterium sint instructi, quod in primo illo vsu rationis, non possunt sufficienter capere, vt debitam ei reuerentiam exhibeant. Quare Coninchus *q.* 80. *a.* 11. *dub.* 4. dicit, quòd possit contingere, vt aliqui etiam anno 10 admittendi sint ad communionem, alii verò vix 14. quæ ex prudenti confessarii, ac parentum iudicio spectanda sunt.

Christus Dominus sumpsit.

PETES 2. *An Christus Dominus sumpserit corpus suum in cœna?*

Respondet Alexander 4. p. q. 44. membro 1. & 2. S. Thomas q. 81. a. 1. affirmatiuè. Patet ex S. Hieronymo Epistola ad

Hedibiam

Hedibiam, vbi ait, *Ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.* Addit Alexander, & S. Thomas hos versus, *Rex sedet in cæna, turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.* Ratio est, quia sicut priùs baptizari voluit, vt aliis baptismum imponeret, ita & Eucharistiam.

QVÆRES SECVNDO.

Quibusnam amentibus, furiosis, & energumenis, non est dispensandum Eucharistiæ Sacramentum.

Dico 1. Si amentes, & furiosi, non careant omninò vsu rationis, non est eis deneganda Eucharistia: si careant omninò, deneganda: si verò verbis, & factis prorumpant in contumeliam Creatoris, absolutè neganda est, nisi quandoq; contingat eos habere lucida interualla. Addo si ante amentiam petierunt Eucharistiam, & nullus timeatur vomitus, aut irreuerentia, tunc eis non esse negandam. Omnes partes huius conclusionis de se sunt manifestæ, non indigent probatione. Hinc Quibus amentibus neganda & quibus non.

Collige 1. Phreneticis, & amentibus, qui ab infantia sunt tales, non est danda Eucharistia, etiamsi vomitus non timeretur, aut aliqua irreuerentia. Ita S. Thomas 3. *p. q.* 8. *a.* 9. Paludanus, & alii. Ratio est, quia vsus Ecclesiæ sic fert, non secùs de his iudicandum ac de infantibus, in quibus nequit esse probatio, per propriam voluntatem, neque necessitas eius, cùm nullum habeant peccatum. Amentibus ab infantia non danda.

Collige 2. Iis qui in infirmitate pœnitentiam postularunt, & antequam Sacerdos veniret, in amentiam inciderunt, non est deneganda Eucharistia. Ita Concil: Arausicanum 1. *Can.* 13. Et Tolet: XI. Can 11. Porrò iis qui post vsum rationis inciderunt in amentiam, & ante petierunt hoc Sacramentum, non est deneganda, imò Syluest: *Verbo Euchar.* 3. *q.* 5. Vasquez. *d.* 212. asserunt talibus in articulo mortis ministrari posse, modò non subsit suspicio aliqua peccati mortalis, aut periculum irreuerentiæ. Petentibus ante amentiam danda.

Dico 2. Energumenis qui ad maiorem purgationem, vel ob meritum torquentur à dæmone non est deneganda Eucharistia; qui vero Energumenis quibus deneganda.

qui verò ob delicta poſsidentur à dæmone, & in punitionem peccatorum, & ſemper in blaſphemias prorumpunt, non eſt danda: ſi tamen habeant lucida interualla, & obtemperent dictis Clericorum, & ſolliciti ſint de ſua purgatione, poteſt eis diſpenſari, oblatâ opportunitate. Prima pars patet, quia tales Energumeni hâc punitione de facto merentur, ſuntq; in dies in meliori ſtatu. Ergo datâ opportunitate, & libertate ſenſuum, & mentis, nihil obſtat quominùs communicare poſsint. Secunda pars conſtat; quia ob reuerentiam Sacramenti arcendi ſunt. Tertia pars euidens eſt, quia tales Energumeni pro temporis opportunitate, dolere poſſunt de peccatis, confiteri, & diſponere ſe ad hoc Sacramentum, illudque ſumere abſque irreuerentiâ, vel timore, alicuius mali caſus.

PETES *Quinam ſint arcendi à ſacra communione?*

Aleatores. Reſpondeo multa eſſe genera hominum. Primò Aleatores habituales, & veluti profeſsione; tales enim ſunt in malo ſtatu, & multa peccata committunt: tenentur enim deſiderio lucrandi, quod eſt cupiditas: voluntate ſpoliandi proximum, quæ eſt rapina: multiplicant mendacia, periuria, & blaſphemias, ineſt illis fraus, & dolus; ſcandalizant bonos, & contemnunt Eccleſiaſticas prohibitiones. Hoc non intelligitur de illis, qui quandoq; animi recreandi gratia exercent aleas.

Duellum exercentes. Secundò arcendi ſunt exercentes duellum, quia tales habent voluntatem occidendi, & continuò peccant contra legem Diuinam.

Hiſtriones. Tertiò Hiſtriones illi, qui in ſcenis publicis, exercent comædias, & tragædias, vt docet S. Cyprian: *lib.* 1. Epiſt. 10.

Diuinatores. Quartò Diuinatores, & Sortilegi, non enim conuenit, vt qui paciſcuntur cùm dæmone, habeant conuerſationem cũ Chriſto Domino, & viuant eius carne, & Sanguine.

Choreatrices. Quintò Choreas exercentes præſertim choreatrices, quæ prauâ intentione exercent choreas, vt inducant aliquos ad malum.

Sextò Olim arcebantur à Sacra communione publici pœnitentes, antequam eſſent reconciliati Eccleſiæ.

Septimò Surdi & muti à natiuitate, regulariter recipi non

debent

debent ad Sacram communionem: quia tales de veritate huius Sacramenti non sunt sufficienter instructi: Dixi *regulariter*, quia si constaret tales esse per nutus, & signa esse instructos, puto non esse arcendos. Surdi & muti à communitate.

De Peccatoribus, quinam sint arcendi à Sacra communione, vel non; resolutionem tibi suggeret sequens Quæsitum.

QVÆRES TERTIO.

Qualis dispositio requiratur in laicis accedentibus ad Sacram communionem?

Nota 1. Dispositio potest esse, vel ex parte animæ, vel ex parte corporis, in hoc Quæsito de prima, in sequenti de secunda inquiram. Dispositio vel animæ vel corporis.

Nota 2. Indispositio ex parte animæ, vel est ex parte venialis peccati, vel ex parte mortalis, publici, vel occulti. In peccato autem mortali, docet D. Subt: in 4. *d. 9. q. vnica*, aliquem esse tripliciter intelligi. Primò in actu, quia tunc scilicet peccat mortaliter, peccato interiori, vel exteriori. Secundò habitualiter, ita vt tamen post peccatum mortale præteritum propter obliuionem, non pœnituerit illius, nec pœniteat. Tertiò Iterum habitualiter, ita tamen vt de peccato præterito cognito pœnituerit, vel pœniteat, nondum tamen confessus est, nec absolutus ab Ecclesia. Esse in peccato contingit triplicites.

Dico 1. In peccato veniali communicare, non est peccatum. Ita D. Subt. *loco citato*, cum Richardo, & aliis. Ratio est, tùm quia communio non impeditur per peccatum veniale, neque est necessarium propter illud confessionem præmittere, quia peccata venialia non sunt materia necessaria confessionis, sed sufficiens. Tùm quia peccata venialia, non impediunt principalem effectum huius Sacramenti, qui est augmentum gratiæ, stant enim venialia cum gratia, optimum tamen est consilium, vt præmittatur confessio venialium, ante communionem, & hanc consuetudinem commendat Concil. Trident: *Sess. 14. c. 1.* Peccata venialia non impediunt.

Dico 2. Qui communicat in peccato mortali incognito, & de quo facta est diligens inquisitio, ita vt ignoretur potius ignoran-

Peccatum incognitum mortale non impedit.

tia inuincibili, quàm crassâ, vel affectatâ, licet non sit contritus, neq; etiam confessus, non peccat tamen communicando. Probatur, tùm quia supponitur adhibita diligentia, secundùm humanã fragilitatem possibilis. tùm quia si moreretur quis in eo statu, saluaretur; non requiritur autem maius examen ad communicandum, quàm ad securè moriendum. tùm quia nunquam aliâs liceret communicare; nam in hoc statu, *Nescit homo an odio, vel amore Dei dignus sit. Eccl. 9.* Et vt ait Psaltes, *Delicta quis intelligit* Psal: 18. Quò fit vt Sacramentum hoc non esset amplius Sacramentum viatoris, quia certitudo gratiæ, & charitatis, & liberationis ab omnibus peccatis, nulli potest competere viatori. Quare diligenti inquisitione factâ, & præmissâ contritione, vel attritione cum confessione, quantùm videtur moraliter homini sufficere, communicando non peccat, imò si quæ peccata lateant, per istud Sacramentum remittuntur. Ita D. Subt. *loco citato,* qui omninò condemnat negligentiam affectatam, vel crassam; hæc enim nunquam excusat à peccato, & hîc à peccato mortali Sacrilegii.

Communicans debet esse sine peccato.

Dico 3. *Si aliquis accedat ad Sacramentum Eucharistiæ cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter.* Est definita in Tridentino *Sess. 13. cap. 7. & Can. 11.* contra impium Lutherum. Patet *ex 1. ad Corinth. 11.* vbi dicitur. *Qui manducat indignè iudicium sibi manducat, & bibit.* Vnde iubet Apostolus, vt prius *probet seipsum homo,* non vtrum habeat fidem, vt dicunt hæretici, sed vtrum non sit inimicus Dei, & peccatis immersus, ibi enim Apostolus reprehendit Corinthios, non ob infidelitatem, sed ob mores peruersos. Quare rectè inquit S. Chrysost: homil. 3. in Epist ad Ephesios. *Regem vtiq; non audeas osculari, si os tuum oleat grauiter, & Regem Cælorum impudens oscularis, animâ tuâ vitiis olente?* Ratio est. Tum quia in peccato mortali communicans, peruertit institutionem Christi Domini, qui vt patet *Ioan. 6.* instituit hoc Sacramentum per modum cibi, cuius est vitam nutrire, non autem dare. Tùm quia non licet Sacramenta vlla recipere in peccato mortali, præter Baptismum, & pœnitentiam. Tùm quia iniuriam facit Christo Domino ille, qui est inimicus eius, & audet eum recipere.

Dico 4.

Dico 4. Sufficit communicanti, vt moraliter certus sit, se esse in gratia: qualis moralis certitudo est, quando post diligens examen sui nullum peccatum mortale à se commissum occurrit, quod non sit confessus, aliâs si maiorem diligentiam aliquis requireret, perturbaret conscientias hominum. Sufficit certitudo moralis.

PETES 1. *Quo præcepto conscius sibi peccati mortalis teneatur, præmittere confessionem?*

Quo præcepto præmittenda est confessio ante communionem.

Respondeo, Vna opinio affirmat esse præceptum Apostolorum. Ita Medina *de Confes. q.* 17. & multi recentiores. Ratio est. Tum quia Christus Dominus, non solet dare præcepta circa modum suscipiendi Sacramenta, nisi quæ sequuntur ex eorum institutione, vt patet in omnibus ritibus aliorum Sacramentorum: Sed quod ante communionem peccator contritus debeat conteri, non sequitur ex institutione Sacramenti. Ergo non est iuris Diuini. Secunda opinio affirmat esse præceptum Diuinum. Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 9. §. *de tertio.* Suarez. *d.* 66. *Sect.* 3.

Diuinum præceptũ est præmittere confessionem.

Probatur 1. Accedens ad Eucharistiam, debet seipsum probare, 1. *ad Corinth.* 11. Sed hæc probatio debet fieri per confessionem ex præcepto Diuino, quod Tridentinum *Sess.* 13. *Can.* 7. innuit, vbi non dicit consuetudine Ecclesiæ hoc præceptum esse introductum, sed per consuetudinem Ecclesiæ declarari, siue cognosci, innuens hoc modo non esse præceptum Ecclesiasticum, sed Diuinum, aliâs posset Pontifex in hoc præcepto dispensare, quod tamen, cùm nunquam fecerit, inde apparet Diuinum esse præceptum.

PETES 2. *An aliquando non præmissâ confessione, conscio peccati mortalis, liceat communicare?*

Respondeo affirmatiuè si adsit rationabilis causa. Primò, Quando peccator timet, ne Sacerdos ille cui confitendum est, reuelet sigillum confessionis, aut ne confitentem ad inhonesta inuitet, aut ne odium contra pœnitentem concipiat, & grauiter in re aliqua magni momenti noceat, tunc enim potest confessionem omittere, quia non habet moraliter loquendo copiam confessarii. Ita Aretinus *in* 4. *d.* 9. *q.* 1. *a.* 12. dummodò iste metus sit probabilis, non enim sufficit vana opinio.

Causæ quando licet communicare sine confessione.

Secundò Si non possit quis communionem omittere sine graui infamia, aut scandalo, V. G. si aliquis accederet ad locum cōmunionis nec posset sine nota recedere, non tamen sufficeret, quòd aliqui essent mirati, quòd consuetam communionem omitteret, si nulla mala suspicio nasceretur. Tertiò Si quis habeat peccata mortalia reseruata, & non reseruata, & confitetur Sacerdoti, non habenti potestatem absoluendi à reseruatis, debet non reseruata confiteri, & de reseruatis conteri, & sic secundùm Suarez *loco citato Sect.* 4. indirectè absoluitur ab omnibus, sed tutiùs est, vt eliciat actum contritionis de reseruatis, quia nec indirectè ab illis absoluitur, vt dixi fusè in Tabula Naufragij *disp.* 8, *q.* 6. *art.* 6.

Cum attritione an accedendum.

Collige 1. Accedens ad hoc Sacramentum cum attritione quam probabiliter credit esse contritionem, non peccat mortaliter quia communicaturus nequit certò cognoscere, se contritionem, veram habere. Ergo credens probabiliter se habere contritionem, non peccabit sumendo hoc Sacramentum, vbi enim plena certitudo haberi non potest, sufficit probabilis.

Gratiam obtinet.

Collige 2. Communicans cum attritione, quam probabiliter putat esse contritionem, consequitur gratiam habitualem. Est D. Subtilis *in* 4. *dist.* 9. *num.* 2. Patet Tum quia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato, non ponentibus obicem peccati mortalis. Sed suscipiens Eucharistiam cum ignorantia probabili alicuius peccati mortalis, non ponit obicem Sacramento Eucharistiæ. Ergo talis consequitur effectum Sacramenti. Tùm quia facienti quod debet, Deus non denegat gratiam. Ergo.

In peccato veniali non est peccatum communicare.

Collige 3. Recipere hoc Sacramentum in peccato veniali, etiamsi actu ipsum veniale complaceat, non est peccatum mortale, neq; impeditur effectus Sacramenti. Si autem peccatum veniale sit aliquo modo circumstantia ipsius actus communicandi, est peccatum veniale. Ita D. Subt. *loco citato. num.* 4.

Peccatori publico est denegā da.

PETES 3. *An petenti Eucharistiam peccatori, sit deneganda?*

Dico 1. Publico Peccatori, & publicè non emendato, debet denegari Eucharistia. Patet, quia talis peccator est publicè infamis,

& per

& per talem publicam notitiam, amittit ius petendi hoc Sacramentum, siue sit publicum per euidentiam iuris, siue facti: vt sunt vsurarii publici, meretrices &c.

Dico 2. Peccatori occulto non est neganda communio, coram iis, quibus ignotum est eius peccatum. Habetur *c. placuit, 6. q. 2.* Ratio est, Tùm quia Christus Dominus Iudæ non denegauit communionem. Tum quia multi essent infamati, ex imprudentia Ministrorum, qui sæpè nimis leuiter iudicâssent, aliquem esse indignum hoc Sacramento. Tùm quia sequeretur magna perturbatio, quia astantes facilè sibi persuaderent per iniuriam aliquem repelli. Quare si Sacerdos per solam confessionem cognouit peccatum, à quo non absoluit peccatorem, non potest ei negare Eucharistiam, siue ille publicè petat, siue occultè, aliàs esset reuelatio sigilli. Occulto non est de neganda.

Dico 3. Quando peccator occultè petit communionem, debet ei denegari, si scitur extra confessionem peccatum. Ita communiter DD. Petenti occultè deneganda.

QVÆRES QVARTO.

Quæ dispositiones ex parte corporis, requirantur in Suscipiente Eucharistiam?

Respondeo Iure communi, non requiritur aliqua particularis dispositio ex parte corporis in suscepturo Eucharistiæ Sacramẽto, sed accedendum est eo habitu, & ea corporis dispositione, quã decreta locorum, vel consuetudo postulat, & quam tanti Sacramenti dignitas exigit. In hoc itaq; Quæsito inquiram. An ad sumendam Eucharistiam requiratur ieiunium, & abstinentia à carnalibus; seu munditia corporis.

Quantùm ad ieiunium. Nota 1. Ieiunium, aliud est Ecclesiasticum, quo præcipitur vnica comestio in die: aliud est naturale, quod importat abstinentiam à qualibet re modica comestibili per modum cibi, aut potus, vt habetur, *c. Nihil.* §. Nullus. 7. *q.* 1. Ita D. Subt. *in* 4. *dist*. 8. Ieiunium duplex.

Nota 2. Ex facto Christi Domini, minimè posse colligi præceptum sumendi hoc Sacramentũ post cibum, nam quòd Christus Do- Exẽplum Christi Domini non cogit.

stus Dominus hoc Sacramentum instituerit, & Apostolis dederit post esum agni, fecit hoc propter speciales causas, quæ propriè fuerunt illius temporis, & illius indiuiduæ actionis, vt ostendit Alexander Alensis 4. *p. q.* 10. *a.* 1. Et S. Thomas 3. *p. q.* 73. *a.* 5.

Sumpturus Eucharistiam debet esse ieiunus.

Dico itaq; Suscepturus Eucharistiam, per se loquendo debet à media nocte esse ieiunus, ieiunio non solùm Ecclesiastico, sed etiam naturali. Patet ex *capite liquido, de consecrat: dist.* 2. & ex vsu recepto ab Apostolis, quæ ob reuerentiam tanti Sacramenti, iustè hoc præcepit, vt constat ex verbis capitis citati. *Placuit Spiritui Sancto, vt propter tanti Sacramenti reuerentiam, priùs in os Christiani Dominicum corpus intraret, quàm alij cibi.* Hinc.

Per modum cibi, & potus sumi quid sit.

Collige 1. Per modum cibi, aut potus, dicitur sumi id, quod ab extrinseco ori impositum, per se sumitur, etiamsi medicinæ causâ sumatur. Hinc Saliua, vel alii humores, vt Sanguis ex capite, vel gingiua, in os defluens, etsi deglutiantur, non sumuntur per modum cibi, vel potus, quare nec communionem impediunt. Idem dicendum de reliquiis ciborum præcedentis diei, quæ hærent inter dentes, quæ per modum saliuæ sumuntur, magis tamen decens est, eiusmodi res expuere. Ita Suarez *disp.* 68. *Sect.* 4. idem dicendum est de illo, qui os abluens parum aliquid per imprudentiam deglutit, quia hoc non per se, sed per modum saliuæ cui permiscetur, sumitur, secùs esset si in magna quantitate sumeretur.

Non est necesse vt sit cibus digestus.

Collige 2. Non est necesse, vt ille qui suscepturus est Eucharistiam, digesserit cibum, aut post cœnam dormierit: quia potest aliquis dici ieiunus à media nocte, quamuis cibum non digesserit, vnde si Sacerdos ante mediam noctem comederet, celebrare posset Missam, nullo autem modo, si post mediam noctem aliquid de cibo, vel potu sumpserit.

PETES. *An aliquando non ieiunus possit communicare?*

Casus in quibus nō ieiuni possunt communicare.

Respondeo Varios esse casus. Primus est, quando quis est in præsenti periculo mortis, siue id fiat ratione morbi, siue supplicio afficiendus sit, tunc enim potest communicare non ieiunus, & quocunq; diei tempore, si sit ante sequentem diem moriturus. Ratio est, quia valde probabile est, talem tunc teneri ex præ-

cepto

cepto Diuino communicare, quod maius est, quàm præceptum Ecclesiæ prohibentis non ieiunum communicare. Si tamen comodè potest ægrotus, debet dare operam, vt ieiunus communicet, si non sit euidens periculum mortis; & Iudices debent curare, vt supplicio afficiendi pridie communicent.

Secundus casus est, quando Sacerdos loco vini, consecrauit aquam, eamq; sumpsit, tunc enim debet iterum vinum consecrare, & consecratum sumere. 2. Casus.

Tertius casus est, quando Sacramentum, nisi absumatur, est in periculo, ne comburatur, aut ne in manus sacrilegorum deueniat, tunc enim si non adsint ieiuni, à non ieiunis cum reuerentia sumi debet. Plura vide dicta *Articulo* præcedenti. 3. Casus.

Quantùm ad abstinentiam à carnalibus. Dico 1. Pollutio cũ peccato mortali impedit communionem, donec ipsum peccatum per legitimam pœnitentiam sit remissum : est communis Doctorum. Ex quo sequitur quòd qui carnale peccatum commisit, debeat per aliquod temporis spatium, vel per diem abstinere sub veniali à communione, etiam post confessionem, nisi adsit iusta causa communicandi, vel celebrandi. Ratio est. Tùm quia indecens est, vt ad tam augustum, & admirabile conuiuium accedat ille, qui turpiter fuit pollutus. Tùm quia huiusmodi peccata, relinquunt aliquos effectus in homine, nimirum, vel commotionem carnis, vel euagationem mentis à Diuinis. Ita D. Thomas. *in 3. p. q. 80. a. 6.* estq; communis DD. Pollutio quæ impedit.

Dico 2. Pollutio quæ contingit sine vllo peccato patientis vt quando omninò inuito accidit, vel cum solo veniali, vt quando patiens leui sua culpa, dedit ei causam, & quæ nullum relinquit effectum in homine, non impedit communionem. Ratio est, quia non est, vt sit pœna, vbi non est culpa. Pollutio sine peccato non impedit.

Dico 3. Copula inter coniuges noctu habita, sequenti die, ex consilio impedit communionem, maximè si sit habita causa voluptatis, quia indecens est tali tempore voluptati indulgere, ad cõmunionem enim magna requiritur deuotio. Si tamen sit iusta causa communionem sumendi, vt festum magnæ solennitatis, aut Iu- Copula coniugalis an impediat.

 bileus,

bileus, aut ſi communio commodè differri, non poſsit in ſequentem diem, tunc talibus communio non eſt deneganda. Ita S. Thomas 3. *p. q.* 8. *a.* 3. *eſtq́; communis Doctorum.*

Immunditia corporalis.

Dico 4. Immunditia corporalis, per ſe loquendo, non impedit communionem, vt lepra, fluxus Sanguinis &c. propter reuerentiam tamen tanti Sacramenti abſtinendum eſt aliquando. Vbi eſt periculum vomitus abſtinendum à communione. Ita communiter DD.

QVÆRES QVINTO.

Quando præceptum Diuinum obligat ad communionem?

Quomodo eſt Euchariſtia neceſſaria.

Nota Sacramentum Euchariſtiæ quantùm ad proprium effectum, quem effectiuè cauſat, neq; in re, neq; in voto, eſſe tam neceſſarium ad ſalutem, ſicut eſt Baptiſmus, & pœnitentia, quia non eſt neceſſarium ad inchoandam vitam animæ, eſt tamen per ſe neceſſarium adultis ad conſeruationem, neceſsitate finis in re, vel in voto. Eſt S. Thomæ *loco citato art.* 12. *ad* 2. Aretini *in* 4. *d.* 9. *q.* 3. *a.* 3. Ratio eſt, Euchariſtia eſt neceſſaria ad vitam ſpiritualem, vt inquit Chriſtus Dominus Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem &c.* Sed non eſt neceſſaria ad vitæ inchoationem. Ergo ad eius conſeruationem.

Ius Diuinum obligat ad cōmunionē.

Dico 1. Probabiliùs eſt, nos iure Diuino teneri aliquando communicare. Patet Ioannis 6. dicitur. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Sed ſi non eſſet obligatio māducandi carnem Chriſti Domini, ſine ea poſſemus habere vitam æternam. Ergo neceſſariò dicendum eſt, eſſe præceptum Diuinum, Vbi enim eſt obligatio, ibi eſt præceptum. Sed in hoc loco, eſt obligatio. Ergo & præceptum.

Confirmatur 1. Ex S. Paulo, qui 1, *ad Corinth.* 11. vbi agens de communione laicorum, accommodat illis hoc præceptum. Confirmatur 2. ex Tridentino *Seſs.* 13. *cap.* 2. Vbi ait, Dominum præcepiſse nos colere ſui memoriam in huius Sacramenti ſumptione,

In articulo mortis obligat.

Dico 2. Præceptum Diuinum ſumendæ communionis, per ſe loquendo obligat in articulo mortis naturalis, aut violentæ. Eſt

communis DD. Probatur 1. Quia maximè expedit morientem signo aliquo externo testari se mori in vnione Catholica. Sed ad vnionem membrorum Ecclesiæ totius faciendam, & declarandam, à Christo Domino instituta est communio. Ergo maximè præcepta videtur in articulo mortis.

Probatur 2. Non ieiunus in articulo mortis obligatur ad communionem. Ergo signum est præceptum communicandi in articulo mortis esse præceptum Diuinum, cui cedit Ecclesiasticum. Colligitur ex Tridentino *Sess.* 13. *c.* 6. vbi dicitur, antiquissimum esse morem communicandi in articulo mortis, si non sit periculum vomitus. Hinc

Collige 1. Iudices teneri reo concedere tempus sumendæ Eucharistiæ, etiamsi timeatur fore, vt concesso debito tempore ad sumendam Eucharistiam, reus eripiatur. Ita Bonacina *d.* 4. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 6. vbi limitat, si omninò reus nolit confiteri, neque communicare, poterit morti adiudicari, sed si nolit reus se præparare tempore à iudice concesso, tenetur iudex expectare, & dilationem duorum, aut trium dierum reo concedere, si speret fore, vt reus intra illud tempus, pœnitentiam agat, nec sit periculum alicuius scandali, vel damni ex ea dilatione. Nota pro iudicibus.

Collige 2. Non tenetur Eucharistiam sumere in periculo mortis, ille qui paulò ante communicauit, V. G. ante sex dies, vel decem. Ita Angelus, *Verbo Eucharistia.* Suarez. *disp.* 69. *Sect.* 3. *& alij.*

Collige 3. Ille qui in infirmitate sumpsit viaticum, & postea peccauit mortaliter, non tenetur iterum communicare. Ita Bonacina *ibidem num.* 3. Eucharistia enim non est instituta ad delenda mortalia, sicut pœnitentia.

Collige 4. Ille qui non communicauit in periculo mortis, transacto illo periculo, non obligatur ad communionem, quia hoc præceptum positum est, vt se homo præparet ad transitum ex hac vita.

Dico 3. Præter articulum mortis, etiam aliquoties in vita tenemur iure Diuino communicare. Patet nam licet præceptum

affirma-

Præter articulum mortis obligantur in aliis temporibus.

affirmatiuum per se, non determinet tempus, tamen non limitatur ad vnum actum, seu ad vnum tantùm tempus, sed comprehendit, quidquid iuxta naturam præcepti diuersis temporibus occurrere potest, secundùm rectam rationem, talisque præcepti interpretationem prudentem, Et sic ille, qui semel in anno communicat, satisfacit præcepto Diuino, & Ecclesiæ, Addit Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 8. *puncto* 4. communionem ex Diuino præcepto sumendam esse, quoties iudicio prudentis iudicatum fuerit opus esse communione, ad superandas tentationes, Sed hæc opinio non admittitur à multis DD. Vide Bonacinam *d.* 4. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 10.

QVÆRES SEXTO.

Quando præceptum Ecclesiæ obligat ad communionem?

Præceptũ Ecclesiæ de communione.

Dico 1. Datur præceptum Ecclesiasticum communionis in Paschate. Constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Et habetur expresse *Capitulo Omnis vtriusq; sexus de pœnitentia*. Vbi omnes fideles postquam ad annos discretionis peruenerint obligantur ad communionem in Paschate. Hoc idem definitum est *in Trident: Sess:* 13, *Can.* 9. Hâc lege non obligantur carentes vsu rationis, qui à natiuitate tales sunt, & nunquam lucida interualla habent. Similiter non ligantur pueri hâc lege ante vsum rationis: quando autem pueri hâc lege teneantur, pendet non tam ex annis, quàm ex discretione, & instructione, circa hoc mysterium.

Pueri quando ligantur.

PETES *An paruuli existentes in articulo mortis ante annum decimum teneantur Eucharistiam sumere, si vsum rationis habeant?*

Paruulis in articulo mortis an liceat.

Respondet Aretinus *in* 4. *d.* 9. *a.* 8. existimans esse obligationem, tam ex parte petentis, quàm dispensantium; quia tales sunt capaces fidei, & reuerentiæ Sacramenti, suntque in periculo, in quo non expectant commodiùs tempus ad recipiendum hoc Sacramentum cum meliori dispositione. Ergo tunc accipere debent.

Tempus præscriptum.

Dico 2. Tempus præscriptum communioni, iuxta declarationem Eugenii IV. est à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in albis: in Regno verò Poloniæ ab Vrbano VIII. tempus communioni præscriptum à Dominica passionis inclusiuè vsque ad sabbatum Dominicæ Secundæ post pascha.

Dico 3

Dico 3. Hoc præceptum obligat fideles tantùm semel in anno. Patet ex iure citato,

Per communionē sacrilegam satisfit præcepto Ecclesiæ.

Dico 4. Qui communicat cum conscientia peccati mortalis, & sacrilegè satisfacit præcepto Ecclesiæ; non autem Diuino. Secunda pars constat ex 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo &c.* Prima pars est communis Theologorum. Probatur, quia Ecclesia solùm actum communionis externum præcipit, quem præcise satus integrè ponit; & quamuis intendat actum illum cum debita reuerentia fieri, vel intelligitur reuerentia externa, quæ etiam exhibetur; vel interna debitæ dispositionis; & hanc non præcipit, sed de ea instruit, eamq́ iure Diuino præceptā supponit. Ita Coninch. q. 80. *a.* 11. *dub.* 4. *n.* 107. Emmanuel Sa. *Verbo Eucharistia n.* 15. Bonacina *d.* 4. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 12. Rodericus *de Communione cap.* 64. *num.* 5.

Non tenetur tempus anticipare.

Dico 5. Qui videt se impediendum ne in Paschate communicet, non tenetur tempus præscriptum præuenire. Ita Coninchus *loco citato n.* 108. Aretinus noster *loco citato. a.* 9. Probatur quia ablàs cessante impedimento, non teneretur communicare tempore præscripto, quod falsum est: si ergo tenetur, per talem communionem anticipatam non adimpleuit præceptum, & sic ad eam non tenebatur ex vi præcepti.

Omittens tempus paschale an obligetur statim communicare.

Dico 6. Qui omisit communionem in Paschate, ex vi huius præcepti, non tenetur iuxta aliquos Doctores communicare ante sequens Pascha, iuxta verò alios DD. obligatur quam primùm communicare. Ita Aretinus *loco citato. art.* 9. & hanc probabiliorem putat Bonacina *loco citato n.* 13. tempus enim Paschatis non est positum ad finiendam obligationem, sed ad solicitandam. Aduertit Aretinus *loco citato* iure communi nulla pœna seu censura incurritur à transgressoribus huius præcepti, possunt tamen pœnæ imponi, & censuræ, ab Episcopis, & Parochis, in transgressores.

QVÆRES SEPTIMO.

An meliùs sit frequentiùs, quàm rarò communicare?

Nota 1. Ex duobus capitibus spectandum esse, an alicui consul-

consultum sit frequentiùs, vel rariùs, communicare: scilicet ex parte Sacramenti, & ex conditione suscipientis. Quare S. Bonauentura monet *in 4, dist. 9. q. 3. Et libro de profectu Religionis, profectu, 7. c. 21.* quinam ad communionem frequentem sint admittendi, quod referam conclusione 2.

Frequentiùs communicare vtiliùs.

Dico 1. Per se loquendo, & ex parte Sacramenti consultiùs est, & vtiliùs, frequentiùs communicare, quàm rariùs. Probatur 1. Quia nulla frequentia in vsu Eucharistiæ est prohibita iure Diuino. Et primi Christiani quotidiè communicabant, vt constat *ex Actis Apostolorum cap. 2.* Et Concil. Tridentinum *Sess. 22. cap. 6.* inquit. *Optaret Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione, communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret.* Et *Sess. 13. cap. 8.* hortatur ad frequentem communionem.

Authoritates SS. Patrum.

Probatur 2. Ex SS. Patribus. S. Ambrosius *libro 5. de Sacramentis cap. 4.* dicit. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis. Quotidiè accipe, vt quotidiè tibi prosit: Sic viue, vt quotidiè merearis accipere.* S. Aug. Epistola 121. ad Probam, in verbis illis Dominicæ orationis; *Panem nostrum quotidianum*, Eucharistiam intelligit. S. Ignatius *Epist. ad Ephesios*, consulit dicens, *Date operam, vt frequentiùs congregemini ad Eucharistiam.* Probatur ratione.

Rationes.

Tùm quia illi qui frequentiùs communicant, maximè in se augent gratiam, & ostendunt maximum suum in Deum affectum, cui quantùm possunt, quotidiè vniri cupiunt. Tum quia frequenter accedere, est ex propensione charitatis, differre autem, aut est ex negligentia, aut ex timore. Sed per se loquendo, meliùs est operari ex charitate, quàm ex timore. Ergo.

Nota regulam.

Dico 2. Quam frequenter vnumquemque conueniat communicare generalis regula nequit præscribi, sed ex statu, ac conditione cuiusque personæ, prudenti iudicio confessarii, spectari debet. Regulam talem S, Bonauentura locis citatis tradit. Si enim cognoscit ex quotidiana sumptione feruorem amoris augeri, & reuerentiam non minui, talis potest quotidiè sumere: si autem cognoscit per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & fer-

uorem

norem non multùm augeri, debet talis interdum abstinere. Vnde S. Aug. qui refertur *de consecrat. distin.* 2. *dicit. Si dixerit quispiam non quotidiè accipiendam Eucharistiam, & alius affirmet quotidiè, faciat vnusquisq; quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum.* Quare pro diuersitate statuum, & personarum, concedenda frequentior communio, frequentiùs Religiosis, quàm secularibus, cæteris paribus, continentibus, quàm coniugatis, purioris conscientiæ, quàm non ita puræ. Cauenda tamen etiam est nimia frequentia iis, qui sunt purioris conscientiæ, & à mundo abstracti, ne vel appareant omninò singulares, aut suo exemplo, alios minùs dispositos pertrahant, vt frequentiùs communicent, quàm eis expediat. In quibus omnibus discernendis, prudentis confessarii consilio, & iudicio opus est. Nota.

Dices S. Aug. *lib. de Eccl. dogmatibus c.* 54. dicit. *Quotidiè Eucharistiam sumere, nec laudo, nec vitupero.* Et S. Hieron. *contra Iouinianum. Scio Romæ esse hanc consuetudinem, vt fideles semper corpus Christi accipiant, quod nec probo, nec vitupero.*

Ergo si Sancti Patres isti in biuio sunt, quoad frequentem communionem, consultum non erit adeò frequenter communicare.

SS PP. mens exponitur.

Respondeo Sancti Patres isti, minimè improbant frequentem communionem, sed dum dicunt, *nec laudo, nec vitupero,* insinuant frequentiam communionis secularium, dirigi iudicio prudentum Sacerdotum, & Confessariorum, qui illorum conscientias gubernant, qui bonam, vel malam dispositionem diligenter vniuscuiusq; considerare debent, & an fructum aliquem exinde sint reportaturi, quia vt inquit S. Thom. 3. p. q. 80. *a.* 10. *Quia multoties in pluribus hominum impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis, & animæ indispositionem, non est vtile, omnibus hominibus, quotidiè accedere ad hoc Sacramentum, sed quotiescunq; se ad illud homo inuenerit præparatum.* Hinc.

Notent Confessarii.

Collige 1. Confessarium pium, & prudentem, debere semper habere rationem dignitatis Sacramenti, & necessitatis eius qui communicat, ac dispositionis & status illius. Vnde si aliquas Per-

ſonas adeò excellẽtis virtutis, ac ſãctitatis inuenerit, adeò hoc Diuinũ Sacramentum appetere, & eſurire, optimèq́ eſſe diſpoſitas, poterit ter, vel quater in hebdomada, eis communionem concedere, præſertim illis quæ ſunt Dei obſequio dedicatæ, ac à Matrimonii oneribus, ac ſeculi occupationibus, liberæ. Quare Confeſſarii debent aduertere, an benè faciant, qui quotidiè Deuotulis quibuſdam cõmunionem permittunt, quæ Deuotulæ ſunt garrulæ, rumoresq́ per Ciuitatem ſpargentes, minimè recollectæ, conuenticula &c. tales enim Confeſſarii ſtrictam rationem Deo reddent, talibus communionem frequentem concedentes.

Nota diligenter.

Collige 2. Ne nimiùm aliqui Sacram communionem differant ſine cauſa, vel ne timeant frequenter accedere plurimis miraculis Deus illuſtrauit. S. Hilarius Epiſcopus Arelatenſis memorat, de S. Honorato Ambianenſi Epiſcopo, cùm hæſitaret, recepturusne eſſet hoc Sacramentum, an deberet abſtinere? ab imagine Saluatoris, in altari depicta, porrectam miraculosè Euchariſtiam, accepit. Lucas VVadingus *in Annalibus* 1243. *n.* 6. refert de S. Bonauentura, eum tantâ humilitate præditum fuiſſe, vt cùm diu aliquando adhuc iunior ſe indignum putaret Euchariſtia, quem tamen Deus dignum iudicauit, vt ab Angelo eam receperit.

In die ſæpiùs communicare non licet.

Dico 3. Non licere homini laico, ſæpiùs in die communicare. Colligitur *ex capite Conſuluiſti, de celebratione Miſſarum, & cap. ſufficit de conſecrat. diſt.* 1. Excipe caſum quo neceſſarium eſſet aliquem ſecundò eodem die venerabile Sacramentum ſumere, ne veniret in manus infidelium, aut hæreticorum.

Quauis hora communicare licet.

Dico 4. Nullam certam horam vllo iure cõmuni eſſe præſcriptam, quare abſolutè loquendo, ſi ſcandalum abſit, quauis horâ licet ieiuno communicare, vt docet Angelus *Verbo Euchariſtia n.* 36. Syluester *ibidem quæſt.* 15. Reuerentia tamen Sacramenti poſtulat, vt ſeruetur illud tempus, quo communiter communio ſolet diſtribui; neq́ extra neceſſitatem permittendum, vt aliquis ſub veſperam, aut nocte intempeſtâ communicet, extra caſum infirmitatis.

QVÆRES OCTAVO.

An laici teneantur iure Diuino communicare ſub vtraq́ ſpecie?

Nota.

Nota 1. Hæc controuersia exorta fuit in Bohemia anno 141?. à Petro Dresdnensi, & Iacobello Misnensi, qui affirmabant iure Diuino id præceptum esse, quos sequuntur moderni hæretici.

Nota 2. Aliud esse institutionẽ Christi Domini, aliud præceptum, multa siquidem à Christo Domino instituta sunt, quæ tamen præcepta omnibus non sunt, V. G. Ordo, & Matrimonium, & tamen non omnes tenentur ordines suscipere, aut Matrimonium contrahere, ita licet communio sit instituta sub vtraq; specie, non tamen præcepta.

Aliud est institutio, aliud præceptum.

Dico 1. Licet Christus Dominus sub vtraq; specie instituerit Eucharistiam: non tamen præcepit vsum omnibus vtriusq; speciei. Prima pars patet, *Matth.* 26. *Luc.* 22. *Marci* 14. 1. *ad Corinth.* 11. siquidem enim in cœna vltima Christus Dominus, non solum Sacramentum, sed etiam Sacrificium instituebat, proinde meritò vtramq; speciem coniunxit. Secunda pars probatur, quia præceptum hoc non potest ex institutione desumi, vt vidimus in Notando 2. Neq; in scripturis tale præceptum ostendi potest; nam vel continetur Ioannis 6. vt volunt Hulsitæ. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem non habebitis vitam in vobis*. Atqui Lutherani dicunt, in eo capite non agi de Eucharistia, sed dato quòd agatur, indiceteq; Christus Dominus eam sumi per modum cibi, & potus, præceptum tamen sumendi propriè, non cadit super modum sumendi, sed super rem sumptam, quæ sub vna specie tam perfectè, quàm sub duabus; Tum quia iuxta hebraismũ, ista propositio potest accipi disiunctiuè, ita vt *&* sumatur pro vel, vt Exodi 21. vbi noster habet. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem morte moriatur*. Hebræa habent. *Qui percusserit Patrem, & matrem &c.* ita in proposito. Vel certè colligeretur ex illo loco, Lucæ cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, vt volunt Lutherani, sed repugnat Caluinus, qui vult id solis Ecclesiæ Ministris, non laicis dictum. Vel ex illis verbis, *Bibite ex eo omnes, Matth*, 26. vt vult Caluinus. Vel ex prima ad Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*. Sed ex nullo horũ. Non ex primo, vt vidimus, in vsu enim Sacramenti est substantia, & modus; substantia in hoc est, vt

Vsus non est præceptus, sub vtraque specie.

Præceptum hoc non potest ostendi in SS. literis.

Substantia & modus. Substantiã Dominus præcepit.

vt homo manducet carnem, & bibat Sanguinem, & hoc præcepit Christus Dominus. Modus autem est, vt homo manducet sub vna tantũ, vel sub vtraq; specie, & hoc ibi nõ præcepit Christus Dominus, nam illo capite toto, non fit mentio calicis, aut vini; & licet fiat mentio Sanguinis hîc, æquè sub vna specie, atq; sub duabus continetur, quia caro Christi Domini in Eucharistia est viua. Ergo habens Sanguinem. Neq; istæ voces *bibere & manducare*, ponunt sub præcepto vtramq; speciem, quia bibere, & manducare sæpè pro eodem sumuntur, vt Psalmo 68, dicitur, *Dederunt in escam meam fel*; quod Matthæus cap. 27. interpretatus est, *Dederunt ei vinum bibere cũ felle mistum.*

Bibere nõ ponit vtramque speciem.

Non deducitur ex illo loco Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Tùm quia S. Lucas posuit hæc verba ad distributionem Sacramenti sub specie panis. Sed hoc non repetiit ad porrectionem calicis. Ergo non iussit sumere sub vtraq; specie. Tùm quia in his verbis est solùm præceptum Ecclesiæ ministris, vt consecrent sub vtraq; specie: istis enim verbis potestatem dedit Apostolis consecrandi: ordinauitq; eos Sacerdotes. Quòd si aliquis contendere velit prædicta verba ad omnes spectare, id verum esse quoad substantiam Sacramenti, non autem quoad modum, vt sumant sub vna, vel sub vtraq; specie.

Non potest ostendi ex S. Luca.

Instant 1. hæretici non posse hæc verba *Hoc facite*; exponi *consecrate* quia in Græco textu habetur τοῦτο ποιεῖτε *Hoc facite.* Respondeo istis verbis præcepit Dominus, vt quod illum facere viderant, ipsi postmodùm facerent. Sed Christus Dominus panem in manus suas accepit, benedixit, consecrauit, consecratumq; eisdem Apostolis distribuit. Ergo illis præcepit, vt panẽ accipiẽtes similiter benedicerẽt, cõsecrarẽt, consecratũq; populo traderẽt. Instãt 2. S. Paul. 1. *ad Corint. c.* 11. apposuit ad calicẽ *Hoc facite quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem.* Rñdeo, S. Paulus hic non ponit præceptum, vt omnes sumant corpus & Sanguinem Christi Domini sub vtraq; specie, sed tantùm historiam institutionis recenset. Licet igitur S. Paulus repetierit eadem verba post sumptionem calicis, tamen hoc fecit cum moderatione. *Hoc facite quotiescunq; bibetis &c.* quæ moderatio declarat, non esse hîc præceptum de sumptione calicis, sed solùm de commemora-

Instantiæ hæreticorum,

tione

rione mortis Domini; idq; non absolutè, sed sub conditione, non enim absolutum præceptum continetur his verbis, vt Calicem bibamus, sed sub conditione, si volumus bibere, vt faciamus hoc in memoriam passionis Dominicæ. Ergo S. Paulus nullo modo iniunxit necessitatem calicis, sed eius vsum liberum reliquit, aliás frustra dixisset, *Quotiescunq; bibetis.*

Particula omnes ad quos extenditur.

Non deducitur ex eo loco Matth. 22. *Bibite ex eo omnes*: nam particula *omnes*, non potest extendi ad omnes homines, sed solúm ad eos qui erant præsentes. Sed nemo præsens erat nisi Apostoli, quos tunc Sacerdotes consecrabat: cùm ergo dicit, *Bibite ex eo omnes* solis Apostolis hoc dicit, & Sacerdotibus: quod expressit S. Marcus c. 14. *Et biberunt ex eo omnes. Vbi omnes,* non significat nisi Apostolos, qui reuera biberunt. Ergo illud *omnes bibite* non potest significare, nisi Apostolos. Quòd si dicant intelligi etiam fideles adultos, qui omnes in Apostolis biberunt. Respondeo Ergo si omnes biberunt in Apostolis, præceptum iam est impletum, nec amplius ad illud obligantur, Sed ex fundamento respondeo: Illis dixit *Bibite ex eo omnes,* quibus corpus suum dedit, qui cum ipso ad mensam recumbebant. Sed illi erant soli Apostoli. Ergo per illud *Bibite ex eo omnes,* nulli præter Apostolos, Sacerdotes, & consecrátes, sunt accipiendi. Ergo in his verbis nullum præceptum sumendi Eucharistiam sub vtraq; specie continetur. Instant hæretici, Christus ait, *Quod vobis dico, omnibus dico,* Ergo omnibus dictum est, *bibite ex eo omnes.* Respondeo Negando consequentiam; licet enim quando dictum est Apostolis *vigilate*, omnibus sit dictum iuxta declarationem Christi Domini dicentis, *Quod vobis dico omnibus dico, vigilate,* id est, parate vos ad diem iudicii, de quo ibi sermonem faciebat. Alioqui si omnia quæ Apostolis dixit, ad omnes pertinerent, sequeretur quòd omnes deberent ire per mundum, vxores deserere, nullas possessiones possidere, neq; aurum, neq; pecuniam: quod tamen hæreticos non videmus facere.

Instantia hæreticorum soluitur.

Deinde neq; 1. ad Corinth. 11. præcipitur vsus Eucharistiæ sub vtraq; specie, distinguenda enim sunt hæc tria, institutio Eucharistiæ, traditio Apostolica de Eucharistia, & præceptum iuris

Diuini

Diuini, vt sumatur sub vtraq; specie: licet igitur Apostolus historiam institutionis Sacramenti tradiderit, non tamen præceptum posuit, vt omnes sumant sub vtraq; specie; quia hoc præceptum non potest deduci ex sacris literis.

Rectè Ecclesia docet Catholica, non esse præceptum sub vtraq: specie. Exemplū Domini.

Dico 2. Rectè Ecclesia Catholica docet, non esse præceptam communionem à Christo Domino sub vtraq; specie. Probatur 1. ex exemplo Christi Domini, qui discipulis euntibus in Emmaus, panem benedixit, & in corpus suum conuertit illisq; sub vna specie porrexit. *Luc.* 24. Et licet aliqui prædicantes in dubium id reuocare velint, oppono tamen illis S. August. *lib.* 3. *de consen. Euang. c.* 25. S. Hieron. in Epistola Paulæ ad Eustochium, S. *Chrysost.* homil. 16. Theophyl. *in caput* 24. *Lucæ*, qui expresse tenent, illis datam Eucharistiam sub vna specie: quorum authoritatem, quis non faciat pluris, quàm omnium hæreticorum temeritatem. Quòd si instent, Cur hic sub vna specie porrexit, cùm tamen in vltima cæna sub vtraq; instituit? Respondeo quia in cæna sacrificium iuge instituit secundùm ordinem Melchisedech, sub specie panis, & vini, & Sacerdotes ordinauit Apostolos, hic autem vt Sacramentum sub vna porrexit. Ergo communio non est præcepta sub vtraq; specie.

Apostolorum exemplum.

Probatur 2. Apostoli vsum vnius speciei exemplo suo approbarunt. Ergo sub vtraq; specie, non esse præceptum intellexerunt. Antecedens probatur. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Actor.* 2. vbi Syrus vertit, *communicabant in precibus, & fractione Eucharistiæ.* Et Act. 20. *Vna sabbatorum cùm conuenissemus ad frangendum panem.* Et 1. ad Corint. 10. *Vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus.* Sed in his locis nulla fit mentio calicis. Ergo non est præceptum sumere sub vtraq; specie.

Tertia probatio.

Tertiò probatur, quia multi erant inter fideles, quibus Apostoli permittebant obseruationem legis *Num.* 6. quæ præcipiebat eos abstinere à vino, qui tamen non abstinebant à communione, quam sumebant sub vna specie. Tùm quia multi erant ex eis Nazaræi qui non bibebant vinum, vt patet *Act.* 18. 21. 23. Atqui hi sumebant Eucharistiam sub vna specie. Ergo non est præceptum sumendi sub vtraq;. Præterea laici sub vna specie, non

cie, non

ecie, non accipiunt solam carnem, sed carnem & sanguinem simul, amò totum Christum: & hoc sensu docent Theologi sub vna spe- cie non minùs contineri totum Christum, quàm sub vtraq;nequit enim diuidi Christus, vbi enim caro eius est, ibi & Sanguis, & anima, atq; Diuinitas inueniuntur. Christus enim est immortalis iuxta illud *ad Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur.* Ergo caro, Sanguis, anima, & Diuinitas semper manent coniuncta, ac proinde cùm sub specie panis sit caro Christi, necesse est etiam Sanguinem, animam, & diuinitatem, atq; adeo totum Christum adesse. Ex quo sequitur, non minorem fructum percipi ex vna specie, quàm ex vtraq;, totus enim fructus percipitur à præsentia Christi, qui non minùs sub vna, quàm sub vtraque specie præsens est, quod constat ex capite 6. Ioan. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet non moriatur, sed habeat vitam æternam.* Ecce vnius speciei fructus vita æterna. Quod enim vtrique speciei Christus Dominus in sacrificio adscribit, hoc etiam adscribit vni speciei extra sacrificium, quia vtrobique Christus integer, est, & continetur. Instant hæretici, Cur ergo Sacerdotes non sunt contenti vna specie, sicut iubent laicos contentos esse. Respondeo Sacerdotes ideò sub vtraq;,quia non solùm Sacramentum accipiunt, sed etiam vt sacrificium offerunt: laici verò Eucharistiam accipiunt vt Sacramentum, & sic contenti debent esse vnica specie.

Totus Christus est sub vna specie.

QVÆRES NONO.

A quo tempore in Ecclesia fuit vsus vnius speciei?

Nota Vsus indifferens, & promiscuus fuit in Ecclesia Eucharistiæ, siue sub vna, siue sub vtraq;, specie vsq; ad tempora Leonis Magni, qui præceperat obseruari eos; non qui aliquando, sed qui semper abstinerent à calice, non quòd hoc malum per se esset, hoc enim nulla ratione (sed contrarium potiùs) indicat, sed quia Manichæi per illud signum tunc poterant deprehendi, qui vinum tanquam à diabolo creatum detestabantur. Deinde sublatâ hac hæresi, rursum fuit promiscuus vnius, vel vtriusque speciei vsus, vsq; ad Con-

Indifferens vsus fuit in Ecclesia vtriusque speciei.

ad Concilium Constantiense, in quo interdictus fuit vsus Eucharistiæ laicis sub vtraque specie, certis de causis.

Dico itaque licet initio Ecclesiæ fuerit permissa communio sub vtraque specie: semper tamen fuit vsus communionis à tẽporibus Apostolorum, vsque ad nos vnius speciei. Hanc conclusionem omnes SS. Patres, omnesque Ecclesiasticæ historiæ confirmant. Hinc.

Semper fuit vsus sub vna specie.

Collige Hæreticos falsò asserere vsum Eucharistiæ cæpisse sub vna specie, ante trecentos annos in Ecclesia, cùm cæperit ab initio Ecclesiæ. Legant Hæretici S. Augustinum *Serm. 252. de tẽpore.* S. Ambrosium *de initiandis mysteriis cap. 9.* S. Hieron. *in Apologia pro libris contra Iouinianum*, quorum temporibus, fuit vsus sub vna specie: legant antiquissimos Theologos, S. Thomam D. Angelicum, qui floruit ante annos trecentos, qui *3. p. q. 80. a. 12.* dicit eas Ecclesias, rectè facere, quæ non communicant populum, nisi sub vna specie. Hoc idem docent omnes discipuli D. Angelici, & D. Subtilis. S. Bernardus in suo monasterio communionem præbebat sub vna specie, vt constat *ex lib. 1. c. 11. vitæ ipsius.*

Ex historiis probatur vsus vnius speciei.

Confirmatur 1. Quia olim in primitiua Ecclesia dabatur fidelibus Eucharistia domum ferenda, vt commodo tempore possint eam sumere, idq; sub vna specie panis, quia calix solùm in templo per Diaconum distribuebatur, neque licebat eum secum domum ferre. Confirmatur 2. quia ad ægrotos, & moribundos communiter, sub vna specie panis communio mittebatur, vt constat ex Eusebio *libro 6. historiarum cap. 36.* Sozomeno, & aliis quos refert Bellarm. *lib. 4. c. 24.* Confirmatur 3. Quia in multis Ecclesiis Latinis, fuit mos communicandi tantùm sub vna specie ante annos 800. ex Concil. Constant.: *Sess. 13.* & Basilien. *Sess. 30.* Et Cardinalis Hosius Polonus, *in Dialogo de vtraq; specie,* ex historiis & monimentis, refert in Regno Poloniæ, ex quo fidem recepit, (plus quàm à sexcentis annis) semper vsum fuisse communionis sub vna specie, quod constat ex historiis relatis *art. 5. quæsito 1. in fine.* Denique ordo Romanus ante 800 annos editus, manifestè indicat, in Romana Ecclesia, fuisse vsum publicum vnius tantùm speciei.

Neque

Neque enim nego quòd fuerit in vsu vtraque species, sed nego vtramque esse sub præcepto, ita vt sit illicitum sub vna communicare specie, sed aliquando sub vna, aliquando sub vtraque, pro necessitate, & exigentia temporum permittebatur.

QVÆRES DECIMO.

An Ecclesia potuerit communionem præcipere sub vna specie, & cur?

Dico 1. Potuit. Probatur quia quod non est iure Diuino prohibitum, & non pertinet ad mutationem essentialem Sacramentorum, potest Ecclesia disponere, & ordinare, quia 1. *ad Corinth.* 11. S. Paulus de Sacramenti perceptione dicit. *Cætera cùm venero dispo-nam.* Sed duæ species nullibi sunt præceptæ; nam alioquin Christus, & Apostoli istud præceptum fregissent: neque pertinent ad essentiam Sacramenti, vt Sacramentum est, non autem vt sacrificium. Ergo potuit Ecclesia præcipere.

Potuit Ecclesia præcipere vnam speciem.

Dices Quod iure Diuino relictum est liberum, id iure Ecclesiastico, non potest reddi non liberum. Sed communio sub vnica specie, aut sub vtraque specie, libera est relicta iure Diuino. Ergo iure Ecclesiastico, non potest tolli hæc libertas.

Respondeo Distinguendo Maiorem, quod iure Diuino relictum est positiuè, vt sit fidelibus liberum semper, id Ecclesia non potest mutare: quod est relictum à iure Diuino liberum negatiuè, ita vt non determinet modum, non tamen prohibet, ne Ecclesia determinare possit, imò ipsius dispositioni reliquit, hoc potest reddi non liberum, per præceptum Ecclesiæ. Lege S. Augustinum Epistola 118. *ad Ianuarium*, vbi egregiè hac de re differit, non potest igitur substantiam Sacramentorum Ecclesia mutare, at benè modum: sicut liberum reliquit, vt in Baptismo, trinâ, vel vnicâ mersione vterentur fideles, & tamen in Tolet: Concil: prohibita fuit trina mersio.

Quomodo iure Diuino libera communio sub vtraque specie.

Dico 2. Ecclesia iustis de causis, præcepit laicis communionem sub vna specie. Primò vt hoc facto doceat, Christum Dominum integrum contineri tam sub vna, quàm sub vtraque specie, contra

Cur communio laicis præcepta sub vna specie.

contra aliquos hæreticos, qui dicebant sub specie panis solùm corpus exangue esse. Secunda vt esset conformitas per totam Ecclesiam: cùm enim ob incommoda multa, non possent omnes communicare sub vtraque specie, optimè Ecclesia præcepit, vt vbiq; fiat communio tantùm sub vna. Tùm quia vix possibile est in locis quibusdam, vbi est penuria vini, vt multis hominum millibus ad cõmunicandum sufficiat, alioquin commodiùs Christus Dominus fecisset, si calicem in aqua, quæ vbique habetur, instituisset. Tùm quia multi natura abstemii sunt, qui si vini guttulam gustarent, statim ad vomitum commouerentur, vbi apertè tanta irreuerentia irrogaretur: deinde si isti arcerentur à calice, præceptum non implerent, vel certè dispensandum esset cum illis; at in lege Diuina quis dispensare potest? Ergo de iure Diuino non est communio sub vtraq; specie. Tùm quia, in quibusdam regnis, & prouinciis, vt in Iaponia, & Noruegia vinum non habetur, & aliundè importatum illicò acescit. Tùm quia in tanta multitudine fidelium, qui ad Eucharistiam accedunt, frequenter esset periculum magnæ irreuerentiæ, in hoc Sacramento, & effusionis calicis, Deinde multi habent mystaces densos, in quibus si aliquid remaneret Sanguinis, qualis esset reuerentia? Tùm quia multi sunt, qui sine nausea, & periculo vomitus, bibere ex eodem vase, ex quo alii bibunt, bibere non possunt.

Denique Quia totus Christus sumitur sub vna specie, sicut sub vtraque, neque minor fructus sumitur ex vna, quàm ex vtraque. Ergo &c.

Obiiciunt hæretici multa loca ex Sacris literis, ex quibus contendunt probare esse præceptum Domini, vt sub vtraque sumatur specie Eucharistia. Sed nullum locum possunt producere, vt vidimus *Quæsito* 8.

SS. Patres explicantur.

Obiiciunt 2. Multa ex SS. Patribus, maximè ex Gelasio Papa, qui ante mille annos damnauit communionem sub vna specie, vt constat *ex capite Comperimus de Consecrat. dist.* 2. Ergo vtraque species non potest sine sacrilegio intermitti. Respondeo Sanctos PP. nihil aliud probare, quàm aut olim fuisse etiam laicis v-

sum ca-

sum calicis permissum, quòd & nos concedimus : aut necessariò ab omnibus sumendum Sanguinem Domini, quem fatemur ab omnibus sub specie panis, necessariò sumi; quare non faciunt vim in modo sumendi, sed in ipsa sumptione, Sanguis itaque sumitur sub vna specie, quia vbi est viuum corpus, ibi est Sanguis. Ad Gelasium Dico, quòd loco citato reprehendat Manichæos, qui semper ad defendendum suum errorem, abstinebant à calice: docebant enim illi Christum phantastico corpore indutum fuisse, quod Sanguine careret, & sic communio eorum Sacrilega fuit, & superstitiosa. Gelasius exponitur

Obiiciunt 3. Rationes. 1. hoc Sacramentum sub duplici specie fuit institutum. Ergo ita sumendum est. Secunda Calix ipse cũ sit verum Sacramentum, etiam verè confert gratiam. Ergo iniustè hoc laici priuantur. 3. Iudæi 1. *Corinth.* 10. non solùm idem manna manducauerunt, sed etiam de eadem petra, quæ erant figura huius Sacramenti. Ergo omnes debent sub vtraque specie sumere. 4. Eucharistia est perfectum conuiuium. Atqui tale non est, vbi deest potus. Ergo. Rationes hæreticorum.

Respondeo Ad primum, Instituit, magis vt Sacrificium, non vt Sacramentum.

Ad Secundum, Dico, vtramque speciem per se, non plus conferre gratiæ, quàm vnam. Solutio rationum hæreticorum,

Ad Tertium. Respondeo Israelitas indiguisse, & manna, & aqua, quia neutrum erat cibus, & potus, secùs est de nostro Sacramento, nam sub vtraque separatim cibus, & potus. Addo Israelitas, non tam citò, nec tam diu, bibisse ex illa petra, quàmdiu comederunt manna : & sic pro nobis hoc facit.

Ad Quartum. Negatur Minor : quia in spiritualibus non habent locum corporeæ qualitates, vbi est idem manducare, & bibere, esurire & sitire *Matth.* 5. licet ergo perfectius sit conuiuium quoad significationem sub vtraque specie, tamen quoad rem contentam, eiusque effectum, perfectum est conuiuium sub vna specie.

ARTICVLVS XI.

De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ?

Euchari-stia est lignum vitæ.

Multi Doctores comparant SS. Eucharistiam ligno vitæ, quod teste S. Ioanne *Apocal.* 22. duodecim fructus afferebat singulis mẽsibus, sic duodecim fructus, & vtilitates Sacramenti Eucharistiæ enumerantur. Primus, pellere dæmonem, & omnes præstigias eius, iuxta illud. *Parasti in conspectu meo mensam, aduersum omnes qui tribulant me. Psal.* 22. Secundus fructus, vnio animarum cum Christo. *Qui manducat meam carnem &c. in me manet, & ego in illo.* Tertius fructus, vnio mutua fidelium inter se. 4. fructus, vitam multiplicem perficit naturæ, gratiæ, & operationis, excitando liberum arbitrium. 5. fructus, gratiam adauget, de quo *Quæsito* 2. 6. fructus Animæ vires roborat & confortat, est enim *panis* ille, qui *cor hominis confirmat.* 7. fructus, illuminat mentem. Est enim *lux mundi, & lumen ad reuelationem gentium.* 8. fructus, liberat à peccatis, & omnibus infirmitatibus spiritualibus. 9. fructus, pellit morbos corporales; de quo *Quæsito* 3. 10. fructus, præseruat à periculis, est enim in hoc Sacramento ille qui promisit, *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* 11. fructus, releuat animas in purgatorio existentes. 12. fructus, confert animabus & corporibus immortalitatem. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Fructus varii Eucharistiæ.

QVÆRES PRIMO.

An Sacramentum Eucharistiæ sit signum rememoratiuum.

Signum quid.

Nota Cùm enim hoc Sacramentum sit signum, sicut & quodlibet aliud: *signum autem est, quod præter sui cognitionem, inducit nos in cognitionem alterius.* Signum verò aliud est, rememoratiuum, aliud demonstratiuum, aliud prognosticon; ita & hoc Sacramentum iuxta illud, *ô Sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* & ita Eucharistia denunciatur signum esse rememoratiuũ, demonstratiuum & prognosticon.

Signum triplex.

Dico

Dico itaque 1. Christus Dominus dedit Ecclesiæ suæ sanctissimum hoc Sacramentum in pignus, ac memoriale passionis suæ. Patet ex 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis &c. mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Ergo est memoriale perpetuum sacratissimæ mortis, & reconciliationis, quâ nos Patri placauit. Vnde rectè S. Thomas inquit, *Quod in cæna Christus gessit, faciendum hoc expressit, in sui memoriam.* Nam etsi signa & miracula testentur illũ esse Saluatorem, & Redemptorem nostrum, tamen per illa non redemit nos, sed per ea quæ mundo stulta, & infirma videbantur, hoc est per crucem, & mortem, quam nostri causa est perpessus. Confirmatur Quia quoties viri Sancti Sacratissimam Eucharistiam aspiciebant, & adorabant, toties in memoriam passionem eius reuocabant. Mirabilis liber legitur Apoc. 10. S. Ioan. datus, *qui fecit amaricari Ventrem eius; & in ore fuit dulcis tanquam mel.* Quid liber iste comestus, os manducantis indulcorans instar mellis? at ventrem instar absynthii amaricans? quid hoc? an idem quod in se dulce, in seipso etiam amarum? Diuerso respectu in hoc mysterio id contingit, assidua namque Passionis Dominicæ meditatio, palatum animæ, mirâ dulcedine cælestis gratiæ, perfundit; cor autem contritione, & amarissimis compunctionis lachrymis, ob præteritæ vitæ crimina, sic afficit, sic conterit, sic intimo mentis dolore conuulnerat, vt quodammodo colliquescat.

Eucharistia est signum rememoratiuum passionis.

Dico 2. Eucharistia est signum rememoratiuum amoris Christi Domini erga genus humanum, iuxta illud Ioan cap. 13. *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* quem amorem, B. Petrus de Alcantara *in suo Aureo libello de Meditat. c.* 4. vocat ardentissimum, & effusissimum, quem nulla lingua exprimere potest.

Est signum amoris.

QVÆRES SECVNDO.

Quomodo Eucharistia sit signum gratiæ demonstratiuum?

Nota 1. Gratia alia est habitualis, quæ est charitas, seu gratia sanctificans, quæ in nobis habitualiter, & permanenter inhæret. Alia actualis, quæ est auxilium aliquod actuale, quo vel ad habitualem disponimur, vel tentationibus resistimus, vel in bono perseueramus, vel aliud quidpiam boni operamur.

Gratia habitualis, & actualis.

Nota

Nota 2. Effectus huius Sacramenti spectatur, vel ex opere operato, id est ex vi, & efficacia Sacramenti, vel ex opere operantis, id est, ex dispositione, merito, & deuotione suscipientis.

Eucharistia confert augmentum gratiæ habitualis.

Dico 1. Sacramentum istud confert augmentum gratiæ habitualis. Probatur Ioan. 6. dicitur. *Qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinē, in me manet, & ego in eo.* Sed hæc habitatio Christi Domini in nobis, fit per gratiam & charitatem.

Ratio est, quia Eucharistia, est Sacramentum vnionis cum Christo Domino, ita vt vnio illa sit principalis, & primarius effectus eius. Sed hæc vnio non potest fieri, nisi mediante charitate. Ergo per hoc Sacramentum augetur gratia, & charitas in nobis, per susceptionem huius Sacramenti, neq; tamen peruentura est pro hoc statu ad summum gradum, quia habet latitudinem tantam, quanta percurri non potest, pro hoc statu viæ.

Confert gratiam actualem.

Dico 2. Sacramentum Eucharistiæ confert gratiam actualem, tùm primam, tùm secundam, id est gratiam præuenientem, concomitantem, adiuuantem, & subsequentem, ita videtur esse determinatum à Concil. Tridentino *Sess.* 13. *c.* 2. Vbi solùm facit mentionem auxiliorum actualium, non autem gratiæ habitualis; datum enim est hoc Sacramentum in robur, contra tentationes, in remedium, ne homo succumbat voluptatibus, & in medicinā contra venialia. Dixi in Conclusione (tùm primam, tùm secundam) quia hoc est discrimen inter gratiam habitualem, & actualem, quia hoc Sacramentum non confert gratiam habitualem primam, cùm sit Sacramentum viuorum, non mortuorum, & consequenter non operatur in homine peccatore: primam autem gratiam actualem conferre potest, V. G. primū aliquod robur ad resistendum tentationibus, vel donum perseuerantiæ, vel augmentum huiusmodi auxiliorum actualium.

PETES 1. *Vtrum hoc Sacramentum remittat peccata venialia, mortalia, & pœnas temporales?*

Remittit venialia.

Dico 1. Sacramentum Eucharistiæ, remittit venialia. Ita Trident. *Sess.* 13. *c.* 2. Probat. S. Bonauentura authoritate Innocentii dicentis. Eucharistia liberat à malo, conseruat in bono, delet ve-

ſet venialia, & cauet mortalia. Ratio eſt, quia corpus Chriſti Domini eſt ſicut carbo ignitus. Sed carbonis igniti eſt pellere frigus, & intendere calorem. Ergo hoc Sacramentum reprimit motus frigidos culpæ, & intendit motus viuos gratiæ. Ergo delet venialia: & hoc ex opere operato, ſeu ſe ſolo, & ex propria ratione, ſecluſo omni alio, per quod remittuntur venialia.

Dico 2. Hoc Sacramentum non remittit vnquam mortalia ex propria ratione, & inſtitutione. Ita Trident. *loco citato, & Canone 5.* damnat eos, qui dicunt præcipuum effectum Euchariſtiæ eſſe remiſsionem peccatorum. Fundatur in illo 1. ad Corinth. 11. *probet autem ſeipſum homo.* Vnde Clemens Romanus *lib. 7. Apoſtolicarum conſtitutionum c. 72. inquit. Si quis Sanctus eſt accedat, ſi quis non eſt, curet vt fiat per pœnitentiam.* Probatur ex fine huius Sacramenti, quod eſt inſtitutum ad augendam, & fouendam illam vitam ratione ſtrictioris vnionis, quam perficit inter nos, & Chriſtum Dominum fontem vitæ. Ergo non eſt inſtitutum ad remittenda mortalia, ſed ad communicandam primam gratiam. Dixi (ex propria ratione) quia remittit mortalia per accidens, & in quibusdam caſibus. Ita D, Subtilis *in 4. d. 9. q. vnica.* Si non ſit negligentia craſſa, ſed preceſsit examen, & nullum occurrit peccatum; de quo communicans, non fuerit, vel ſit contritus, & confeſſus priùs, nō peccat communicando, licet fortè aliquid lateat, vel traditum fuerit obliuioni; Patet, quia Euchariſtia non eſſet Sacramentum, quia certitudo de exiſtentia in charitate, non poteſt ineſſe viatori. — Non remittit mortalia per ſe. — Nota.

Dico 3. Non remittit pœnas peccatorum ex opere operato, ſeu ex vi Sacramenti, ſed quandoque ex opere operantis, quando in ſuſcipiente augetur dolor de peccatis. — Pœnas quomodo remittit.

Vnde colligunt Theologi Euchariſtiam, quà Sacramentum eſt, prodeſſe tantù in ſuſcipiétibus, aliis autem, (vt ſi quis communicet pro alio) non prodeſt vt Sacramentum, ſed vt eſt actus religionis, poteſt eſſe ſatisfactorius, & meritorius.

PETES 2. *Vtrum Sacramentum Euchariſtiæ, habeat effectus alios circa animam ?*

 Dico

Auget virtutes.

Dico augentur etiam reliquæ virtutes per hoc Sacramentum. Ita Sanctus Bonauentura *in 4. d. 12. 2. p. a. 1. q. 3.* Patet ex Innocentio *de officio Missæ c. vlt. dicente, Per huius Sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant.* Probatur ratione quia charitas, est forma aliarũ virtutum. Ergo auctá charitate, non possunt reliquæ virtutes non augeri, & sic fides redditur firmior, spes securior, & hoc ex opere operato.

PETES 3. *Quo tempore augetur gratia in suscipiente Eucharistiam?*

Quando auget gratiam.

Dico 1. Quamdiù durant species in stomacho, potest communicans maiorem gratiam recipere, non solùm in instanti manducationis, si feruentiores actus amoris eliciat: est enim valdè probabile, ex maiori deuotione operantis, sequi maiorem effectum Sacramenti, seu operis operati, quamdiu durat. Ita Gabriel *in Canone Missæ.* Confirmatur, Quia effectus huius Sacramenti promittitur ex eo, quia Christus Dominus manet in suscipiente. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ioan. 6.* Ergo probabile est, quòd quamdiu durant species in stomacho, tamdiu potest communicans ex maiori deuotione, maiorem effectum recipere.

Post species consumptas non causat gratiam.

Dico 2. Communis est ferè Theologorum sententia, quòd nullus recipiat effectum huius Sacramenti, consumptis speciebus. Vnde qui permanentibus speciebus, propter peccatum, vel fictionem, nullum recepit effectum, post consumptas species, non recipiet illum.

QVÆRES TERTIO.

An Eucharistia habeat aliquos effectus circa corpora humana?

Sanctificat corpora.

Respondeo affirmatiuè. Primò Sanctificat corpora nostra suo contactu, si enim vestes, crux, & cætera passionis instrumenta, suo contactu nos sanctificant, multò magis id præstare poterit corpus Domini Sanctissimum, cuius virtute illa sanctificata sunt. Vnde S. Chrysost. *homil. 30. in 2. ad Corinth.* inquit. *Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum, accipiens corpus Dominicum.* Secundò mi-

dò minuit ardorem concupiscentiæ, quod variis modis præ- stat. Primò applicando virtutem Diuinam nostris corporibus, quæ vel per se immediatè, vel per causas secundas temperat sanguinem, & humores. Secundò Per gratias quasdam præuenientes, quibus aliò auocetur imaginatio. Tertiò Ex abundantia virtutum, delectamenti, & suauitatis, redundante in corpus, teste Sancto Chrysost. *homil. 83. in Matth. non sufficit ipsi* inquit *hominem fieri, flagellis cædi, & crucifigi, sed nos secum in vnam vt ita dicam massam reducit, neque id fide solùm, sed re ipsa nos corpus suum efficit* : quod intelligo moraliter, non physicè, & naturaliter. Tertiò est causa resurrectionis corporum nostrorum, iuxta illud *Ioan. 6. Qui manducat meam carnem &c.* Quare appellatur à SS. Patribus panis vitæ, & germen resurrectionis, & im mortalitatis. Ratio est huius effectus, quia corporibus nostris debetur resurrectio hoc titulo, si enim per sacram communionem facti sumus corpus, & membra Christi, conuenit, vt sicut ipse resurrexit; nos quoque resurgamus, vt sit aliqua proportio inter caput, & membra. Longè excellentior est virtus Eucharistiæ, quàm arboris vitæ, arbor enim illa vitam temporariam prolongabat, non tamen corpora corruptibilia, à corruptione præseruare in æternum poterat, vt docet D. Subtil. in 2. d.19. At Eucharistia animæ pariter & corpori, veram, & immortalem vitam communicabat. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ioan. 6.* Præterea morbos corporales varios pellit. Ita S. Cyril. l. 4. in Ioan. c. 17. dicens. *Mihi crede non mortem solùm, sed & morbos omnes depellit. Si fimbria vestimenti.* inquit S. Chrys. hom. 51. in Matth. *quantò magis ipsa Christi caro Diuinitati vnita id poterit?* Deniq; Eucharistia multos Sanctos sine corporali cibo ad longum tempus sustentabat.

Minuit concupiscentiam.

Est causa resurrectionis.

Signum prognosticon.

Morbos depellit.

Aduerte hos effectus Eucharistia operatur moraliter vitaliter, non sicut alia Sacramenta, quæ operantur vt causæ morales mortuæ, corpus autem Christi Domini vitaliter : Sicut dum viuebat in terris humanitas eius moraliter tantùm concurrebat ad miraculorum patrationem, vitaliter tamen & per actiones humanas productas, & elicitas à principio viuente, ita & hic,



ORATIO.

Domine IESV CHRISTE, qui vt perpetuam passionis tuæ memoriam in animis nostris vigere, ac viuere, voluisti, hoc Sacramentum Augustissimum Eucharistiæ instituisti; in qua institutione elucet mirificè tua omnipotentia, accidentia à substantia panis & vini separando, illaq; in sua ordinaria, solitaq; figura conseruando, substantiam verò in Corpus, & Sanguinem commutando. Deinde ingentem, ac effusissimum amorem, in hoc Sacramento ostendendo, & euidentissimum argumentum bonitatis suæ erga genus humanum demonstrando. Da nobis Dulcis IESV, vt quoties te in hoc Sacramento verè esse præsentem, firmâ fide confitemur, veneramur, & honoramus, toties augmentum gratiæ in terris, & gloriæ in cælis, consequi mereamur.

Amen.



QVÆSTIO VIII.
De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

In hac Quæstione inquirentur hæc, quæ sequuntur.

ARTICVLVS I.
Quid sit Sacrificium in communi?

Nota 1. Hæretici dicunt omne opus bonum, quod Deo reddimus, vt eum honore afficiamus, habere veram rationem Sacrificii, iuxta illud Psalmi 4. *Sacrificate Sacrificium iustitiæ.* & Psalmi 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Et ad Hebr. vltimo. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Sed hac in re abutuntur nomine Sacrificii contra vsum omnium gentium, & contra S. Scripturam; nam tam hæc, quàm omnes nationes, per Sacrificium, certum aliquem actum intelligunt, distinctum ab aliis bonis operibus; Quis enim legendo apud aliquem authorem, Quid significat sacrificium.

authorem, siue sacrum, siue profanum, aliquem sacrificâsse, intelligat eum dedisse, Eleemosynam, aut humiliter Deum orâsse, & non potiùs eum Deo vero, vel falso, aliquid immolâsse? Hinc S. Scriptura sæpè sacrificium distinguit ab aliis piis operibus Psalmo 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem vtiq; holocaustis non delectaberis.* Et 3. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victimæ..* Et Oseæ 6. *Misericordiam volo & non sacrificiũ.* Vnde loca citata ab Hæreticis, in quibus pia opera dicuntur sacrificium, metaphoricè sunt intelligenda, quia nimirum habent eundem effectum cum sacrificio, non enim minùs nobis Deum conciliant, quàm sacrificium, imò sæpè multò magis, præsertim quando sine interna pietate fit: & ob hanc causam à quibusdam Doctoribus appellantur verum sacrificium.

Opera pia quomodo sacrificia.

Nota 2. Etsi professio fidei nostræ, ac subiectionis erga Deum, possit declarari solis verbis, conueniens tamen erat, vt eam rebus ipsis ac ritibus testemur, efficaciùs enim his nostrum affectũ testamur, quàm nudis verbis.

Cur sacrificium institutum.

Nota 3. Ad legitimum Sacrificium, quinq; requiruntur. Primò Res aliqua permanens, quæ Deo tanquam tributum quoddam offertur. 2. Ritus, seu modus offerendi, nimirum per realem hostiæ immutationem, certo ritu factam, qui diuersus in diuersis sacrificiis fuit. Tertiò. Minister, qui tam in veteri, quàm in noua lege necessariò fuit Sacerdos. Hinc Osias Rex Iudæ, eò quòd tentaret adolere incensum, cùm non esset Sacerdos, lepra percussus est. 2. *Paralip.* 26.

Ad sacrificium quinque requiruntur.

Dices In lege naturæ omnes videntur sacrificâsse, vt Cain, Abel, Abraham, Iacob, qui tamen non erant Sacerdotes, Item colligitur *ex 2. Paralip. c.* 30. quòd omnis populus immolauerit phase Ergo. Respondeo Ad primum, Quòd in lege naturæ, quilibet paterfamilias inter suos erat princeps, & Sacerdos, vt constat, *ex capite* 1. *Iob.* vbi dicitur sacrificâsse pro filiis.

Sacerdos Minister.

Ad Secundum Dico, in illo casu, fuisse permissum à Deo, vt omnes Patresfamilias immolarent agnum, quia tot millia agnorum, vno vespere non possent Sacerdotes immolare. Quartò requiritur locus seu altare, quod à Latinis dicitur ab ara. Quintò requiritur finis.

finis, nimirum Sacrificium soli Deo offerendum. Primum requisitum, secundum, tertium, & quintum, complexus est Apostolus ad Hebr. 5. illis verbis. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Vbi indicat Pontificem, seu Sacerdotem assumptum ex hominibus, non autem omnes homines esse Sacerdotes. Deinde vt offerat dona, & sacrificia, vbi requirit hostiam, quæ offeratur. Tandem cùm distinguat inter oblationem doni, & sacrificii, ostédit ad sacrificium particularem oblationem, siue im̃olationem requiri. Deniq; vt fiat Soli Deo, quæ quatuor requisita videntur essentialia omni sacrificio, quartum verò nimirum altare non potest omitti absque peccato mortali, de quo infra dicetur *articulo* 2. Locus de Sacrificio

Dico 1. Sacrificium in communi constituitur in signo sacro; Probatur Quia sacrificium significat quandam actionem externam & sacram, eò quòd cultum Diuinum externum continet, quo signo exprimit homo rationalem mentem suam. Confirmatur ex S. Augustino qui 5. *de Ciuitate c.* 5. dicit. *Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificii signum esse.* In quo essentia Sacrificii sita.

Dico 2. Sacrificium est oblatio externa, legitima authoritate instituta, quâ res aliqua sensibilis immutatur, per legitimum ministrum, legitimo loco, & ritu; Deo vero facta, in protestationem summi ipsius in res omnes Dominii. Explicatur. Dicitur, *oblatio externa*, quia non consistit verum sacrificium in actu solo interno, vt dictum est, Notabili 1. Dicitur *legitima authoritate instituta*, quia nemo potest priuatâ authoritate sacrificiũ instituere, sed neque communitas, sed solùm is, qui in Sacris est caput communitatis, & maximè solus DEVS, cuius proprium est nobis præscribere, quibus ritibus velit coli. Dicitur *quâ res aliqua sensibilis*, sacrificium enim debet esse oblatio rei permanentis sensibilis, vnde nec oratio, nec cordis effusio, est propriè Sacrificium. Dicitur *immutatur*, quia sacrificium propriè intrinsecè, & essentialiter consistit in illa actione, quâ hostia per realem sui immutationem Deo offertur, siue id fiat per hostiæ productionem; siue per eius interemptionem. Quare hanc immutationem vocant Theologi ritum, seu modum offerendi. Ex Definitio Sacrificii.

rendi. Ex quo ſequitur omne ſacrificium, eſſe oblationem, non tamen omnem oblationem eſſe ſacrificium, multa enim Deo offerũtur, quæ non ſacrificantur, ſicut in lege veteri primogeniti, & in lege noua decimæ offeruntur, non tamen immolantur. Dicitur *per legitimum miniſtrum*. hæc conditio conſtat ex notabili 3. de loco infra patebit. Dicitur *Deo vero facta*, quia ſi alicui alteri fiat, magis eſt ſacrilegium, quàm ſacrificiũ. Dicitur *in proteſtationem ſummi &c.* quia natura nos docuit, & communis omnium nationum lex ſanciuit, vt aliquo externo ſigno, Summi rerum omnium Principis, ſupremum in res omnes dominium; palam teſtaremur, & communi omnium nomine exhiberemus, quod ab omnibus, vt tale agnoſci poſsit, eſſe diſtinctiuum veræ Religionis à falſa.

QVÆRES PRIMO.

Quotuplex ſit Sacrificium?

Iuxta quatuor genera Cauſarum, ſcilicet Efficientem, materialem, formalem, & finalem, ad quatuor capita reuocari poſſunt ſacrificia.

Quotuplex Sacrificium.

Dico 1. A cauſa Efficiente diuiditur ſacrificium, in ſacrificium legis naturæ, Moſaicæ, & nouæ: nam ſicut hæ leges diuerſæ ſunt, ita diuerſa ſacrificiorum genera, illas comitantur, quæ differunt inter ſe. Primò authore, quia legis naturæ, non immediatè à Deo inſtituta ſunt, ſed determinatio rerum hominibus commiſsa. Sacrificia legis Moſaicæ, immediatè à Deo inſtituta ſunt, nouæ verò legis ſolus Chriſtus Dominus Deus, & homo, author eſt. 2. differunt in effectu, quia ſacrificia legis naturæ, & Moſaicæ, ex opere operato, non conferebant vllum donum internum ac ſpirituale; at verò nouæ legis confert ſine opere operantis. 3. differunt in ſignificatione, & ritu externo: de ritu conſtat ex Leuitico; de ſignificatione probatur: quia illa ſacrificia antiquæ legis, ſignificabant paſsionem Chriſti Domini vt futuram, nouæ verò legis, vt Euchariſtia, non tantùm eſt figura rei futuræ, ſed etiam veluti expreſſa imago paſsionis Chriſti Domini iam exhibitæ, neq; eſt vmbra, ſed ipſa veritas.

Differentia inter Sacrificia.

Dico 2.

Dico 2. Ex parte materiæ diuisio Sacrificiorum, seu rerum oblatarum, ad tria præcipuè membra reuocatur. Primò enim sole- bant offerri animalia, & in Dei honorem mactari, vt vituli, colum- bæ, agni, & hæc interdum appellabantur hostia, interdum victimæ: hostia secundùm Isidorum, quia in ostio, etiam apud gentiles offe- rebatur: victimæ, quia pro victoria impetranda, vel in gratiarum actionem, pro ea imolabantur. 2. offerebatur Sacrificium ex fru- ctibus terræ, vt ex tritico &c. hæ propriæ dicebantur immolatio- nes à mola. 3. Offerebantur liquores aliqui, vt vinum &c. & hæc vocabantur libamenta, licet hæ voces confundantur; reperiuntur autem hæc omnia genera sacrificiorum in Leuitico, Genesi, & E- xodo. Porrò in lege noua vnicum Sacrificium, omnia hæc eminen- ter continet.

Varietas Sacrificiorum. Hostia. Victimæ. Immolationes. Libamina

Dico 3. Diuisio Sacrificiorum à forma, seu ex varia actio- ne, per quam res oblata sacrari solita erat, in veteri testamento, quadruplex erat. Primò cùm res oblata igne consumebatur, & tale vocabatur holocaustum, quod ex hebraismo, idem est, quod ascé- dens, quia nimirum hoc sacrificium igne consumptum, & in fu- mum resolutum ascendebat, Isidorus autem dicit, holocaustum esse nomen Græcum, idemq; significare, quod totum accensum. 2. Sacrificium post occisionem animalis, partim igne consumeba- tur, partim in vsum Sacerdotum reseruabatur: illudq; in atrio, vel in templo comedebant, vt erat hostia oblata pro peccato. 3. Sacri- ficium erat, hostia pacifica dictum, quod partim igne, partim vsu Sacerdotum, partim ipsorum offerentium etiam vsu consumeba- tur, vt constat ex Leuitico. Rationem assignat S. Thomas 1. 2. q. 102. a. 8. Vt per hoc significaretur, quòd salus hominis procedat à Deo, dirigentibus ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus qui saluantur. 4. Sacrificium aliud erat cruentum in quo Sangui- nis effusio fiebat, aliud incruentum in quo nulla Sanguinis effusio erat.

Holocaustum. Oblata.

Dico 4. Ex parte finis Sacrificium quadripartitur. Primò, Ad venerandum solum Deum, eiusq; excellentiam, & supremam dominationem protestandam, & huiusmodi erat holocaustum, quod

Propitia-torium. quod propterea totum cremebatur, vt significaretur id totũ quod creatura est Dei esse. 2. In expiationem pro peccato, & hæc erant diuersa sacrificia, ad diluenda præsertim grauiora peccata. 3. Ad gratias agendas pro beneficiis acceptis: & vocabatur hostia pacifica, & sacrificium laudis. 4. Erat sacrificium impetratorium ad impetrandum aliquod beneficium à Deo. Hæc omnia patent ex libris Moysis.

In lege noua vnicum Sacrificium omnes has rationes sacrificiorum perfectissimè continet. Est enim holocaustum in recognitionem Diuinæ excellentiæ, quod igni Diuini amoris erat combustum, iuxta illud Ioan. 3, *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Est in gratiarum actionem Passionis Christi Domini, quæ est fons beneficiorũ. Est in expiationem omnium peccatorum, meritoq; propitiatorium vocandum: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Est impetratorium, tanta enim est efficacia Passionis Domini, vt illius virtute omnia quæcunq; dantur, omnia dantur hominibus, Vnde Hosius Polonus *c.* 41. *Confession. Catholicæ fidei*, appellat Sacrificium Missæ *canalem beneficiorum*,

PETES *An Sacrificium sit de lege naturæ, vel solùm de iure positiuo Diuino?*

Sacrificium quo iure institutum. Respondeo Non est vllum dubium, quòd sit de iure Diuino positiuo, vt ex multis locis constat Sacræ scripturæ; multum quoque est probabile etiam iure naturali præceptum esse cultum Dei externum, quia cùm homo constet ex anima, & corpore, non solùm animo, sed etiam corpore tenetur Deum colere. Vnde fusiùs Suarez. *tomo in 3. partem de Sacrificio.*

Quòd autem de iure Diuino sit Sacrificium, patet ex Concilio Tridentino *Sess.* 23. *c.* 1. Vbi indicat sacrificium, & Sacerdotium ex Diuina institutione extitisse.

ARTICVLVS II.

Vtrum Missæ Sacrificium sit verum Sacrificium.

Nota 1. Hæreticos contra hoc Diuinum Sacrificium multos errores effutiuisse. Primò rident hoc nomen Missa, quòd sit barbarum,

barbarum petuntq; sibi illud in Sacra Scriptura ostendi. 2. Dicunt nos totam rationem Sacrificii constituere in quibusdam externis cæremoniis, quas vt odiosas reddant, ridiculè describunt, dicendo nos in eo constituere ratione sacrificii, quòd Sacerdos modo clamosus sit, modò submissà voce aliquid submurmuret, modò erectus stet, modò incuruus, modò expansis brachiis, modò contractis. Sed in hoc Hæretici ostendunt se peruersæ conscientiæ, vt ostendam Conclusione tertia.

Errores hæreticorum contra Sacrificium.

Nota 2. Nomine Missæ intelligitur actio Sacra, quâ conficitur corpus Christi Domini, quod Deo in Missa offertur, & a Sacerdote sumitur per communionem. Hoc nomen Missa antiquissimum est, teste S. Aug. Serm. 91. de tempore. *In lectione* ait *quæ nobis ad Missas legenda est*: quæ vox ab Hebræis dicitur Misach, id est oblatio spontanea, teste S. Thoma *3. p. q. 73. art.* 10. Syluestro, Angelo *Verbo Missa*. à Latinis dicitur Missa, & idem significat quod missio, quia per consecrationem Christus Dominus mittitur ad nos à Patre & per oblationem, ac sumptionem à nobis remittitur ad Patrem. A Græcis dicitur Missa λειτουργία, id est ministerium sacrificii, quo recolitur Sacrum, per antonomasiam. Quare siue Missa sit vox hebræa, siue barbara, siue græca, siue Latina, hoc nihil obest, non enim in articulis fidei curamus latinitatem, sed veritatem; nec refert quòd nomen Missa in S. Scriptura non habeatur, cum rem ipsam habeamus, aliàs ὁμοούσιον damnandum esset, quod nullus nisi impius Arrianus faciet.

Quid sit Missa.

Missa hebraice.

Dico 1. Fide tenendum est, Christum Dominum, dum in vltima cæna panem in corpus & Sanguinem suum consecrando conuertit, verum, & propriè, dictum sacrificium obtulisse. Probatur, Cùm S. Scriptura testetur Psalmo 109. *& ad Hebr.* 7. Christū Dominum esse Sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisedech, debet cum eo in ratione sacrificandi aliquomodo conuenire. Sed nisi dicamus eum in vltima cæna conficiendo hoc Sacramentum sacrificâsse, nulla ratione poterimus ostendere eum cum Melchisedech in ratione sacrificandi conuenire, & si hoc dicamus,

Christus Dominus in cæna sacrificauit.

id facilè ostendemus. Ergo hoc dicendum. Maior probatur, quia cùm sacrificium, & Sacerdotium, dicant necessarium ordinem, ac analogiam inter se, ita vt Sacerdos à sacrificando dicatur. Prior pars Minoris patet, quia nullum est aliud sacrificium, quod habeat vllam conuenientiam cum illo sacrificio, quod scimus Melchisedech obtulisse. 2. Pars probatur, quia sacrificium Melchisedech consistit in oblatione panis, & vini, atq; ita per ipsum optimè repræsentatur sacrificium Eucharisticum; in quo corpus & Sanguis Christi sub specie panis & vini offeruntur.

Melchisedech sacrificauit.

Respondent Hæretici Melchisedech Genes: 14. tantùm dicitur protulisse panem & vinum, non autē sacrificâsse. Contra Quia illo *capite Gen.* 14. cùm dicitur Melchisedech protulisse panem, & vinum, statim subiungitur causa. Erat enim Sacerdos altissimi, quibus verbis apertè significatur, eum hæc protulisse ad sacrificandum.

Probatur 2. Conclusio, Immolatio, & comestio agni Paschalis, fuit verus typus, non solùm sacrificii crucis, sed etiam Eucharistici. Sed illius immolatio fuit verum sacrificium; teste Apostolo 1. ad Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, quo in loco alludens ad immolationem agni, indicat sacrificium Eucharisticum esse verum sacrificium.

Probatur 3. Christus Dominus in vltima cœna dicit, Lucæ 22. *Corpus suum dari, & Sanguinem fundi* : quæ verba significant apertè eum instar hostiæ ibi immolari. Ergo tunc verè fuit immolatus, in illa vltima cœna, & illa mediante mox futuram in cruce; quod apertè constat ex Græco textu apud S. Lucam *loco citato.* vbi dicitur *Quod pro vobis datur.*

Probatur 4. Actio quam tunc Christus Dominus exercuit, habuit omnia quæ ad rationem veri sacrificii necessaria sunt. Ergo fuit verum Sacrificium. Antecedens patet, quia fuit in ea vera externa oblatio, alicuius rei permanentis per realem immutationem; nam vt Theologi probant *in* 4. *dist.* 11. Christus Dominus panem, & vinum verè in suum corpus, & Sanguinem conuertit, atq; ita seipsum ibi præsentem sub Sacramento stitit, idque in honorē Dei, & testimonium Diuinitatis suæ : fuit etiam facta à legitimo Sacerdote, vt

dote, vt per se patet : & supra mensam, quæ altaris vicem subiit. Ergo verè sacrificauit.

Probatur 5. Quia hic fuit totius ab initio Ecclesiæ sensus, vt constat ex S. Cypriano lib. 2. Epistola 63. ad Cæcilium, vbi ait *Nam quis magis Sacerdos Dei Summi, quàm Dominus noster IESus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus, & Sanguinem.* Qui plura testimonia desiderat, legat Bellarminum *lib. 1. de Missa cap. 6. & 7.*

Obiiciunt Hæretici, Si in vltima cæna obtulisset suum corpus, & Sanguinem pro peccatis nostris, illa oblatio fuisset infiniti valoris, & sufficiens ad delenda peccata nostra omnia. Ergo tunc frustra fuisset sacrificium crucis, quia per illam oblationem fuissemus sufficienter redempti.

Respondeo Negando Consequentiam, quia cùm omnis actio Christi fuerit absolutè infiniti valoris, simili ratione, vna quæque fuit sufficiens pretium nostræ salutis, & redemptionis, si Deus voluisset nos redimi alio modo, sed quia ipse tali modo, iustas ob causas statuerat, hinc factum est, vt ex pacto inter Patrem, & Christum Dominum inito, nostra redemptio non potuerit perfici, nisi per sacrificium crucis. Nota responsionem.

Dico 2. In Missa offertur verum, & propriè dictum sacrificium. Ita Trident. *Sess. 22. c. 1. & Can. 1.* Est communis Catholicorum contra Hæreticos, vide Alphonsum à Castro, *Verbo Missa.* Bellarm. *lib. 1. de Missa.* In Missa offertur verum sacrificium.

Probatur 1. Ex veteri testamento, Malach. 1. *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis vsq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Hoc in loco loquitur propheta de Christianis, (non autem de gentibus, quia illi erant idololatræ :) atque eos verè sacrificare, quod non potest intelligi de alio Sacrificio, quàm de Sacrificio Missæ. Locus Malachiæ.

Respondent Hæretici. Hunc locum intelligi de Sacrificio impropriè dicto, quale sunt omnia opera pia. Contra 1. Propheta opponit

opponit ibi, hoc Sacrificium Sacrificiis Iudæorum, & ait, his repudiatis istud successurum. Sed illa erant sacrificia propriè dicta. Ergo & hoc, aliàs non fuisset commoda oppositio, Deinde Propheta loquitur de aliquo sacrificio, quod Iudæorum sacrificiis erat substituendum: nihil autem substituitur alteri, nisi quod de nouo altero abrogato instituitur. Atqui Spiritualia Sacrificia non fuerũt abrogata, tanquam Deo displicerent. Contra 2. Quia in hebræo nomen oblationis, verum Sacrificium significat. Contra 3. Quia hæc oblatio vocatur munda, ratione rei oblatæ, vt patet ex antithesi: nam Malachias vocat eorum sacrificia polluta, ratione rei oblatæ, quia cæcum, claudum, & debile offerebant. Ergo hanc oblationem vocat mundam, ratione rei oblatæ, quæ est oblatio rei per se Deo gratæ, & mundæ, quæ nullis offerentium peccatis potest inquinari: quod non competit sacrificiis spiritualibus, quæ pẽdent ab intentione, & munditia operantis, siue ea offerentis. Contra 4. Quia vnum sacrificium opponitur multis: sacrificia autem spiritualia sunt varia, Eucharisticum verò vnicum. Probatur 2. ex Capite 12. Daniel. vbi dicitur, tempore Antichristi, cessaturum iuge sacrificium. Ergo vsq; ad illud, erit in Ecclesia, non aliud quàm sacrificium Missæ; ita enim loquitur Propheta, *cùm ablatum fuerit iuge Sacrificium*, Sacrificium enim Missæ, est iuge Sacrificium, quia in Missa quotidiè per totum orbem in Ecclesia Christi offertur, sicut olim offerebatur iuge sacrificium agni, *Exodi* 29. Et in Græco textu habetur ἐνδελεχισμὸς, id est continuus Dei cultus: hoc Sacrificium auferet Antichristus, ita vt nullus publicè hoc facere audeat, priuatim verò & secretò erit in vsu.

Ex Daniele probatur.

Neq; valet instantia hæreticorum hìc esse sermonem de Sacrificio orationis, & interiori; quia tale non cessabit, sicut neq; fides, neque Ecclesia.

Hæretici prodromi Antichristi.

Ex his apparet Lutheranos, Caluinistas, & alios hæreticos, esse prodromos Antichristi, qui non tantùm Sacrificii Missæ vsum, & substantiam, ac veritatem abolere, euerterèq; moliuntur, sed etiam calumniis, & blasphemiis in hodiernum diem impudenter afficiunt.

Proba-

Probatur 3. Ex nouo testamento sic. Christus Dominus in vltima cæna obtulit verum, & propriè dictum sacrificium, vt vidimus prima Conclusione. Ergo Sacerdotes in Missa offerunt verum & idem sacrificium; quia Christus Dominus illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Iussit nos idem facere, quod fecit. Ergo sicut ipse verè sacrificauit, ita enim nos verè sacrificamus. Deinde Apostolus 1. *ad Corinth.* 10. *&* 15. agnoscit triplicem mensam, seu triplex altare. Vnum in quo gentiles sacrificabant idolis seu dæmonijs. Alterum in quo Iudæi offerebant Deo victimas ex animalibus. Tertium in quo Christiani offerunt corpus Sanguinem Christi Domini sub speciebus panis & vini. Sed quorsum? vt probet Corinthios, debere abstinere ab idolothytis, id est à carnibus, quæ idolis seu dæmonijs oblatæ sunt. Quod sic probat. Qui comedit de victimis quæ in altari idololatrico imolatæ sunt idolis, ille est particeps altaris, & sacrificii idololatrici, & consequenter est cultor idolorum. Sed vos cùm sitis Christiani, non debetis esse participes sacrificii idololatrici, neque cultores idolorum. *Fugite inquit ab idolorum cultura.* Ergo non debetis comedere de victimis, quæ immolatæ sunt idolis. Ergo qui vult esse particeps altaris Christi, debet comedere de altari Christi.

Ex nouo testamento.

Probatur 4. Omnes antiqui Patres, tam clarè loquuntur de Sacrificio Eucharistiæ, vt nemo de ipsorum sententia dubitare possit. Primò Quia vsurpant has voces. *Sacrificium, oblatio, hostia, victima, offerre, sacrificare, immolare.* Secundò quia requirunt altaria ad celebrandam Eucharistiam: altaria autem non eriguntur, nisi ratione sacrificii. Tertiò Ministros Eucharistiæ vocant Sacerdotes: Sacerdotum autem est proprium sacrificare. Vide testimonia SS. Patrum apud Bellarminum *loco citato. c.* 15.

Testimonia Patrum.

Deniq; Probatur ratione. Quia aliás Christiana Religio, nullum haberet sacrificium propriè. Sed hoc est absurdum, quia careret perfectissimo ritu colendi Deum, scilicet Sacrificio; & ex hoc esset imperfectior Iudaicá Religione.

Ratione.

Obiiciunt Hæretici 1. Sacrificium debet offerri Deo, non autem comedi ab hominibus. Sed Eucharistia comeditur ab hominibus.

Sacrificium comeditur.

nibus. Ergo non est Sacrificiū. R̄ndeo Negatur Maior quoad posteriorem partem: nam Agnus Paschalis erat verum sacrificium, & tamen comedebatur ab Hebræis. Similiter hostiæ pacificæ erant sacrificia, & tamen pars earum cedebat in vsum Sacerdotum, & offerentium.

Obiiciunt 2. Missa est memoriale sacrificium, & repræsentatiuum passionis Christi Domini. Ergo non est verum sacrificium: nam imago, & repræsentatio rei, non est ipsa res.

Sacrificium potest esse signum.

Respondeo Sicut Agnus Paschalis erat verum sacrificium, & tamen erat signum prognosticum, & repræsentatiuum passionis Christi Domini exhibendæ, ita Missa est verum sacrificium, vt probatum est, & est memoriale Passionis Christi Domini exhibitæ: quod declarat illud dictum Domini. *Hoc facite in meam commemorationem*: facere enim apud Latinos, & in literis Sacris significat sacrificare, vt apud Virgilium in Ecloga. *Cùm faciam vitulam, pro frugibus ipse venito.* id est, cum vitulam immolauero. Et Leuit 23. dicitur. *Facietis & hircum pro peccato*, id est immolabitis, ita in his verbis *Hoc facite*, indicat esse sacrificium Missam, in illis verò *in meam commemorationem*, significat Missam esse memoriale passionis Domini.

Obiiciunt 3. Id quod est Sacramentum, non potest esse simul sacrificium. Sed Eucharistia est Sacramentum. Ergo non est sacrificium, Maior patet, quia Sacramentum, & sacrificium opponuntur, nam in Sacramento accipimus aliquid à Deo, & in sacrificio damus aliquid Deo. At ratio dati, & ratio accepti, non possunt simul in vna, eademq́ue re consistere Ergo.

Sacramentum potest esse sacrificium.

Respondeo, Ipsi Caluinistæ admittunt Agnum paschalem fuisse Sacramentum, & Sacrificium, & multi Scholastici, vt S. Thomas & alii. Nec obstat, quòd in Sacramento accipimus aliquid à Deo, & in sacrificio offerimus aliquid Deo, quia hæc duo possunt simul consistere: & certè si non possent, & si id quod à Deo accipimus, non liceret offerre Deo, nullum foret sacrificium, iuxta illud. 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

Obiiciunt 4. Christus Dominus quando instituit Euchari-

stiam, non

stiam, non dixit *offerte*, sed *comedite*, *& bibite* : Ergo Eucharistia ex institutione Christi Domini, non est sacrificium, sed solùm Sacramentum.

Respondeo Licet non sit vsus vocabulo *offerte*, vsus tamen est alio æquipollente, cum dixit, *Hoc facite in meam &c.* id est, post hác celebrate Eucharistiam, quam nunc instituo pro gratiarum actione, in memoriam meæ mortis, quam pro vobis, & pro toto genere humano subiturus sum. Et sic Apostoli quotidiè hoc Sacrificium offerebant, vt constat de S. Andrea, & habetur in Breuiario Romano, qui Ægeæ Proconsuli respondit. *Ego omnipotenti Deo, qui vnus, & verus est, immolo quotidiè, non taurorum carnes, nec hircorum Sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari &c.*

Obiiciunt 5. Christus est Sacerdos in æternum *ad hebr. 7.* Ergo nullum habet successorem, aut vicarium in Sacerdotio. Nulli ergo nunc sunt Sacerdotes in terris, ac proinde nec sacrificia. Nā in veteri testamento ideò erant plures Sacerdotes, quorū vnus alteri succedebat, quia singuli erant mortales, Christus autem est imortalis, ideoq; non indiget successoribus & vicariis.

Respondeo Aliud est esse successorem alterius : aliud est esse Ministrum, & vicarium : nam Successor est eiusdem dignitatis, & potestatis cum eo cui succedit : non autem Minister, aut Vicarius cum eo, cuius Minister, aut Vicarius est. Rursum successor non nisi post mortem, aut depositionem alterius constituitur. At Minister seu Vicarius solet constitui, dum adhuc viuit is, cui subseruit. Vt patet in Rege, qui quamdiu viuit, & in officio manet, non habet successorem, habet tamen Ministros & vicarios, qui ipsi subseruiant. Idem est de Christo Domino : Non enim habet successorem in Sacerdotio, cum pari potestate, quia semper viuit, vt rectè argumentatur Apostolus : habet tamen Ministros, seu Vicarios, qui ipsi subseruiunt in officio Sacerdotali, & hoc modo fungitur Sacerdotio in æternum.

Non habet successorem cum pari potestate.

Obiiciunt 6. Sacrificium crucis habet vim infinitam. Ergo non indigemus alio sacrificio. Ergo multiplicare tot sacrificia Missæ nihil aliud est, quā negare virtutē, & sufficientiā sacrificii crucis.

Respondeo Non est opus vt alius Christus moriatur pro nobis, aut vt idem Christus sæpiùs moriatur: nam semel moriendo sufficientissimè satisfecit Deo Patri pro nobis *ad Hebr*: 9. & 10. Duo tamen necessaria sunt; vnum vt simus memores illius tanti beneficii. Alterum, vt fructus illius beneficij, nobis applicetur. Vtrumq; fit per sacrificium Missæ & alia media à Deo ordinata. Atque hinc sequitur, quòd eadem sit hostia oblata in cruce, & in Missa, diuersa tamen ratione offerendi. quia in cruce cruentè & semel, in Missa incruentè, & per singulos dies.

Nota.

Dico 3. Hæretici ridentes cæremonias Missæ, ipsi magis ridendi. Patet quia hac ratione possent ridere, & reprobare Sacrificium crucis, & dicere hoc in eo constitisse, quòd Christus Dominus in cruce pendens modò taceret, modò astantes compellaret, modò alta voce, modò submissa oraret, atque eum vocare modò clamosum, modò submurmurantem. Item quòd modò caput erexerit, modò inclinârit, atq; ita cum Luciano ex Christo Sacerdote, histrionem faciant.

Hæretici ridendi.

QVÆRES.

Quid sit quod propriè in Sacrificio Eucharistico offertur?

Dico 1. Id quod in hoc Sacrificio, tanquam vera hostia, primò & per se offertur, est corpus, & sanguis Christi Domini, quatenùs sub speciebus panis, & vini, vi consecrationis ponuntur: ac consequenter totus Christus prout existit sub iisdem speciebus, vt primaria hostia verè offertur. Ita Trident. *Sess*. 22. *c*. 1. vbi dicit. *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit*. Et infra *Nouum instituit pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*. Vbi id quod hic offertur, & immolatur, modò dicit esse corpus & Sanguinem Christi, modò ipsum Christum sub speciebus panis & vini, Sed id quod in Sacrificio offertur, & immolatur est ipsa hostia. Ergo &c. Hinc.

Hostia vera in hoc sacrificio.

Collige Licet vi verborum præcisè, sub speciebus solū ponantur corpus, & Sanguis Christi Domini, per concomitantiam

tamen

tamen necessariam sub singulis ponitur totus Christus, ita totus immolatur ex directa intentione Christi Domini, vt habeat rationem hostiæ.

Probatur 2. Conclusio, Christus Dominus non est hostia huius Sacrificij, prout est in cælo, quia vt sic nullo modo per hoc Sacrificium immutatur, nec accipit vllum modum hostiæ immolatæ. Ergo debet esse hostia prout existit sub speciebus panis, & vini, quia ibi per realem immutationem ponitur, & quidem per modum hostiæ immolatæ, quatenùs quantùm est ex vi verborum præcisè, sanguis ponitur separatim à corpore.

Species non sunt hostia.

Dico 2. Hæc hostia non includit essentialiter species, neque formam consecrationis, dicit tamen ordinem ad ipsas. Prima pars Probatur 1. Quia si species essent pars essentialis hostiæ, sequeretur etiam eas verè immolari, Sed hoc non est dicendum. Ergo neque illud. Minor Probatur. Quia cùm species panis, & vini sint res infimæ, non videntur dignæ, quæ Deo in tanto sacrificio offerantur, tanquam pars hostiæ infinitè dignæ. Confirmatur Quia aliâs hic offerretur, quod non fuit oblatum in cruce, & consequenter non esset vtrobique eadem omninò res oblata, quod non est dicendum. 2. pars Probatur 1. Quia cùm hoc Sacrificium sit humanum, & sensibile, eius hostia debet aliquo modo esse sensibilis. Sed hic hostia non est sensibilis nisi ratione specierum. Ergo vt habeat rationem hostiæ, debet necessariò talem ordinem dicere ad species.

Probatur 2. Quia sine tali ordine ad species, ac ad formas consecrationis, non potest habere veram actionem hostiæ mactatæ, vt patet ex dictis.

Panis & vinum materia.

Dico 3. Panis, & vinum, pertinent ad hoc Sacrificium, tanquam materia, quam necessariò respicit, & præsupponit, quia eorum conuersio in corpus, & sanguinem Christi, est essentialiter ad hoc sacrificium requisita, atque ita secundariò aliquo modo possunt dici offerri.

Hostiæ cõsumptio.

PETES 1. *Vtrum de ratione sacrificij sit quod hostia occidatur?*

Dico 1. Quando hostia non est mactabilis, de ratione sacrificij est hostiæ consumptio, videlicet quod desinat esse, vel simpliciter,

citer, vel secundùm quid, & hoc vocatur Sacrificium incruentum, quando scilicet consumitur hostia sine effusione cruoris, vel Sanguinis ad differentiam sacrificii cruenti, vbi hostia est mactabilis. Patet Hæc conclusio ex Sacrificio Melchisedech, qui si non consumpsisset panem & vinum per ipsum oblatum, oblatio illius non esset sacrificium, sed tantùm oblatio

Dico 2. Quando hostia quæ offertur vt mactabilis, illius occisio est de ratione sacrificij. Patet inductiuè in omnibus sacrificiis legis naturæ, & scriptæ, in quibus animalia, quæ offerrebantur, occidebantur. Tum quia de ratione sacrificij, est consumptio hostiæ, & consequenter mactatio. Tum quia sacrificare est hostiam immolare; immolare autem est hostiam occidere.

Dico 3. Licet Christus Dominus non occidatur in altari, verè tamen immolatur, quia incruentè consumitur. Probatur 1. Quia Christus dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, propterea quia eius Sacrificium est consumptio incruenta sub speciebus panis, & vini, instar sacrificij Melchisedech. Ergo quamuis non occidatur in altari, verè tamen immolatur. Probatur 2. Ex Concilio Toletano; quòd refertur *de Consecrat. dist. 2. cap. Relatum*, Vbi redarguũtur Sacerdotes illi, qui non consumebant Sacrificium. Vnde subdit. Quale enim est illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? quia si dicat, nullum. Ex quo infertur. Quòd si Sacerdos post consecrationem, & oblationem, non consumeret hostiam propter aliquod impedimentum, nec ab alio Sacerdote perficiente Missam consumeretur, Missa illa non esset sacrificium, sed oblatio, nihilominùs haberet fructum aliquem ex opere operantis.

PETES 2. *In quo gradu perfectionis sit Missæ Sacrificium cum alijs comparatum.*

Sacrificium Missæ eminet.

Nota Perfectio sacrificii consideratur in iis, quæ ad dignitatem eius spectant, vel in comparatione illius cum alijs.

Dico 1. Sacrificium Missæ, in ritu, in significatione, in virtute, eminẽtiã habet inter alia. In ritu, quia res oblata est infinitæ dignitatis, & modus offerendi est supernaturalis, & quoad sensibilem acti-

lem acti-

lem actionem est mundissimus. In significatione, ex eo, quia est expressa, & viua imago passionis Christi Domini, sitq; grata commemoratio beneficiorum. Dei,& charitatis summæ erga genus humanum. Denique in virtute quia inhoc Sacrificio vnico reperiuntur coniuncta bona omnia, quæ in aliis diuisa reperiebantur. Quare S. Leo Papa Serm. 7. de Passione Domini dicit. *Omnem differentiam hostiarum vnius corporis, & Sanguinis tui complet oblatio.* Est enim honorarium Dei, est sacrificium laudis, & gratiarum actionis, est propitiatorium pro peccatis, & impetratorium omnium bonorum, vt dicam sequenti Petito.

Dico Si hoc Sacrificium comparetur cum aliis Sacrificiis antiquæ legis, infinitè illa superat: Tum in principali Agente offerente, & re oblata, quæ est infinitæ dignitatis: Tum in modo offerendi, vt constat ex dictis. Tùm in efficacia ex opere operato, & in valore ad impetrandum propter realem Christi Domini præsentiam, & oblationem. Superat sacrificia antiquæ legis.

PETES 3. *Vtrum hoc Sacrificium sit verè propitiatorium, & impetratorium, & quâ ratione?*

Nota Hoc Sacrificium generatim loquendo, habet quadruplicem vim operandi. Primo Ex opere operantis vel offerentis, idq; vel per modum meriti de condigno, vel de congruo, vel per modùm satisfactionis, vel per modum impetrationis. Secundò Ratione excellentiæ rei oblatæ. Munus enim alicui munifico Principi oblatum, quod illi in se est valdè gratum, habet ex se vim, eum permouendi ad aliquid repetendum, modò debitâ ratione offeratur, ita scilicet vt ipso modo offerendi Princeps non offendatur. Vnde hac etiam ratione, sacrificium à iusto legitimè oblatum, habet vim mouendi Deum, vt aliquid conferat offerenti, non quidem quòd æquet dignitatem rei oblatæ, (quia hoc est impossibile) sed prout iudicauerit, hic & nunc secundùm suæ prouidentiæ rationes expedire: & hic effectus etiam per modum impetrationis acquiritur: quia sicut preces, ita etiam munera solent habere vim impetrandi. Sacrificium habet quadruplicem vim operandi.

Tertiò Ex eo, quòd Sacerdos offerat ex persona Ecclesiæ, quæ cum Deo

cùm Deo semper sit accepta, eius etiam preces, & munera à Deo grata sunt;etiamsi per peccatorem offerantur. Quartò Sacrificium acquirit vim operandi, siue effectum, ex institutione, voluntate, & Persona Christi Domini, qui semper primarius est offerens, qui voluit annectere in certa proportione sua merita ipso externo actui sacrificii, ad certum effectum conferendum ei, pro quo offertur.

Sacrificium Missæ est impetratorium

Dico 1. Sacrificium Missæ, verè est propitiatorium, ac impetratoriũ. Ita Trident. *Sess. 22. c. 2. & Can. 3.* Probatur 1. ex SS. literis: quia *Matth. 26. & Lucæ 22.* calix sanguinis Christi Domini dicitur effundi, siue per Sacrificium Deo offerri in remissionem peccatorum; quod nihil aliud est, quàm hoc sacrificium, in quo Sanguis Christi Domini offertur; esse propitiatorium,quæ verba intelligenda sunt de sacrificio incruento, vt dixi præcedenti Articulo. Tùm quia Apostolus *ad Hebr. 5.* dicit. Omnis Pontificis, siue Sacerdotis munus esse, offerre Sacrificia Deo pro peccato. Sed in lege noua est verum sacrificium. Ergo offertur pro peccatis. Probatur ratione,Sacrificium Missæ eminenter continet vim omnium antiquorum. Sed vetera sacrificia erant multa propitiatoria,& impetratoria. Ergo hoc est & multò magis tale.

Diuersa dona impetrat.

Dico 2. Sacrificium Missæ habet vim satisfaciendi pro peccatis, & impetrandi diuersa Dei dona. Patet, quia cùm sit actus perfectus religionis, non est ratio, cur non habeat omnem vim satisfaciendi, merendi, ac impetrandi, quam habent reliqui actus virtutis. Item cùm res in eo oblata sit excellentissima, & Deo gratissima, per se aptissima est, vt eum ad liberalitatem excitet, si debitè ei offeratur.

Ex opere operato.

Dico 3. Sacrificium Missæ, habet vim producendi aliquem effectum ex opere operato: qui modus ex opere operato ideò vocatur, quia effectus sequitur infallibiliter positionem externi operis in subiecto, non ponente obicem. Probatur Tum quia sicut vetera sacrificia ex opere operato tollebant immunditiam legalem; Ergo hoc Sacrificium habet vim ad emundandas conscientias à peccatis. Tum quia aliás sæpè populus Christianus deciperetur, dum Sacrificium pro se, & maximè pro defunctis offerri curat, si offerentes

essent in

essent in peccato, & ab eorum dignitate, aut deuotione vis sacrifi-
cii penderet, quia sine vlla culpa sua omni sacrificii effectu priuarē-
tur, quod repugnat omni Ecclesiæ sensui, & Concil. Trident. *Sess.*
22, c. 1. vbi dicit. *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indigni-
tate, aut malitiá offerentium inquinari potest.*

Dico 4, Sacrificium Missæ habet singularem vim impe-
trandi, quia in Persona Christi Domini offertur, idq; præter omnem
dignitatem, & meritum offerentis. Patet Quia sicut aliquis Rex de
Ecclesia benē meritus, dignus est vt à Pontifice impetret, quod per
legatum ingratum petit: ita in proposito.

ARTICVLVS III.

Quomodo Sacrificium Missæ conueniat, & differat à Sacrificio crucis?

Quantùm ad Conuenientiam. Dico Quòd in vtroq; sit eadem
hostia, & idem principalis offerens. Ita expresse Tridentinum *loco
citato cap. 2.*

Quantùm ad differentiam. Dico Quod differunt quadrupli- Differentia inter Sacrificium Missæ & crucis.
citer. Primò in modo offerendi, quia in Missa est incruentus, & sub
speciebus Sacramentalibus, in cruce verò cruentus fuit, & in pro-
pria ac naturali specie. Secundò differunt in modo operandi suum
effectum. Tum quia hoc habet omnem vim ex illo, non è contra.
Tum quia illud est causa generalis omnis nostræ iustificationis ac
gratiæ, quam quacunq; ratione à Deo accipimus: Secùs est de Sa-
crificio Missæ, quia multas gratias, ac media salutis nostræ accipi-
mus independenter ab hoc sacrificio, vt sunt ea quæ recipimus per
Sacramenta, aut ratione alicuius meriti præcedentis, aut etiam ex
mero beneplacito Dei, sine respectu ad actiones aliquas humanas
distinctas à meritis Christi. Tum quia sacrificium cruentum, ope-
ratum est nostram salutem per modum meriti de condigno, satis-
factionis, ac solutionis sufficientis pretii ad remissionem peccato-
rum, & ad omnem gratiam & gloriam, omniaq; beneficia Dei, ac
media ad salutem nostram necessaria, quæ vnquam alicui homini
puro conferentur, & infinities maiora obtinenda, ita tamen vt per
illud

illud nulli in particulari aliqua pars huius sacrificii applicetur: per hoc enim sacrificium præcisè, Christus Dominus hoc pretium omninò infinitum, pro redemptione ac salute omnium hominum, in genere Deo quidem soluit, nulli tamen in particulari applicuit; sed hanc applicationem ipse partim aliis actibus fecit, vt vocando Apostolos, remittendo Magdalenæ peccata &c. partim ea reliquit Diuinæ prouidentiæ, quæ sua bona distribuit prout vult, omnia tamen intuitu huius sacrificii: partim etiam nostris actibus ex gratia factis, quibus gratiam & gloriam meremur, in virtute istius sacrificii: quia tamen nostri actus sunt parum efficaces, & sæpè difficiles, vt magis nostræ infirmitati consuleret, instituit quædam alia media faciliora in se, & ad gratiam conferendam efficacissima, qualia sunt Sacramenta, & Sacrificiũ incruentum, quibus nullum nouum pretium acquiritur, sed per Sacrificium cruentum acquisitum, quibusdam in particulari applicatur, cruentum itaq; operatur suum effectum de condigno, nouum pretium nostræ redemptionis merendo; incruentum verò sine vllo merito nouo, ex Christi voluntate & institutione, meritum, ac pretium iã acquisitum, certis personis applicando. Tertiò Differunt in effectu: Quia cùm effectus immediatus sacrificii cruenti, sit pretium redemptionis nostræ, quasi in abstracto, & prout concipitur nulli applicatum, est omni par dignitati ipsius sacrificii, & omni ratione infinitus, ac illimitatus, sufficiens etiam ad infinitos homines redimendos. Contra verò incruentum, etsi in se ratione rei oblatæ, & primarii offerentis, sit infiniti valoris; tamen semper finitũ & determinatum habet effectum, vt videbimus *Articulo* 7. Quartò Differunt in frequentia offerendi, quia eò quòd effectus immediatus Sacrificii crucis fuerit infinitus, sufficit illud semel fuisse oblatum, pro omnibus remissionibus, ac gratiis, à Deo obtinendis, quæ vnquam hominibus concessæ sunt, aut concedentur, atque etiam pro infinitis pluribus, ac maioribus, ideoque nunquam repetitur. Incruenti verò Sacrificii, cùm effectus sit certus ac limitatus, pro diuersis indulgentiis, ac gratiis, sæpiùs offerendum sit.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Vtrum ratio Sacrificii Missæ sit prior, & potior, ratione Sacramenti?

Nota Comparatio hæc potest esse, vel in prioritate siue temporis, siue durationis, vel in dignitate & perfectione.

Dico 1. In Mysterio Eucharistiæ si propria comparatio fiat, nullum esse ordinem durationis, inter rationem Sacramenti, & Sacrificii. Probatur Quia in Sacrificio considerari potest, sacrificatio, ac terminus per sacrificationem effectus: Deinde considerari potest effectio Sacramenti, & Sacramentum iam factum, vt ergo proportionalis fiat comparatio, debet actio cum actione, & terminus cum termino comparari, Ergo cum Sacrificatio simul sit cum effectione Sacramenti, nullus est ordo durationis inter illa. An prior sit ratio Sacrificii, vel Sacramenti.

Dico 2. Naturæ ordine terminum termino adaptando, & actionem actioni, sacrificium, & Sacramentum sunt æqualia, quia reipsa sunt idem: Si autem sacrificationem cum Sacramento iam facto conferamus, sic antecedit quidem ordine naturæ sacrificium si sola actio consideretur, nam actio antecedit suum terminum: Si verò cum sacrificatione terminum includamus, ordine intentionis, est priùs Sacrificium, posteriùs verò est Sacramento, ordine executionis. Patet quia potestas quæ datur ad hoc mysterium efficiendum, primariò ordinatur ad hoc sacrificium offerendum: vt in ordinatione dicitur Sacerdotibus: *Accipite potestatem offerendi sacrificium. &c.*

Dico 3. In rei dignitate, Sacrificium & Sacramentum sunt æqualia inter se: Si verò sacrificium sumatur pro actione sacrificandi, & Sacramentum Eucharistiæ pro re permanente, & iam facta, sic dici potest Sacramentum perfectius, quàm Sacrificium. Prima pars patet, quia in vtroque est eadem res oblata. Secunda pars probatur quia perfectior est terminus, quàm via ad terminum. Sed sacrificatio est via. Sacramentum terminus. Ergo. Paria in dignitate.

Dico 4. Sacrificatio in esse virtutis, est perfectior Sacramenti effe-

ti effectione, & vsu Sacramenti. Patet quia meliùs est conficere corpus Christi Domini, in Dei honorem & cultum, quàm in vsum fidelium.

QVÆRES I.

Est ne aliquod discrimen inter Sacramentum Eucharistiæ, & Sacrificium?

Eucharistiæ definitio. Dico 1. Aliud est Sacramentum Eucharistiæ, aliud Sacrificium: quia Eucharistia est Sacramentum corporis Christi, & Sanguinis veraciter contenti, sub speciebus panis & vini, post consecrationem, factam à Sacerdote, sub verbis certis, cum debita intentione prolatis, ex institutione Diuina veraciter signans corpus Christi & Sanguinem, sub eis realiter contineri. Ita D. Subtilis *in 4. dist.* 8. *q.* 1. In qua definitione, dicitur, *Sacramentum*, id est signum, nam omne Sacramentum est signum. Dicitur, *corporis & Sanguinis &c.* hic indicatur immediatum signatum huius signi, nimirū corpus verum, & Sanguis Domini. His verbis indicatur differentia Eucharistiæ, ab aliis Sacramentis, quia alia sex Sacramenta sunt solùm signa gratiæ habitualis, Eucharistia verò est signum gratiæ subsistentis, scilicet corporis Domini, & quidem primariò, secundariò verò est signum gratiæ sanctificantis. Dicitur, *sub speciebus panis & vini*, non sub aliis, quia panis & vinum, sunt materia consecrationis huius Sacramenti, & istorum accidentia manent, facta transsubstantiatione panis, & vini, in corpus & Sanguinem Christi Domini, sub quibus accidentibus, quæ hic species appellantur, veraciter & realiter existit, & continetur corpus & Sanguis Domini. Dicitur, *post consecrationem factam à Sacerdote*, ex quo patet, quòd solus Sacerdos, potest hoc Sacramentum conficere ex institutione Diuina, & nullus non Sacerdos hoc potest. Dicitur, *sub certis verbis prolatis*: ex quo sequitur, quòd verba determinata sunt necessaria. Dicitur, *cum debita intentione*: quia Sacerdos sine actuali, vel saltem virtuali intentione non consecrat. Dicitur, *ex institutione Diuina &c.* quia solus Deus potest Sacramenta instituere, vt probant Theologi *in 4. dist.* 1. *q.* 3. Porrò Sacrificium aliter est definitum,

vt vidi-

vt vidimus *Articulo* 1. *Conclus.* 2. Est enim oblatio facta alicuius victimæ soli Deo, circa quam Sacerdos aliquam cæremoniam operatur, quæ tribus cæremoniis constat; nimirum consecratione, qua adducitur victima immolanda, videlicet Christus Dominus: oblatione, quâ hostia; seu victima offertur, atq; hæc oblatio præcipuè fit post consecrationem vt dicam Articulo 5. tertio deniq; constat fractione hostiæ, & sumptione corporis & Sanguinis Domini.

Sacrificii definitio.

Deinde Differunt ratione fructus: nam Eucharistia, quatenus Sacramentum solùm proficit sumenti, virtute enim illius; præstatur gratia sumenti ex opere operato, non autem aliis; quatenùs verò est sacrificium, prodest non solùm Sacerdoti sumenti, verum etiam aliis pro quibus Missa offertur, vt dicam *Articulo.* 6.

Differunt ratione fructus.

Tertiò Differunt, quia Sacramentum Eucharistiæ sub vna specie, est Sacramentum simpliciter: non tamen integrum & perfectum. Prima pars patet, quia quælibet species seorsum considerata, est signum rei sacræ simpliciter nos sanctificantis: nam species panis, est signum gratiæ sanctificantis nos, per modum spiritualis cibi, quæ sanctificatio est sanctificatio simpliciter; & species vini est signum gratiæ sanctificantis nos, per modum spiritualis potus, quæ est etiam sanctificatio simpliciter: Sanctificatio enim quæ fit per gratiam, est sanctificatio simpliciter. Ergo species quælibet per se sumpta est simpliciter Sacramentum. Secunda pars patet, quia sicut conuiuium corporale integrum & perfectum, cibo, & potu cōstat, ita & spirituale; hoc tamen Sacramentum est vnum numero, & omnes species etiam discontinuæ, sunt vnum numero Sacramētum, quia vt docet D. Subtilis *in* 4. *dist.* 8. *q.* 1. §. *Si autem quæras*, quòd Eucharistiæ Sacramentum supponit tantùm pro speciebus. quatenùs continēt corpus, & Sanguinem Christi Domini. Sed tam vna, quàm plures species continent verum corpus & Sanguinem Domini. Ergo sunt siue vna species, siue plures, vnum Sacramentum, quia de ratione Sacramenti est, vt sit signum sensibile. Ita Trident. *Sess.* 13. *Can.* 1. Sacrificium verò non videtur requirere vtriusq; speciei consecrationem, licet ordinariè debeat fieri sub vtraque specie, & consequenter neq; oblatio videtur esse extraordinariè necessa-

Tertiò differunt.

necessaria, illa quæ fit post consecrationem sub vtraq; specie, cùm feria 6. parasceues fiat sub vna specie, vt dicam *Articulo 5.* sacrificium enim cruentum repræsentari potest per vnam speciem, Ita Bonac. *d.* 4. *q. vlt. p.* 2. *n.* 7.

Collige Vna species Eucharistiæ, non habet ex vi Sacramẽti, tantam conferre gratiam; quantam duæ, sed propter realem cõcomitantiam vnius ad aliam rei contentæ, V. G. Sanguinis ad corpus; quæ concomitantia per accidens se habet ad species panis, considerata ratione formali huius Sacramenti: V. G. si in triduo mortis consecraretur Eucharistia, species panis, eandem rationem Sacramentalem haberent, quam habent modò, & tamen sub speciebus panis, non contineretur Sanguis, sed solùm corpus, & consequenter non conferret gratiam, quæ respondet Sanguini. Ita Aretinus *in* 4. *dist.* 8. *q.* 1. *a.* 5. *& alij.*

Conueniunt in materia.

PETES *Quæ sit conuenientia Sacramenti Eucharistiæ cum Sacrificio.*

Dico 1. Conueniunt in materia: quia sicut solus panis triticeus est materia Sacramenti Eucharistiæ, ita & sacrificii. Vnde secundùm probabiliorem sententiam in nullo alio pane, siue ex fructibus Amygdalis, imò neq; ex siligine, potest confici hoc Sacramentum, vt fusè probant Theologi *in* 4. *dist.* 11. *q.* 6. Similiter in nullo alio liquore, nisi in vino ex vite, vt ibidem probant *q.* 7. Ratio est, quia illa est materia Eucharistiæ, quam Christus Dominus instituit. Sed in hac materia prænominata instituit, & ipse consecrauit. Ergo.

Conueniunt in forma.

Dico 2. Illa eadem est forma consecrationis, tam Sacramẽti Eucharistiæ quàm sacrificij, quæ habetur in Canone Missæ, quã Euangelistæ habent æquiualenter, etsi non sub iisdem verbis. Ita D. Subtilis *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. *num.* 5. vbi *num.* 9. resoluit, non esse certò traditum, an ad formam calicis spectent omnia illa verba posita in Canone, post illa *Sanguinis mei*: suadet nunquam esse omittenda, sed omnia dicenda.

ARTICVLVS V.

In qua actione consistat ratio Sacrificij Missæ essentialiter?

Nota 1.

Nota 1. Actiones Missæ, de quibus potest esse dubitatio sunt sex. 1. Verbalis illa oblatio panis & vini, quæ fit in offertorio. 2. est ipsa consecratio. 3. Illa oblatio quæ fit statim post consecrationem illis verbis : *Offerimus præclaræ Maiestati tuæ &c.* 4. est fractio ipsius hostiæ, & vnius particulæ cum calice commistio. 5. est sumptio Sacramenti facta à Sacerdote. 6. sumptio à populo. Actiones Missæ.

Nota 2. Quadrupliciter posse aliquid pertinere ad sacrificium. Primò vt partem essentialem, sine qua ratio sacrificii nequit consistere. Secundò vt partem integralem, sicut manus pertinet ad rationem hominis. Tertiò vt aliquid extrinsecè ita perficiens sacrificium, vt hoc sine illo maneat aliquo modo imperfectum, & sine suo destitutum. Quartò vt aliqua cæremonia, sine qua omninò integrum consistit sacrificium, sed tamen illicitè offertur : hic de primo modo inquiritur.

Dico 1. Oblatio illa vocalis, quæ fit in offertorio Missæ, nullo modo pertinet ad essentiam Sacrificii : imò neq; vt integralis; sed solùm esse cæremonialem quandam præparationem, ab Ecclesia institutam ad conciliandam deuotionem, & reuerentiam animosq; fidelium excitandos ad mysterium ipsum peragendum, quæ cæremonia, non potest à Sacerdote omitti absq; peccato mortali. Offertorium non est pars essentialis sacrificii.

Prima pars Conclusionis Probatur, Quia Christus Dominus in cæna obtulit verum sacrificium, secundùm omnes suas partes substantiales perfectum, vt vidimus *Art.* 2. Atqui talem oblationem non exercuit; vt constat ex contextu S. Scripturæ. Secunda pars patet quia si pertineret ad integritatem Sacrificii, esset sine ipsa mancum sacrificium, sicut homo est mancus sine manu. Sed non est mancum. Ergo. 3. pars cõstat partim ex cæremoniis, quibus Christus Dominus vsus est ante consecrationem, eleuando oculos in cælum, & gratias agendo &c. partim ex orationibus quibus vtitur Sacerdos in offertorio. *Suscipe Sancte Pater, hanc immaculatam hostiam, &c.* in istis enim orationibus, quando Sacerdos ante consecrationem, & oblationem, dicit se panem, & vinum offerre, respicit ad consecrationem mox futuram, quæ tunc aliquomodo, id est, cæremonialiter incipit. Quare hæc oblatio, nunquam omittenda sine gra-

ne graui peccato, quia ordinatur ad secundam oblationem. Inde.

Collige Paruas hostias, quæ ad altare deferuntur pro communione laicorum, debere in altari adesse, ante primum offertorium, videntur enim ad idem Sacrificium pertinere, ad quod pertinet maior hostia: Sicut autem maior hostia debet esse ante primum offertorium, ita etiam paruæ hostiæ debent adesse pro communione laicorum. Ita Bonac. *de Sacram. d. 4. q. vlt. p. 2. n. 6.* Gauantus *in Comment. Rubr. Missalis. p. 3. tit.* 10. *n.* 19. putat oblatione iam facta, posse oblatas hostias paruas Sacerdotem consecrare, oblatione mente concepta earum, non tamen remotius ab oblatione hostiæ maioris, nimirum ante cæptam Præfationem; post præfationem omninò non licere affirmat.

Dices Quando Sacerdos non consecrat sub specie vini, quādo loco vini aquam infundit, non tenetur offerre calicem oblatione vocali. Ergo oblatio vocalis, potest sine peccato mortali omitti. Respondeo In tali casu non tenetur ad oblationem vocalem, sed tamen tenetur habere mentalem, ante consecrationem iterati calicis, vt habetur in Rubricis Generalibus *de defectibus in Missa occurrentibus. c. 3, n. 4.* & hoc ideò vocalis omittenda, ne inde scandalum oriretur, dum homines aspicerent Sacerdotem iteratò oblationem facere, sufficit igitur in tali casu mentalis: nam quando duo concurrunt peccata, vnum factum, & aliud fiendum, quod est faciendum, fieri non debet, & quod iam est factum, infectum fieri nequit. Sed Sacerdos consecrans calicem non in vino peccauit, non tamen debet omittere mentalem, & sic negatur Consequentia.

Fractio non est de essentia.

Dico 2. Fractio hostiæ non est de essentia sacrificii. Patet, quia non legitur à Christo Domino facta, vel si fuit, eo fine fuit vt cuiq; sua pars distribueretur: Ista verò, quæ modo fit à nobis, est cæremonialis.

Consecratio non est de essentiali ratione.

Dico 3. Consecratio non est de ratione essentiali Sacrificii, vt Sacrificii. Ita Anglez. *in 4. de valore Missæ.* Aretinus *in 4. dist. 13. q. 2. a. 3.* Probatur productio, siue adductio hostiæ, non pertinet ad essentiam Sacrificii. Sed consecratione adducitur victima immolanda. Ergo consecratio non spectat ad essentiam sacrificii. Maior

patet

patet productio enim Agni Paschalis, necessaria erat ad sacrificium, non vt pars, sed vt effectio rei sacrificandæ: Sed eodem modo se habet consecratio ad hoc Sacrificium. Præterea Feria 6. in parasceue non fit consecratio, fit tamen sacrificium ex præconsecratis. Ergo de ratione huius Sacrificii non est consecratio. Antecedens patet ex orationibus quibus illo die vtitur Ecclesia. dicens. *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine, & sic fiat sacrificium nostrum &c.* Et in alia oratione. *Orate Fratres, vt meum, & vestrum sacrificium, acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.*

Respondent contrarium sentientes, quòd his locis sacrificium latè sumitur, pro quocunque ministerio. Contra Non est verisimile Ecclesiam illo die omninò priuari sacrificio, & oblatione ad Deum. Vnde S. Aug. *Epistola* 118. *c.* 2. Generaliter, & sine exceptione dicit. *Omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia.* Et S. Thomas 3. *p. q.* 83. *a.* 2. *ad* 2. dicit, *eo die offerri, & consumi hostiam, priùs consecratam, ne priuetur Ecclesia fructu Passionis Christi Domini.* nam fructus passionis, non applicatur Ecclesiæ per Sacramentum Eucharistiæ, vt Sacramentum est, quia vt Sacramentum est, solùm prodest sumenti. Idem D. Angelicus *ibidem art.* 4. inquit. *offertur Eucharistia vt Sacrificium, consecratur vt Sacramentum.*

Dices character Sacerdotalis est potestas consecrandi. Ergo consecratio est de essentia Sacrificii; nam Sacerdotium, est per se primò propter Sacrificium. Respondeo Hac obiectione probari, cõsecrationem necessariò supponi ad Sacrificium, ideò enim data est Sacerdoti potestas consecrandi, quia data est ei potestas offerendi, in eodem enim supposito debet esse potestas consecrandi, & offerendi. Quare Concil. Trident. *Sess.* 23. *c.* 1. *& Can.* 1. dicit, has actiones consecrandi, & offerendi esse distinctas. Hinc.

Collige Consumptionem Sanguinis, non esse de essentia sacrificii, quia feria 6. parasceue, non sumit Sanguinem sub speciebus vini, neque consecrat, sed tantùm sumit hostiam pridie consecratam. Affertur in oppositum decretum Gelasii Papæ *in c. comperimus de Consecrat. d.* 2. Sed ibidem Gelasius non dicit sumptionem corporis, sine Sanguine sub speciebus vini, non esse Sacrificium, sed dicit quòd in

Gelasii mens.

quòd in sacrificante vnum sine altero accipere, sacrilegium est.

De essentia sacrificii sunt tria. Hostia. Oblatio. Consumptio.

Dico 4, De essentia huius Sacrificii sunt tria, hostia, hoc est ipsemet Christus, oblatio hostiæ, & sumptio hostiæ. Quòd requiratur hostia, certum est ex dictis. Quòd requiratur oblatio patet; tum quia non censetur sacrificium, donec res offeratur. Tum quia si Sacerdos facta consecratione moreretur, alius non ieiunus etiam tenetur offerre, & sumere, vt integrum fiat Sacrificium. Ergo oblatio est de essentia sacrificii: quæ oblatio incipit in Canone Missæ, ab illis verbis. *Vnde & memores nos &c.* vsque ad illa. *Quotquot. &c.* Ita Bonacina de Eucharistia. *d.* 4. *q. vltima p.* 2. *n.* 5. *&* 6. Aretinus *loco citato.* Vbi dicit, acerrimè arguendos illos Sacerdotes, ista verba recitantes dum calicem eleuant. Quòd requiratur consumptio Probatur. tùm quia non omnia quæ sacrantur, & offeruntur Deo dicuntur sacrificia, vt constat ex vasis sacris, quæ diuino cultui dicantur, non tamen sunt sacrificia. Ergo requiritur consumptio. Tum quia id in Concilio Toletano 11. *c.* 5. videtur esse definitum. Tum quia non repræsentaretur mors, & passio Christi Domini, nisi adsit consumptio, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Neque obstat corpus Domini per sumptionem, non mutari secundùm suum esse naturale, sufficit enim secundùm esse Sacramentale. Neque sumptio populi pertinet ad Sacrificium, vt quid essentiale,

Aduerte hîc Quòd non requiratur ad Essentiam sacrificii oblatio, & sumptio vtriusque speciei, cùm sacrificium cruentum Christi Domini, repræsentari possit per alteram tantùm speciem. Ita Aretinus *loco citato.* Bonacina *loco citato n.* 7. qui multos DD, citat pro hac sententia.

ARTICVLVS VI.

Quis sit effectus, fructus, & valor huius sacrificij.

Tres effectus Sacrificii Missæ.

Tres sunt effectus Sacrificii Missæ. Primus est conferre gratiam, & remittere peccata. Secundus est effectus Sacrificii, impetrare nobis bona, quæ petimus, ideò appellatur sacrificium impe-

tratorium. Tertius effectus est satisfacere pro peccatis, & ob id dicitur satisfactorium. Hinc sequitur hoc prodesse ad remittendam pœnam peccatorum, quapropter offertur pro defunctis, vt à pœnis soluantur. De Primo effectu satis fusè dictum est *articulo* 11. *quæstionis præcedentis*, nimirum quomodo augeat gratiam, & remittat peccata. Et hîc *art.* 2. *quæsito* 4. hic tantùm inquiremus de effectu impetratorio, & de valore Sacrificii.

QVÆRES PRIMO.

An hoc Sacrificium sit impetratorium?

Nota Sacrificium Impetratorium est, cui ex Diuina Misericordia aliquod temporale, aut spirituale præmium correspondet. Est impetratorium

Dico Hoc sacrificium per modum impetrationis, valet ad quæuis beneficia mediatè, vel immediatè impetranda, quæ aliqua ratione spectant ad salutem animæ promouendam. Ratio est, tum ex vsu Ecclesiæ, quæ consueuit in hoc Sacrificio, pro necessitatibus tam spiritualibus, quàm temporalibus orare, quamuis temporalia non obtineantur statim aliquando, quia petuntur sub conditione, si conducant saluti: Tum quia Sacrificium est efficacissimũ genus orationis: dummodò minister applicet hoc Sacrificium ad hæc, vel illa beneficia impetranda. Ita communiter Doctores. Aretinus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 4. Coninchus Q. 83. *a.* 1. *dub.* 8.

PETES *Vtrum malitia Ministri impediat hunc effectum?*

Dico 1. Effectus sacrificii secundùm se, non augetur, nec minuitur, ob vitam Sacerdotis: quia Ecclesiæ Sacramentum eandem efficaciam habet, siue à bono siue à malo ministro conficiatur, ibique nihil operatur virtus ministri, sed merita Christi Iesu, quorum virtute, gratia ex opere operato datur. Sacerdotis malitia non minuit effectũ.

Dico 2. Quatenùs Sacerdos sustinet personam Christi Domini, & Ecclesiæ, & si non semper obtineat in particulari quod petit, nunquam tamen, etiamsi in se sit malus sua impetratione ita frustratur, quin saltem Deus largiatur aliquid Ecclesiæ in genere, prout prouidentiæ ipsius visum fuerit. Imò & quatenùs Minister orat in persona Christi Domini, credibile est eum aliquid semper

obtinere ei, pro quo orat, modò hic non ponat obicem ipsi effe-ctui pro quo offertur: sibi verò nihil lucratur in peccato existens Sacerdos.

Dico 3. Sacrificium maioris est valoris boni Sacerdotis, quã mali. Ita D. Subtil. *in 4. dist. 13. q. 2. ad 3.* vbi dicit. Fructum respondentem deuotioni, & merito Ecclesiæ, esse vberiorem, si Missa offeratur per bonum Ministrum, quàm si per malum. Hoc patet *ex cap. ipsi Sacerdotes.* 1. q. 1.

QVÆRES II.

Vtrum effectus, & valor Sacrificii sit finitus, vel infinitus?

Nota 1. Valor aut est infinitus intensiuè, aut extensiuè. Infinitus intensiuè est, qui parit effectum infinitum. Infinitus verò extensiuè, qui non tot prodest quin posset prodesse pluribus.

Triplex valor. Nota 2. Ex D. Subtili *Quæst. 20. quodlib.* & aliis communiter, triplicem esse Missæ fructum, & valorem. Primus est Generalissimus, quem Ecclesia intendit applicari omnibus viuis, incipiendo à Papa vsq; ad minimum, & omnibus defunctis, quem fructum quisq; recipit, maiorem aut minorem, iuxta Christi Domini determinationem, Ecclesiæ intentionem, & propriam vniuscuiusq; cooperationem ad sacrificium: & hic valor valet ratione generalis intentionis, saltem habitualis Ecclesiæ, & sic prodest omnibus etiam peccatoribus non præcisis, vt ibi dicit D. Subt. Secundus est specialis, quem alii & meliùs vocant specialissimum, qui est proprius ipsius Sacerdotis, quem fructum Sacerdos, iuxta Doctorem nostrum, & multos alios quos refert Bonacina *loco citato. p. 4. n. 2.* sine graui peccato, non potest tradere alteri. Tertius est medius, quem alii appellant specialem, & hic competit iis, pro quibus Sacerdos intendit Sacrificium specialiter offerre, & applicare, iuxta praxim Ecclesiæ, quæ sacrificium modò pro vno, modò pro alio specialiter offerre consueuit. In præsenti itaque quærimus, An valor huius sacrificii, quantùm est ex parte ipsius, & Christi Domini institutione sit infinitus, si sufficienter applicetur; vel an de facto producat effectum infinitum intensiuè, & extensiuè, de priori sensu, est maximè difficultas.

Margin notes: Generalis — Specialissimus. — Specialis.

Nota

Nota 3. Aliud est sacrificium aliquod in se esse infiniti valoris. aliud verò ipsum posse infinitum effectum producere, V. G. infinitam gratiam causare, vel pro infinitis animabus existentibus in purgatorio.

Nota 4. Ex D. Subtili *Quodl.* 20. *sub litera* O. Quòd Christus Dominus in hoc Sacrificio, non se offert immediatè, quia ad Hebr. 9. dicitur *Christus semel oblatus est à seipso*, scilicet immediatè offerente se in cruce, in Missa verò offertur à Sacerdote: quæ oblatio in Missa, non æquiualet passioni Christi Domini, quia non est idem offerens, habet tamen valorem Missa ex oblatione Christi Domini offerentis se in cruce, & hoc Sacrificium instituentis.

Dico 1. Dignitas, & valor huius Sacrificii, tam ratione rei oblatæ, quàm primarii offerentis, habet dignitatem, ac valorem infinitum. Patet quia tam res oblata, quàm primarius offerens, est ipse Christus. Ergo istud sacrificium secundùm se posset à Deo institui ad infinitum effectum operandum. Infinitus est valor & quomodo.

Dico 2. Valor Sacrificii, quatenùs sacrificium offertur à Sacerdote non est infinitus intensiuè nec specialissimus, nec generalis, nec specialis. Probatur Tum quia Sacrificium est instrumentum, quo nobis applicantur merita passionis Christi Domini; Sed instrumentum quo nobis applicantur merita Christi Domini passionis, non habet tantùm valorem, quantùm habet ipsa passio: passio enim habet valorem infinitum. Ergo sacrificium Missæ non habet valorem infinitum. Tum quia solent aliquando plures Missæ celebrari ad eandem rem impetrandam: hoc autem frustra fieret, si esset Missa valoris infiniti: Tum quia Sacramentum Eucharistiæ confert suscipienti effectum finitum, quamuis contineat gratiæ auctorem. Ergo etiam Missæ Sacrificium confert effectum finitum. Ita Aretinus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 6. Coninchus *loco citato, dub.* 10. *& alij.* Quomodo non infinitus.

Dico 3. Valor generalis Sacrificii Missæ, est infinitus extensiuè, consequenter non tot prodest, quin posit prodesse pluribus. Ratio est, quia in *Memento*, non est determinatus numerus commemorán-

memorandum. Ergo poteſt applicari pluribus in infinitum extenſiuè. Pro hac Concluſione Bonacina citat plurimos authores, *q. vltima puncto* 4. *n.* 5.

Dico 4. Valor Sacrificii ſpecialiſsimus, qui competit ſoli Sacerdoti, eſt finitus. Patet Quia ſicut Sacramentum Euchariſtiæ, & alia Sacramenta per Sacerdotem diſpenſata, habēt ex inſtitutione Diuina effectum determinatum in ſuſcipiente. Ergo hoc Sacrificium oblatum pro ſe, vel pro alio, habet effectum determinatum & præfinitum valorem.

Dices 1. Meritum Chriſti Domini, applicatum nobis per hoc Sacrificium, eſt infinitum. Ergo licet offeratur pro multis, tā-tùm ſatis faciet pro quolibet, ſi pro vno tantùm offerretur. Conſequentia patet, quia infinitum licet diuidatur, nunquam conſumitur, ſemper enim remanet infinitum.

Meritum Chriſti D. quomodo infinitum.

Reſpondeo Diſtinguendo Antecedens. Concedo quidem meritum Chriſti Domini in ſe, quod ad ſufficientiam eſſe infinitum: quatenùs verò nobis applicatur eſt finitum. Inſtabis idem eſt Chriſtus Dominus principalis offerens in Miſsa, & applicans virtutem Paſsionis ſuæ, pro quibus offertur. Ergo æqualiter valebit omnibus, etiamſi pro infinitis offeratur. Reſpondeo Quòd in Miſſa non eſt offerens immediatus, ſed mediatus per miniſterium, ſeu actionem Sacerdotis, qui eſt offerens immediatus, cuius actio eſt limitatæ virtutis.

PETES. *Vtrum valor Miſsæ ſit ex opere operato, vel opere operantis?*

Reſpondeo Valorem Miſsæ vt ſacrificium eſt, eſſe ex opere operato: quia valor Sacrificii huius, confertur vltra meritum, & diſpoſitionem noſtram. Si verò conſideretur, vt includit preces, & orationes, ſic eſt ex opere operantis. Ita Anglez. q. 7. *de Miniſtro Euchariſtiæ*. Coninchus *loco citato dub*. 7.

ARTICVLVS VII.

Quodnam ſit ſubiectum, pro quo offerri poteſt & applicari, Miſsæ Sacrificium?

Primò

Primò inquirendum est hîc, an prosit Beatis. Secundò An prosit defunctis. 3. An prosit in hac vita degentibus. 4. An prosit damnatis.

Dico 1. Sacrificium Missæ non prodest Beatis, nisi quatenùs per ipsum coluntur, & honorantur. Patet Quia si illis prodesset, vel prodesset, vt propitiatorium, vel vt satisfactorium, vel vt impetratorium. Sed nullo istorum modorum. Non vt propitiatorium, quia Beati existunt in gratia; non vt satisfactorium, quia non habent pœnam delendam; non vt impetratorium, quia iam perfruuntur summo bono. Vnde V. G. quando fit Missa de aliquo Sancto, non fit pro illo, neque ei offertur, quia Sacrificium soli Deo offertur, sed fit de eo, vt inuocetur, colatur, & honoretur: sacrificium enim est cultus latriæ, qui soli Deo debetur. Ita communiter omnes. Beatis nō prodest.

Dico 2. Missæ Sacrificium prodest defunctis, existentibus in purgatorio. Ratio est. Tum ex ordinatione Sacerdotali, in qua dicitur. *Accipite potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis.* Ergo Sacrificium prodest defunctis. Tùm quia in Concilio Tridentino, id est definitum, & vsus Ecclesiæ id comprobat. Prodest defunctis.

PETES *Quomodo prodest Sacrificium defunctis?*

Respondeo Prodest vt sacrificium, vt opus pium, non solùm ex opere operato, sed etiam mediantibus orationibus, ab ipsa Ecclesia, ad releuandas defunctorum animas, destinatis.

Dico 3. Sacrificium Missæ prodest, & applicari debet fidelibus, in hac vita degentibus, siue iusti sint, siue peccatores. Probatur Tùm quia fideles in hac vita degentes sunt capaces fructus sacrificii. Ergo illis prodest, & applicari debet. Ita Miranda 1. p. q. 41 a. 15. Bellarminus *loco citato. c. 6.* Hinc. Prodest viuis.

Collige 1. Sacerdotem non posse aliquem excludere à Sacrificio Missæ, etiam & infideles, vt conuertantur. Patet quia Apostolus 1. *ad Timoth.* 2. præcepit orationem pro Regibus, qui tunc erant infideles. Tùm quia sacrificium crucis cruentum, oblatum est pro omnibus etiam infidelibus, qui etsi non sint actu membra Christi, sunt tamen potestate, quia possunt fieri fideles, & vt fiant

pro iis sacrificatur. Tum quia in veteri testamento sacrificia fiebant pro Ethnicis, quando illis erant subiecti. Ergo hoc Sacrificium licitè fieri potest, non tamen hoc Sacrificium prodest eis ex opere operato, cùm sint extra Ecclesiam, hoc autem Sacrificium est Ecclesiæ. Ita Sa *Verbo Missa num.* 40. Coninchus *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *num.* 160.

Collige 2. Missæ sacrificium validè quidem offertur pro excommunicatis: non tamen licitè. I. pars patet, quia Ecclesia etiã si possit prohibere ne pro talibus offeratur, efficere tamen nequit, ne pro iis validè in persona Christi offeratur, quia hæc potestas, est potestas ordinis, non iurisdictionis. Secunda pars constat, quia id grauiter prohibitum est. *c. A nobis.* 2. *de sententia excommunicationis.* Licitum tamen est pro iis indirectè offerre, pro eorum conuersione: imò indirectè potest Sacerdos pro illis offerre, vt persona priuata, etiam *in Memento.* Ita Coninchus *loco citato n.* 159.

Pro Excõmunicatis indirectè

Collige 3. Sacrificii fructus applicatus alicui peccatori, ponenti obicem, non prodest eidem sublato obice. Ita Coninchus *loco citato.* Suarez. *tom.* 4. *disp.* 79. *Sect.* 10. *& alij.* Ratio est, quia Sacrificium oblatum pro iusto, tunc temporis non indigente satisfactione, nec suspenditur, neq; conseruatur donec indiguerit. Ergo multò minus suspenditur, vel conseruatur pro peccatore, prodest tamen ei ad excitandam gratiam præuenientem, in illo.

Non pendet à conditione futura.

Collige 4. Sacrificium Missæ non potest pendere à conditione futura, V. G. applicare alicui sacrificium, quem DEVS scit, post aliquot dies, hoc, vel illud facturum: nam vel talis fructus: V. G. remissio pœnæ temporalis, statim ac Sacrificium oblatum esset, inciperet habere effectum, vel tunc primùm, cùm illa conditio ponetur. Neutrum dici potest. Ergo.

Dico 4. Non prodest damnatis Sacrificium Missæ. Patet quia in inferno nulla est redemptio. Vnde sequitur 1. non esse offerendum pro eo, quem certò constat mortuum in notorio peccato mortali. Ita Miranda *loco citato, estq; communis.* Sequitur 2. Non prodesse paruulis, ex hac vita cum solo originali decedentibus: quia non sunt mortui in gratia: Porrò paruulis morientibus post Baptismum, li-

ſinum, licet non proſit eis, cum ſtatim euolent in cælum, tamen poſſunt Miſsæ celebrari, quando paruuli ſepeliuntur, & fructum accipient animæ in purgatorio. Ita Angelus *Verbo Miſsa num.* 8. Bonacina *loco citato p.* 5. *num.* 9.

PETES *Cui nam proſit fructus ſacrificii, qui fuit applicatus incapaci?*

Reſpondeo Reponitur in theſauro Eccleſiæ: ita Corduba *lib.* 1. *q.* 3. Aliqui verò putant prodeſse ipſimet oranti, iuxta illud Pſalmi 34. *Oratio mea in ſinum meum conuertetur.* Et ex hoc patet, quòd Sacerdos poſsit ſibi ſpecialem valorem applicare, ſi voluerit, & indiguerit. Ita Bonacina. *num.* 12.

ARTICVLVS VIII

De Requiſitis ad ritè celebrandum ſacrificium.

Præcipua requiſita ad celebrandam Miſsam ſunt, locus, tempus, vaſa, apparamenta, altare, lumen, & miniſtrans.

QVÆRES PRIMO.

In quo loco debet fieri Sacrificium Miſsæ.

Dico 1. Debet fieri iure communi, in templo ab Epiſcopo conſecrato, aut benedicto. Ita habetur *C. Nullus de Conſecr. diſt.* 1. & *c. Sicut ibidem.* Definitum eſt in multis Conciliis, nouiſsimè in Trident: Seſs. 22, poſt Canones. Vbi præcipit Epiſcopis, *ne patiantur priuatis in domibus, aut omninò extra Eccleſiam, & ad Diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium, à ſecularibus, aut Regularibus quibuſcunq; peragi.* Vbi aufertur Epiſcopis poteſtas liberè concedendi poteſtatem celebrandi in loco etiam honeſto, qui non ſit ſoli Diuino cultui deſtinatus; non tamen videtur iis ablata poteſtas, vbi aliqua neceſsitas occurrit; imò & modò poſſe Epiſcopos alicui concedere, vt habeat domi locum honeſtum, qui per modum ſacelli ſoli Diuino cultui deſeruiat, in quo ſuper altari portatili celebretur: talem enim locum Trident: Oratoria vocat: & ex vſu patet. Ita cũ D. Subtili, Theologi *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. & cum S. Thoma 3. *parte q.* 89. *a.* 3. Ita cùm Angelo, Nauarro, & Sylueſtro, omnes Summiſtæ, niſi caſus neceſsitatis occurrat; nã in caſu neceſsitatis, licitum eſt dicere Miſsam

Locus Sacer requiritur.

extra

extra Ecclesiam, & extra domum, in quocunq; loco terræ (non autem in naui,) decente. Ita habetur *de consecrat, d.* 1. *cap.* 1.

Extra Ecclesiam non licet.

Collige 1. Sacerdotem celebrantem extra Ecclesiam sine iusta causa, peccare mortaliter, asserunt communiter DD. Et meritò quidem, ratione honoris, & reuerentiæ tanto Sacramento debitæ. Et violatur præceptum Ecclesiæ in re graui, & sub pœna graui, nō tamen sub aliqua censura: Quamuis Soto *in* 4. *d.* 1. *q.* 2. *a.* 3. putet non esse peccatum mortale, celebrare extra Ecclesiam, secluso scandalo, & contemptu. Sed prius veriùs, & securiùs est, si non subsit iusta causa, iusta autem causa est, vt multi audiant Missam.

Priuilegia Regularium in hoc an sint sublata.

Collige 2. Priuilegia quæ olim habebant Religiosi, vt possint celebrare in altari portatili, extra loca sacra, affirmant multi esse sublata. Vt Miranda *tom.* 1. *q.* 40. *art.* 9. citans Suarez. Sed Ledesma. 1. *p. c.* 20. *de Eucharistia*, & Rodericus *tom.* 1. *q.* 43. *a.* 4. *&* 5. negat esse abrogata priuilegia à Concilio Tridentino: Et subdit, Ex multis priuilegiis hodie id licere Religiosis, si Episcopus non prohibeat, (sicut potest prohibere.) Et sic possunt celebrare in domibus secularium, seruatâ debitâ decentiâ, & honestate, extra cameras, vbi dormiunt seculares, & in plateis, castris &c. Imò intra suos Conuentus possunt Regulares erigere altaria, & in eis celebrare cum decentia, idq; maximè vbi Fratres infirmi decumbunt, etiam in Camera Prioris. Ita Portel *Verbo Altare n.* 1. 2. *&* 3.

In Ecclesia polluta non licet

Dico 2. Vt licitè quis in Ecclesia consecrata, aut benedicta celebret, requiritur, vt non sit polluta. Patet, quia Ecclesiam esse pollutam, nihil est aliud, quàm ob aliquam rem, eius sanctitate indignam, in ea commissam, prohibitum esse ibi Diuina celebrari.

Quinque modis Ecclesia polluitur.

Nota Ecclesiam consecratam, aut benedictam, quinq; modis pollui posse. Primò per effusionem Sanguinis iniuriosam, Patet *ex cap. Si Ecclesia.* Circa quod aduerte, quòd Sanguis debet elici. in magna copia, non enim sufficeret duas, vel tres guttas elici. Deinde Ecclesia non polluitur per contactum Sanguinis, sed per actionem iniuriosam, quâ effusio causatur. Vnde si ex Ecclesia læsus egrediatur, antequam sanguis effundatur, illa nihilominùs polluetur: è contra verò si læsus extra Ecclesiam, eam ingrediatur, ibiq;

Sangui-

Sanguinem emittat, non polluetur: neq; sufficeret eam fieri supra tectum Ecclesiæ, aut in turri, aut in spelunca sub Ecclesia, vt notat Nauar. *c. 27. n. 256.*

Iniuriosa percussio.

Deniq; Hanc læsionem debere esse iniuriosam, vel saltem continere in se peccatum mortale, etsi propriè iniuriosa non sit, qualis esset illa, quâ quis alium consentientem aut etiam seipsum grauiter læderet, ita vt mortaliter peccaret, Ecclesiam violaret, secùs est de læsione casuali: aut ab amente, aut ob necessariam sui defensionem, aut quando parui pueri ex subita rixa excutiũt sibi cruorem ex naribus, ita Nauar. *c. 27. n. 256.* Violaretur etiam per effusionem Sanguinis, si reus iussu iudicis in Ecclesia vulneraretur: non sufficit ad hunc effectum aliquem grauiter in Ecclesia lædi, modò neq; Sanguis effundatur, neq; mors sequatur. Ita Coninch. *q. 83. a. 3. d. 1. n. 228.*

Secundò polluitur. Si aliquis in Ecclesia occideretur sine sanguinis effusione, V. G. per suffocationem, vel suspensionem. Ita habetur. *c. Proposuisti, de consecrat. Ecclesiarum.* 2. pollui tur.

Tertiò per effusionem illicitam humani seminis, in ea voluntariè factam, copiosam, & de qua vel publicè constet, vel confessione illius qui fecit, nam quamdiu res manet occulta, Ecclesia non est polluta. *capite Si Ecclesia, de consecrat. Ecclesiarum.* 3. pollui tur.

Quartò polluitur Ecclesia, si in ea sepeliatur excommunicatus denunciatus: aut publicus clerici percussor. *C. Consul. de Consec. Ecclesiarum.* 4. pollui-tur.

Quintò polluitur Ecclesia, quando in ea sepelitur paganus, siue infidelis non baptizatus. *c. Ecclesiã. 1. & 2. de consec. d.* 1. quod verum est, etsi sepultus sit infans ante Baptismum mortuus, & quâdo per se talis sepelitur; secùs esse si cum matre mortuus in ventre sepeliatur, quæ in Ecclesia sepelitur. Addunt hoc intelligendum esse quando infans fuit mortuus antequam mater sepeliretur; nam si adhuc viuat post mortem matris, debet hæc aperiri: vt puer possit saluari: quare aiunt si mater sepeliretur adhuc viuo infante, fore vt Ecclesia pollueretur. Ita Coninchus *loco citato n. 233.* Ratio est, quia tunc ille puer per sepulturam suffocaretur. Hi casus omnes 5. pollui-tur.

Nota.

omnes communes sunt Ecclesiæ consecratæ, & solùm benedictæ. Hinc.

Violata Ecclesia violatur cæmeterium. Collige 1. Violata Ecclesia, violari etiam cæmeterium ei annexum, non tamen è contra: quia accessorium sequitur principale. *c. vnico de consec. Eccl. in 6.*

Collige 2. Si interim dum Sacerdos celebrat, Ecclesia pollueretur, si pollutio fiat, antequam inceperit Canonem, debet desistere: Secùs est, si contingat post Canonem inchoatum, tunc enim debet pergere. Ita Coninchus *loco citato. n. 236.*

Episcopus reconciliat. Collige 3. Ecclesia consecrata violata, per solum Episcopum reconciliatur, nisi Papa hoc alicui simplici Sacerdoti committat. Secùs est quando solùm est benedicta, quæ potest reconciliari per simplicem Sacerdotem, lauando eam aqua exorcizata, vel benedicta, vt dicitur. *c. vltimo de consecr.*

Collige 4. Lapsis parietibus omnibus, vel magna ex parte, Ecclesia desinit esse consecrata. Secùs esset si manentibus parietibus integris, tectum, vel aliqua opera lignea comburerentur. *cap. ligneis de consecr. Ecclesiarum.* Ratio est, quia consecratio inhæret potissimùm ipsis parietibus.

Collige 5. Ecclesia violata reconciliatur per oblationem primam Sacrosancti Sacrificii, V. G. Si Sacerdos nesciens esse pollutam celebraret Missam, iam esset reconciliata. Ita Sa *Verbo Ecclesia. num. 19.*

QVÆRES II.

Qua ratione requiratur tempus ad Sacrificium Missæ?

Omnibus diebus potest esse sacrificium. Dico 1. Omnibus impedimentis sublatis, & requisitis adhibitis, licitum est quolibet die celebrare, exceptis tribus vltimis diebus hebdomadæ Sanctæ. Hæc Conclusio est contra Lutheranos, asserentes Missas priuatas illicitas esse, nec aliás Missam celebrari posse, quàm quando est populus ad communicandum. Ratio eorum est, quia putant Missam, non esse verum sacrificium. Sed hæc ratio eorum refutata est, *Articulo. 3.*

Dixi *Exceptis tribus vltimis diebus &c.* quia feria 5. cænæ Domini, licitum omnibus Sacerdotibus celebrare, secluso scandalo,

&in

& in secreto, cùm de nullo iure prohibeatur. Ita Sotus. *in 4. dist.* 13. *q. 2. a. 2. ad 2.* Suarez. *tom. 3. disp.* 80. In die autem Parasceue celebrare, neque publicè, neque secretò licet, sub peccato mortali. Patet *ex cap. Sabbato de Consec. d. 3.* Sabbato autem Sancto putant aliqui posse celebrari priuatim, & occultè, saltem ab ea hora, in qua incipit solenne paschale officium, ob rationabilem causam. Vide Gauantum *p. 4. titulo* 10. *à num.* 42. Licet autem his tribus diebus in singulis Ecclesiis celebrare vnum sacrum solenne.

In die Cœnæ an possit fieri Missa.

Dico 2. Licitum est celebrare bis in die, ob iustam causam, quas causas enumerabimus. *Articulo* 10. *Quæsito* 2. *conclusione* 3. In die verò Natiuitatis, celebrantur communiter à Sacerdotibus tres Missæ, prima in media nocte in memoriam æternæ, ac incomprehensibilis generationis filii Dei, alia in aurora ob memoriam generationis per incarnationem, tertia ante meridiem, in memoriá spiritualis generationis per gratiam.

Bis in die an liceat

In die Natiuitatis Domini cur tres Missæ.

PETES *An possint tres Missæ celebrari in nocte Natiuitatis Domini ante auroram?*

Respondent Syluester, Angelus *Verbo Missa. n.* 46. Nauar. *c.* 25. *n.* 5. & alii negatiuè. Tū quia in Rubricis Missalis ita statuitur. Tum quia in Canone pro prima Missa dicitur, *Communicantes, & noctem Sacratissimam celebrantes:* pro aliis verò duabus, ponitur, *& diem Sacratissimum celebrantes.* Alii contrariam opinionem asserunt, nimirum posse. Ita Rodericus *c.* 249. *num.* 5. Suarez. *disp.* 80. *Sect.* 4. Layman. *libro* 4. *t.* 5. *c.* 4. *n.* 2. Ratio est, quia *in cap. Nocte sancta, de Consecr. dist.* 1. absolutè conceditur, vt nocte Natiuitatis, Missæ celebrentur, sine vlla restrictione. Sed ego suadeo attendendam esse consuetudinem, circa Missas priuatas. Ad primū prioris opinionis prædictas Rubricas intelligendas esse de Missis Conuentualibus, non priuatis. Ad secundum verò argumentum. Dico, quòd verba sæpè non referuntur ad tempus in quo dicuntur, sed ad illud pro quo repræsentando, & commemorando dicuntur; Vnde etiam in prima Missa, si ante meridiem celebretur posse dici. *Et noctem Sacratissimam celebrantes.*

An ante auroram dicendæ.

PETES 2, *In qua hora Sacerdotes possint incipere Missam.*

Qua hora celebrandum.

Respondeo Ab initio auroræ vsq; ad meridiem. Ita communiter Doctores: intra quod tempus pro Missis priuatis, quauis hora est apta, pro solennibus verò seruandum est tempus, quouis loco, consuetudine præscriptum, maximè in Ecclesiis collegiatis iuxta Rubricas Missalis. Vide Trident. *Sess.* 22.

Nota Aurora dicitur, quando aer incipit irradiari per primam solis irradiationem, vel paulò ante quadrantem, aut per dimidiam horam, non enim hoc debet consistere in indiuisibili, quia in Moralibus, parum pro nihilo reputatur. Ita cum S. Thoma *in* 3. *p. quæst.* 83. *communiter Theologi*; & cum Doctor. Subtili *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *n.* 13. & communiter Canonistæ. Hinc.

Collige 1. Ante istud tempus non licet celebrare sine priuilegio, vel sine iusta causa, iusta autem causa est iuxta DD. susceptio itineris ob honestam causam, quod Layman *loco citato* non admittit: pro communicando verò infirmo licet celebrare statim post mediam noctem. Ita Layman. *loco citato*; Victoria *de Eucharist. n*- 95. Nauar. *c.* 25. *n.* 85. testatur in Gallia introductam esse consuetudinem, vt hyeme vna hora, ante auroram celebrentur sacra propter operarios, quod in Polonia, multò magis admittendum est, vbi hyeme sol serò oritur, alioquin famuli, non possent audire sacra.

Religiosi habent priuilegia.

Collige 2. Religiosi per priuilegia, possunt vnâ, aut duabus horis celebrare Missam ante auroram, quæ priuilegia refert Rodericus *tom.* 1. *q.* 43. Portel. *Verbo Missa in Addit. n.* 6.

PETES 3. *In qua hora diei possit Sacerdos finire Missam?*

Respondeo Vsq; ad meridiem inclusiuè; Vasquez. *tom.* 3. *disp.* 232. *c.* 4. *n.* 37. asserit posse incipi Missam, non multò post transactam meridiem, nimirum post mediam horam vel tres quadrantes, in iusta causa sine priuilegio. Religiosi verò ex suis priuilegiis, possunt celebrare duabus horis post meridiem. Ita Rodericus loco citato. *a.* 1. 2. 3.

QVÆRES III.

Qua ratione ad hoc Sacrificium requirantur vasa?

Respon-

Respondeo Requiritur patena, & calix consecratus, & chrismate perunctus ab Episcopo, confectus ex auro, vel argento, vel stanno, non ex aurichalco vel ære. Ita habetur. *c. vt calix de consecr. dist.* 1. Dixi *Ab Episcopo consecratus*, quia simplex Sacerdos, non potest consecrare, nisi ex commissione Papæ: Abbates verò habentes priuilegium insigniorum Pontificalium possunt Calices consecrare, vbi talis consuetudo est recepta; hæc autem consecratio durat, quamdiu hæc vasa integra manent. Dixi *ex auro &c.* Sed si paupertas non permittat, videtur sufficere in calice, vt ipsa cupa, quæ cõtinet Sanguinem sit ex auro, vel argento, vel stanno, pes verò calicis potest esse ex ære, aut simili materia. Dixi non ex aurichalco, vel ære, ne vomitum prouocet, neq; potest confici ex ligno. Requiritur præterea ad Calicem, tegumentum, quo calix immediatè, quod debet esse ex lino saltem ab vna parte, quá calicem contingit. Ita Suarez. *disp.* 81. *Sect.* 8. Coninchus *q.* 83. *a.* 3. *dub.* 3. Calix qualis esse debet.

PETES 1. *Quandonam calix & patena amittant consecrationem?*

Respondeo amittere quando notabiliter franguntur, vt non possint seruire ad vsum præfixum. An autem amittatur consecratio calicis per hoc quando aurum quod interius cupæ adhæret, deteritur, & iterum postea deauratur calix, vel patena: negat Layman. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 7. Coninchus *loco citato. num.* 246. affirmat Aretinus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a. vnico.* Bonacina *disp.* 4. *q. vlt. p.* 9. *n.* 19. Angelus, Syluester *Verbo calix & alij.* & hæc est probabilior, quia consecratio fit propter contactum corporis, & Sanguinis Domini, id autem in quo fieret contactus post deaurationem, non est consecratum. Ergo consecrandum est. Calix quãdo amittit consecrationem

PETES 2. *An consecratio calicis amittatur, si calicis consecrati cupa separetur à pede?*

Respondeo Si calix à principio sic elaboratus est, vt posset ad libitum separari cupa à pede, vt accidit in calice tornatili, non amittit consecrationem; si cupæ separatio fiat cum fractione, amittit, ita DD. citati. Sicut si calix argenteus postea deauretur, amittit consecrationem, quia amittit formam antiquam, & physicam, & moralem.

PETES 3. *An vasa sacra possint ab omnibus tangi?*

Calix & alia vasa sacra non debent tangi à laicis.

Respondeo Calix, patena, corporalia, pallæ, & alia quæ attingunt corpus Christi Domini, ob reuerentiam non debent tangi à laicis, multominùs à fœminis, etiam Monialibus, quibus iura vetant horum contactum. Imò neq; Clerici in minoribus constituti, attingere possunt absq; priuilegio. Porrò in Religionibus habentur priuilegia, laicos, & clericos deputatos pro Sacristia, posse vasa sacra attingere. Ita Roder. *tom.* 2. *q.* 123. *a.* 2.

PETES 4. *Vtrum pyxis in qua seruatur Eucharistia, debeat esse consecrata?*

Pyxis benedicenda

Affirmat Aretinus noster loco citato. Suarez. *disp.* 87. *Sect.* 3. Coninchus *loco citato. n.* 245. dicit. *Id admodùm decere.* Negat Sotus *in* 4. *d.* 23. *q.* 1. *art.* 3. Vasquez. & alii. Sed in nostra Polonia prior opinio practicatur, quia & in Pontificali pro ipsa benedictio habetur. Vel si ponitur in pyxidem SS Sacramentum, imponitur palla aliqua, ex lino confecta, & ad instar corporalis benedicta, intellige quando pyxis non est benedicta. Ita Vasquez. *in* 3. *p. disp.* 233. *c.* 4. *& alij.* Ex dictis.

Nota.

Collige 1. Sacerdos casu celebrans in calice, & patena nondum consecrata, & in vestimentis nondum benedictis, per hanc celebrationem iam consecrata remanent, neq; indigent alia benedictione. Ita Sa. *Verbo Ecclesia.* Castrus *lib.* 2. *de legibus* Negatiuam opinionem tenet. Portel. *Verbo Ecclesia. n.* 5. Fagundez. *tract.* 1. *lib.* 3. *c.* 21. Vtrumq; est probabile.

Collige 2. Etsi vsus inualuerit, vt nemo, qui saltem non sit Subdiaconus attingere audeat vasa Sacra, tamen attingens sine cōtemptu, etiam laicus ob paruitatem materiæ solùm venialiter peccat.

QVÆRES IV.

Quænam, & quot vestes requirantur ad Sacrificium?

Sex vestimenta requiruntur

Respondeo Iuxta communem opinionem DD. Sex vestimenta necessaria ad Sacrificandum, nimirum amictus, siue humerale, alba, cingulus, manipulus, stola, & planeta, seu casula. Essetq;

peccatum

peccatum mortale aliquid horum omittere, nisi in aduertentia excuset. Vnde non posse moraliter loquendo occurrere casum, in quo liceat celebrare sine vllis vestibus sacris, ne quidem si metus mortis vrgeat, vt docet Caiet. 1. 2. *q.* 69. *a.* 4. quia moraliter loquendo vix fieri potest, vt quis ad ita celebrandum, velit alium cogere, nisi in contemptum Ecclesiæ, quo casu esset peccatum mortale ei parere. Non esset tamen ille condemnandus peccati mortalis, qui die festo, vt populus audiat Sacrum celebraret sine cingulo benedicto; quo casu ait Nauar. *c.* 25. *n.* 84. licere vti stola pro cingulo, & manipulo pro stola. Vide Suarez. *d.* 87. *Sect.* 3. Coninchum *q.* 83. *a.* 3. *d.* 3.

PETES 1. *Hæ vestes quando amittunt benedictionem?* Quandò amittunt benedictionem.

Respondeo Quando ita franguntur, vt non sint aptæ ad suum vsum, aut non ampliùs priorem retineant figuram, Ex quo infertur, Albam indigere noua benedictione, si ex ipsa abscindatur manica, quamuis illi eadem manica assuatur. Ita Angelus *Verbo Benedictio num.* 3. Syluester *num.* 6. Item cingulus si ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem; secùs si longior pars adhuc sufficeret. Aliqui tamen putant etiam in prima fractione, licere partibus simul nexis vti. Ita Sa *loco citato. n.* 12.

PETES 2. *Quis Præfata apparamenta possit benedicere?* Quis possit benedicere.

Respondeo Prælati Regulares, eorumque Præsidentes post 24. horas elapsas post absentiam Prælatorum, per multa priuilegia variis Ordinibus concessa, possunt licitè benedicere Ecclesias, Oratoria, Cæmeteria, corporalia, & alia quæcunque ad Diuinum cultum pertinentia, vbi Chrisma non interuenit: & hæc facere poterant, non solùm pro vsibus suis, sed etiam pro alienis ex concessione Innocentii VIII. vt refert Rodericus *tom.* 1. *q.* 19. *a.* 2. Hanc potestatem per Bullam limitauit Vrbanus VIII. 1629. quòd prædicti Prælati Regularium, non possint prænominata benedicere pro vsibus alienis, sed solùm pro suis. In partibus verò Indiarum Prouinciales, & ii qui ab eis fuerint deputati, habent facultatem benedicendi, etiam Calices in absentia Episcoporum.

PETES 3. *Quid aliud requiritur in Sacerdote præter vestes præfatas?*

Respon-

Requisita in celebrante.

Respondeo Requiritur Primò, vt Sacerdos accedat ad celebrandum vestibus benè compositis, ne scandalum inducat astantibus. Requiritur 2. Ne cooperto capite celebret, saltem tempore consecrationis, nisi aliter cogat necessitas morbi, nec facilè possit dispensatio obtineri, in tali enim casu non esse peccatum mortale, celebrare cooperato capite, extra Canonem, secluso scandalo, & contemptu, sine licentia. Hanc autem licentiam olim concedere poterant Episcopi, modò verò spectare ad Papam docet Gauantus in comment. ad Rubricas Missalis. *tom.* 1. *p.* 2. *titulo.* 2. *litera.* F. & ita declarâsse sacram Cardinalium congregationem super negotia Episcoporum die 2. Ianuarii Anno 1590. & Sacram Rituum Congregationem 31. Iulii. 1626. affirmat. Requiritur 3. vt Sacerdos sit calceatus, vel habeat Sandalia, quia honestas hoc requirit. Requiritur 4. Liber seu Missale, in quo saltem totus Canon contineatur, dicuntq; graues authores esse peccatum mortale, sine eo celebrare. Ita Coninch. *loco citat. n.* 250. Nauar. *c.* 25. *n.* 84. Ratio est, quia quamuis aliquis sciat totum Canonem memoriter, facilè tamen posset contingere, eum aliquo casu, vel distractione turbari, vt non occurreret quid dicendum sit, & sic cogeretur aliquid omittere, quod non licet. Deniq; Requiritur Crux, quamuis qui sine illa celebraret, non videatur reus lethalis culpæ, tamen quantùm fieri potest non omittatur.

Addunt aliqui teneri Sacerdotem preces præscriptas recitare, dum se vestibus Sacris induit, sub peccato mortali. Sed hoc nimis esse rigorosum affirmat noster Aretinus *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 10. & Henriquez. *lib.* 9. *cap.* 24. *ad finem.* Cauere tamen debet Sacerdos, ne omittat: quòd si ex contemptu omitteret, peccaret mortaliter.

QVÆRES V.

Qua ratione requiratur ad hoc Sacrificium altare, eiusq; ornatus

Dico 1. Vt licitè hoc Sacrificium offeratur, necessarium est altare lapideum, Chrismatis vnctione ab Episcopo consecratum, integrum

integrum, & non enormiter fractum. Ita omnes Doctores, & patet ex praxi Ecclesiæ. Nec vllo priuilegio sine speciali Pontificis concessione, licet celebrare sine eiusmodi altari, quod præcepisse fertur S. Syluester, cùm antea ligneis altaribus vterentur, vt legitur in eius vita. Pro intelligentia. *Altare lapideum integrum requiritur.*

Nota 1. Altaria quædam sunt stabilia, quæ alicui loco affixa sunt, quæ priùs eriguntur ac firmantur, quàm consecrentur, ideoq; amittunt suam cõsecrationem, vel per enormem fractionem, vel per solam amotionem à basi cui affixa sunt. Quædam sunt mobilia, quæ confecta sunt, vt possint in diuersa loca transferri, & per se consecrantur, & hæc vocantur Altaria portatilia. *Altaria alia stabilia alia mobilia.*

Nota 2. Quando altare firmum, seu lapis integer, qui toti Altari superimponitur est consecratus, non opus esse Altari portatili, si verò lapis non est consecratus, opus est Altari portatili consecrato. Porrò Altare portatile, non potest fieri ex duobus lapidibus inuicem colligatis, sed ex vno integro, sic enim consuetudine receptum est, ad vnam personam in Christo Domino indicandam. Ita Syluester *Verbo Altare q.* 3. Vasquez. *disput.* 233. *cap.* 2. *n.* 16.

Nota 3. Vt Altare sit legitimum, necessariò debet ei inesse tale sigillum, siue loculus cum Reliquiis. Ita affirmat Syluester *V. Altare n.* 1. *& alij*, quod probant *ex cap. Placuit de consecrat. d.* 1. & ex Synodo septima. Sed aliqui respondent olim ad consecrationem altarium necessarias fuisse Reliquias, consuetudinem tamen euicisse contrarium, affirmat Coninchus *n.* 241. eò quòd in tanta altarium multitudine impossibile sit Reliquias vbiq; haberi : optimum tamen est vt semper procurentur. *Sigillum & Reliquiæ.*

PETES *Quando Altaria amittunt consecrationem?*

Respondeo Aliqui dicunt quòd tunc, quando dissoluitur à ligno, cui inclusum est. Sed alii probabiliùs contrarium asserunt, quia illud lignum non adhibetur lapidi, vt det ei formam, (sicut aliqui putant) sed solùm ad ipsius ornatum, & faciliorem eius conseruationem. Ita Sa *Verbo Altare*. Coninchus *num.* 239. Aliqui dicunt violari vtrumq; altare, per fractionem, vel amotionem sigilli, vel sepulchri, in quo reconditæ sunt Reliquiæ, quod probant *ex capite* 1. *Altare quando amittit cõsecrationẽ*

pite 1. *de Consecr. Ecclesiarum*. Sed in hoc capite, hoc non habetur, sed solùm ibi dicitur, Altare amittere consecrationem, si tabula eius, vel mensa, in qua est sigillum frangatur, non quia sigillum frangitur, (potest enim ea fractio fieri, etsi sigillum maneat integrum) sed quia mensa, seu basis, seu lapis frangitur, qui per se immediatè consecrantur. Ita Sa *loco citato*. Hinc.

Altare portatile quale esse debet.

Collige 1. Altare portatile debet esse tantæ longitudinis, & latitudinis, vt capere possit pedem calicis, & hostiam seu patenam, vt possint post consecrationem supra illa collocari. Quòd si frangatur notabiliter, ita vt neq; calix, neq; patena cum hostia, in neutra parte fracti Altaris possit commodè collocari, tunc amittit consecrationem: quòd si altera pars lapidis talis remaneat, vt possit vtrumq; capere maiori ex parte, potest fieri Sacrificium in tali parte remanente, Ita communiter DD.

Collige 2. Licet lapis non frangatur, sed solùm amoueatur ab inferiori structura amittit consecrationem. *cap. si motum de consecrat. d.* 1.

Nota casus.

Collige 3. Si templum comburatur, & altare integrum remaneat, potest reædificata Ecclesia, cum licentia Episcopi, in tali altari fieri consecratio.

Collige 4. Eo die quo Episcopus Missam celebrauit in aliquo altari, non licet celebrare alteri Sacerdoti in eodem altari, absq; consensu Episcopi. *cap. finali de consecrat. d.* 2. Ita Bonacina *loco citato. n.* 16.

Collige 5. Olim consuetudo fuit, quòd altaria maiora in Ecclesiis, versus orientem ponebantur, vt fideles ad illud conuersi, versus orientem orarent, sed hæc consuetudo non fuit ex præcepto, sed ex decentia, & ideò non est necesse vt semper, sed quando commodè potest.

Quot mappæ requiruntur,

Dico 2. Debet altare sterni, vt minimùm duplici mappa linea, vel vna duplicata, communiter tamen tres mappæ ponuntur, vel vna mappa, & duæ tobaliæ, quæ debent esse lineæ, vt constat ex iure. Præterea debet apponi à Sacerdote corporale linteum, ab Episcopo pro secularibus, & pro Regularibus, à Prælato benedictũ, quod non

quod non debet esse intertextum auro, vel serico, maximè vbi re-
ponendum est corpus Christi Domini. Hæc corporalia sancitum
est *in cap. Nemo de consecr. d.* 1. vt lauentur à Sacerdote, vel Diaco- Corporale
no, & lotio mittatur in piscinam, quod intellige quoad primam
lotionem, nam quoad secundam posse fieri à fæminis, præsertim
virginibus tradunt DD. Hoc idem procedit in purificatoriis.
Addo Adhibentes corporalia immunda, peccant grauiter,
quia faciunt contra reuerentiam, tanto Sacramento debitam in re.

QVÆRES VI.

An requiratur lumen, & ministrans ad Sacrificium?

Quantùm ad lumen. Dico Necessarium est lumen in altari, dū Lumen requiritur.
Missa celebratur. Patet *ex cap. vltimo de Celebratione Missarum.* vbi
inter alios grauissimos cuiusdam Sacerdotis excessus numeratur,
quòd sine igne celebrauerit. Circa Lumen Nota. Etsi absolutè
loquendo sufficiat, vt vna candela accendatur, tamen quantùm fi-
eri potest decentia requirit, vt sint ad minimùm duæ Candelæ, eæq;
cereæ: quia aliis vti minùs decet, & esset contra consuetudinem
Ecclesiarum, maximè in Regno Poloniæ, vbi per Dei gratiam est
abundantia ceræ.

Quantùm ad Ministrantem. Dico Sacerdos celebrando Missam Ministrās debet adesse masculus.
sine Ministro, peccat mortaliter, iuxta Bonacinam *d. 4. q. vlt. p.*
9. *num.* 33. qui citat alios, rationemq; assignat: quia ritus ab Eccle-
sia præscripti sunt seruandi. Porrò noster Aretinus *in 4. d. 13. q. 2.*
a. 5. & alij. asserunt, in magna necessitate, qualem esse dicunt diem
festum, vel ob communicandum infirmum, celebrationem Missæ
sine Ministro esse licitam. *An autem ministrans debeat esse quoad respon-
sionem in casu necessitatis masculus, vel fæmina?* Respondet Bonacina *lo-
co citato. n.* 33. potiùs esse celebrandum sine ministro, quàm vt fæ-
mina accedat, & ad ministerium altaris adhibeatur, Ita habetur *c.
1. de Cohab. Clericorum, & mulierum.* Et licet fæminæ remotè respon-
deant, vt moniales in choro, tamen proximè masculus assistere al-
tari debet. Non reticenda est quorundam opinio, asserentium in ca-
su necessitatis posse fæminam ministrare. Sed in citato iure dicitur.

Fæminæ non ministrent.

Nulla fæmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare. Ergo ista opinio non debet, neq; potest fæminis etiam deuotulis in hoc casu fauere.

PETES *Ad quid obligatur minister ministrans in Missa?*

Ministri officium.

Dico 1. Minister sine sollennitate ministrans, tenetur ea præstare, adquæ adhibetur, adhibetur autē ad inseruiēdū, & respōdendū iuxta Ecclesiæ præscriptum. Vnde grauiter peccat si in iis deficiat, ad quæ adhibetur, iuxta aliquos, sed excusari potest ratione leuitatis materiæ; si tamen materiam ineptam tradat Sacerdoti propriâ culpâ, grauiter peccat peccato sacrilegii. Ita Suarez. *d.* 87. *Sect.* 2. Bonacina *loco citato. n.* 36.

Dico 2. Ministri siue ex obligatione, siue voluntariè ministrantes solenniter, tenētur ministrare iuxta ritum ab Ecclesia præscriptum, adhibendo vestes præscriptas, & seruando omnes cæremonias, tam in verbis, quàm in actionibus, quorum omissio, si absit contemptus, esset solùm veniale ex inaduertentia.

Dico 3. Diaconus, & Subdiaconus ministrans solenniter ad Sacrificium Missæ in peccato mortali, non peccat mortaliter. Ita Soto *in* 4. *d.* 1. *q.* 5. Suarez. *d.* 16. *Sect.* 3, *& alij.* contra Angelum, & Syluestrum. Ratio est, quia ista actio quæ in hoc ministerio exercetur, non est illo speciali modo consecrata, & sanctificata, quo actiones Sacramentorum: si quis tamen consuetudinem habeat semper ministrandi in peccato mortali, sine vlla contritione, non esset excusandus à peccato mortali, quia talis consuetudo videtur ex contemptu formali, vel saltem virtuali procedere.

ARTICVLVS IX.

De Stipendio pro celebratione Missæ.

Quidam negant simpliciter vllum stipendium posse accipi. Quidam negant diuites Sacerdotes, posse vllam Eleemosynam accipere pro Missa. Quidam Parochos negant vllum stipendium posse accipere, quia tenentur Missas celebrare pro Parochianis.

QVÆRES PRIMO.

An Sacerdotes possint accipere stipendium pro Missa, ad sustentationem honestam?

Dico

Dico 1. Potest Sacerdos licitè accipere Eleemosynam, cum obligatione dicendi Missam pro eo, qui dat. Ita D. Subtilis *Quodlibetica* 20. Estq; communis DD. & patet ex communi praxi Ecclesiæ. Ratio est, quia non datur stipendium pro ipsa Missa, sed pro sustentatione celebrantis, iuxta illud 1. *Corinth.* 9. *Qui altari deseruiunt, de altari viuant*: debent enim illi qui spiritualia ministrant ali ab iis, quibus ministrant, *Operarius enim dignus est mercede sua.* Lucæ 10. Sicut enim miles alitur ab iis, quibus militat: ita & hîc. Quare licet in Sacris literis appelletur id, quod datur Sacerdotibus, merces, & stipendium, non tamen habet propriam rationem mercedis aut stipendij, sed quia laborantibus in vinea Domini, non minùs debetur iusta sustentatio, quàm temporalibus operariis debetur merces, & stipendium: non quòd Sacerdos recipiat stipendium tanquam pretium Sacrificij, sed pro sua sustentatione, aut pro labore extrinseco, aut pro obligatione celebrandi in tali loco, vel tempore; ista enim sunt pretio æstimabilia: Quare c. *Pactiones de Pactis.* solùm damnantur pactiones, in quibus spiritualia dantur pro temporalibus, non autem pro honesta sustentatione; quæ licitè exigi potest. Licitè potest accipi stipendium.

Dico 2. Etiam diuites Sacerdotes, habentes pingue beneficium, aut patrimonium, licitè accipere possunt Eleemosynam, pro celebratione Missarum. Ratio est, Tum quia inseruiunt altari. Tum quia sicut miles non tenetur gratis militare, quamuis aliunde habeat, vnde se sustentare valeat; ita Sacerdos non tenetur Missam celebrare sine stipendio. Ita Rodericus *cap.* 252. *num.* 4. Suarez. *d.* 86. *Sect.* 3. Nauar. *cap.* 13. *num.* 101. Nisi fortè Missas teneantur ex institutione celebrare, cum obligatione, sine vllo stipendio. Diuites Sacerdotes possunt.

Dico 3. Parochi possunt stipem exigere ab aliquo, & pro ipso Sacrificium Missæ offerre, illis diebus, quibus non tenentur ex obligatione pro suis ouibus offerre, vel applicare. Ratio est, quia sicut cæteri Sacerdotes non habentes onus Missæ applicandæ, possunt Eleemosynam accipere, ita & Parochi. Vide dicta *in Articulo* 9. Q. 8. Et licet ratione decimarum tantùm teneantur Sacramen- Parochi potent.

cramenta administrare, concionari, & debito tempore celebrare, tamen æquitas postulat, vt aliquando pro ouibus orent, & sacrificia offerant, & sic dum pro ouibus celebrant, nouas Eleemosynas pro Missa accipere non possunt. Idem dicendum de Canonicis, quod est dictum de Parochis. Hinc.

Collige Sacerdotem non posse vnicâ Missâ pluribus satisfacere, à quibus accepit Eleemosynam, etiamsi plures collectas recitet, cùm additio Collectarum, non æquiualeat valori Missæ. Ita Bonacina *disp. 4. q. vlt. p. 8. n. 3.*

QVÆRES. II.

Quantam Eleemosynam possit recipere Sacerdos pro Missa?

Quantum stipendium debeat accipi.

Respondeo Tantam, quanta est præfixa per Episcopum, vel per legitimam consuetudinem. Ita *communiter* DD. Ratio est, quia sicut in temporalibus iustum pretium rerum venalium est illud, quod auctoritate Principis, vel per consuetudinem, aut iudicio prudentum est constitutum: ita illa est iusta Eleemosyna pro celebratione recipienda, quæ conformis est taxæ ab Episcopo præscriptæ, vel per consuetudinem receptæ, vel à prudentibus constitutæ. Inde.

Collige 1. Episcopos posse statuere quantitatem Eleemosynæ, ita vt laici non dent minus, neq; Sacerdotes maius exigant, hoc enim expedit ad vitanda scandala, quæ facilè possint suboriri in exigendis stipendiis. Ita Corduba *l. 1. q. 4. d. 4.* Suarez. *disp. 86. Sect. 2.* Bonacina *n. 9.*

Collige 2. Episcopos non posse statuere, ne Sacerdotes maius stipendium accipiant, nam occluderetur via liberalitati, pietati, & charitati. Ita Bonacina *ibidem n. 10.* Barbosa *in Remissionibus in Trident. Sess. 22. c. 22.*

Collige 3. Sacerdos exigens stipem supra taxam importunè ab inuitis, peccat mortaliter, & obligatur ad restitutionem: secus est si ei ex liberalitate detur, quia excessus censetur ei donari. Ita Rodericus *c. 251. n. 4.*

PETES I. *An possit Sacerdos pro vna Missa accipere stipendia plura à pluri*

à pluribus. V. G. vnus dat grossos 7. & alius 8. vel tot, quod sufficiant ad eius sustentationem?

Respondeo Multi Doctores olim tenuerunt opinionem affirmatiuam. Sed hæc opinio modò corruit per sacram Congregationem *in Decretis* §. 3. vbi sub obtestatione Diuini iudicii, mandatur, ac præcipitur, vt absolutè tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ Eleemosynæ præscriptæ fuerint, V. G. si aliquis dat Sacerdoti grossos 6. pro Missa, iam Sacerdos acceptans, obligatur ei applicare totam Missam, aliás grauiter peccaret, & obligaretur ad restitutionem. Istam opinionem negatiuam ante decisionem Sacræ Congregationis docuerunt D. Subt. *Quodlib.* 20. §. *Si autē teneatur.* Aretinus *in 4. d. 13. q. 2. a. 6.* Miranda, Suarez. Vasquez. Bonac. *loco citato. p. 7. §. 2. n. 8.* Notá responsioné.

PETES 2. *An Sacerdos titulo paupertatis, possit aliquid supra taxam communem exigere?*

Respondeo Negatiuè. Ratio est. Tum quia Missæ Sacrificium, non est institutum ad sustentandam Sacerdotis vitam, nam Sacerdos promoueri nequit, nisi habeat patrimonium sufficiens, vt patet ex *c. Non licet.* & *cap. Episcopus de præbendis.* Tum quia sicut paupertas, non tribuit alicui ius vendendi supra taxam communē: ita & in proposito. Tum quia non est iustum, vt Sacerdos, qui operam suam locat solùm ad semihoram, in qua totum Missæ Sacrificium absoluit, exigat integrum cibum diurnum, cùm tantùm per semihoram laboret. Ita Rodericus *c. 252. n.* 4. Corduba *lib. 1. q. 4. d. 2.* Suarez. *d. 86. Sect. 4.* Supra taxam non licet plus exigere.

PETES 3. *An Sacerdos in diebus festiuis, possit accipere pro vna Missa duplicatum stipendium.* Nota varios casus.

Affirmatiuam opinionem multi tenebant cum Bonacina *disp. 4. q. vltima. p. 8. n. 13.* Sed contrarium est definitum à Sacra Congregatione Cardinalium in Decretis §. 3. ac proinde non est modò licitum post declarationem istam, *de Celebr. Missarum.*

PETES 4. *An peccent Sacerdotes, qui vnâ solum Missâ, volunt multis satisfacere?*

Respondeo Sacerdotes accipientes plura stipendia pro Missis pluribus

pluribus, non satisfaciunt vnâ Missâ, peccantq; mortaliter, & ad restitutionem obligantur. Ita Corduba *lib.* 1. Petrus Nauarra *c.* 2. *de Rest. n.* 263. Rodericus 251. *n.* 4.

PETES 5. *An Sacerdos accipiens pro dicenda Missa ab amico duplicatum stipendium, possit per alium Sacerdotem satisfacere dato ei iusto stipendio?*

Respondeo Vel illud duplicatum stipendium datum fuit præcisè, & simpliciter pro Missa, vel datum fuit non solùm pro Missa, sed etiam intuitu Personæ, quia amicus, vel consanguineus: si primò modo, non satisfacere, secùs si secundo.

Plus accipiens non debet dare alteri minus pro Missa.

PETES 6. *An Sacerdos qui Eleemosynam accepit, pro dicendis Missis, possit postea per alios satisfacere minori stipendio, sine peccato, & onere restitutionis?*

Respondeo Multos graues Doctores opinioni affirmatiuæ adhæsisse. Sed modò Sacra Congreg. *in* §. 5. sustulit. Vbi ait. Omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, cum certa Eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem Eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat. Ante hanc decisionem, tenuit hanc opinionem noster Rodericus *tom.* 4. *c.* 52. *n.* 2. *& alij.*

An autem prædicta prohibitio extendatur ad Capellam, cui pro paucis Missis dicendis, pingue stipendium respondet; si per alium Sacerdotem sacra efficiantur, data ei stipe iusta, & consueta.

Respondeo Quòd decreta prædicta in hoc casu non extenduntur, quia illud reliquum retinetur titulo beneficii, & Capellaniæ, non enim tribuitur tantùm pro Missis dicendis. Ita Ledesma *tom.* 1. *de Euchar. c.* 19. *Concl.* 13.

Suam partem alteri applicare non debet Sacerdos.

PETES 7. *An Sacerdos possit duplex stipendium pro vna Missa accipere, applicando vni partem solitam, & alteri suam partem?*

Respondeo Negatiuè. Ratio est, quia hæc specialissima pars valoris ex sua natura pertinet ad Sacerdotem, & sicut valor generalis, qui Ecclesiæ debetur, non potest alteri applicari, ita neque hic valor Sacerdoti competens. Quare Doctor Subtilis *in Quodlibetica* 20. §. *De primo est.* dicit fortè peccare mortaliter Sacerdotem, si

rem, si suum valorem alteri applicare velit. Alii oppositum tenent, sed probabilior prima opinio.

QVÆRES II.

Quinam possint Missas ad minorem summam reducere, post Concil. Tridentinum, relictas?

Reductio Missarum ad quem spectat.

Respondeo 1. Episcopos id posse multi docuerunt: Sed modo in decreto contrarium decreuerunt Cardinales *in* §. 2. & ante docuerunt Rodericus *in QQ. Regul. tom.* 1. *q.* 43. *a.* 13. Mirãda *tom.* 1. *q.* 41. *a.* 4. Quare Episcopi solùm possunt reducere Missas ad summam minorem, si ante Concilium erant impositæ: illas verò quæ sunt post Concilium relictæ, neque in Synodo possunt reducere ad summam minorem, maximè vbi est Concilium Tridentinum receptum. Ita Miranda *tomo citato. art.* 24. *& alij.* Barbosa *de potest. Episc. p.* 2. Nauar. *c.* 25. *n.* 138.

Respondeo 2. Prædicta facultas moderandi Missas comprehendit etiam anniuersaria, & officia pro defunctis. Ita respondit Sacra Congregatio Archiepiscopo Neapolitano, vt refert Naldus *Verbo Missa n.* 10.

Generales ordinum quid possint.

Respondeo 3. Generales Ordinum, per priuilegia poterant dispensare, vt certarum Missarum, cum multis collectis celebratione, plurium Missarum oneribus Regulares subditi satisfaciant. Sed modò Sacra Congregatio *in supra dicto Decreto* §. 4. reuocauit similia priuilegia, & indulta.

PETES *An teneatur Sacerdos per alium satisfacere oneri quotidianæ celebrationis, dum praua vtitur valetudine?*

Infirmi an sint liberi

Respondeo Præcisâ consuetudine, aut decretis, si infirmitas breuis est, V. G. quindecim dierum, non tenetur: si autem sit longior, V. G. duorum, aut trium mensium, non est immunis ab obligatione celebrationis per alium aut ab onere restituendi mercedem hæredibus, quam pro celebratione Missarum accepit. Ita Bonacina *d.* 4. *p.* 8. *n.* 17. *vbi citat multos* DD.

Collige Posse Religiosos Sacerdotes recipere stipendia pro Missis celebrandis, illa quæ communi lege, aut consuetudine sunt taxata

taxata, & quæ à viris timoratis, peti, & dari solent, exceptis illis Religiosis, quibus ex vi Regulæ, vel Constitutionum prohibitum est accipere stipendium pro Missis, vel aliis actionibus. Ita Suarez. *disput.* 86. *Sect.* 2. Sanchez. *lib.* 7. *in Decalogo cap.* 28. *num.* 7.

Gratis promittens, & non absoluens Missam, an peccet.

PETES 1. *An Sacerdos sit securus in conscientia, qui animo obligandi se promisit Missam, si postea non celebret eam, licet non acceperit stipendium?*

Respondeo Si promisit cum animo obligandi se, non remanet securus; quia omne promissum cadit in debitum: Si verò promittat non animo se obligandi, sed solùm ad exteriorem satisfactionem, ne videatur auarus illi, qui petit Missam, tunc posset eam omittere, quia talis promissio nascitur ex metu reuerentiali, qui in foro conscientiæ tollit obligationem, nisi fortè ille qui petiuit debebat illam dicere, vel per alium absoluere; quia in illo casu promittens obligaretur, nam petens putaret ex animo promitti, & sic non curaret ampliùs Missam dicere. Ita Rodericus *loco citato. num.* 5.

Regulares an possint applicare Missam contra intentionem Superiorum.

PETES 2. *An Sacerdos Regularis possit applicare Missam, contra intentionem Superioris?*

Respondeo Vna opinio dicit Regularem peccare contra obedientiam, sed applicationem Missæ contra intentionem superioris validam esse. Ita Angelus *Verbo Missa num.* 36. Syluester *num.* 12. & ita determinâsse Theologos Salmantinos notauit Rodericus *cap.* 241. *num.* 10. Alia opinio docet applicationem quòd huic, vel illi applicetur, posse Superiorem alteri applicare, quàm ei in quem Sacerdotis intentio dirigitur, quia applicatio non est de essentia Sacrificii, intentionem verò consecrationis, non potest irritare, quia pertinet necessariò ad Sacrificium. Ita Doctor. Subtilis. *Quodl.* 20. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 3. *Opin.* 6. Ledesma *quæst.* 16. *art.* 14. Superiores verò debent esse in hoc discreti, ne onerent subditos, sed meliùs facient, si pro hebdomada certas Missas eis assignent, non tamen pro singulis diebus, quia non quolibet die possunt esse dispositi; tùm quia & pro mortuis Fratribus tenentur Sacrificare.

ARTI-

ARTICVLVS X,

De Obligatione Sacerdotis circa Missæ celebrationem.

In hoc Articulo inquirendum esset de Ministro Sacrificii, sed cùm multa dicta sint *præcedenti Quæstione art.* 9. hìc solùm inquirendum est, de obligatione Sacerdotis circa Missæ celebrationem, nempe, quinam Sacerdotes, & quando obligantur, non impediti legitimè celebrare, quo in loco, & quales Missas, quoue tempore, &c.

QVÆRES PRIMO.

Quanta sit obligatio Sacerdotis circa Missæ celebrationem?

Dico 1. Sacerdos legitimè non impeditus mortaliter peccat si nunquam celebret. Ita S. Thomas. 3. *p. q.* 82. *a.* 10. Coninchus, Nugnus *ibidem*, Rodericus *c.* 269. *num.* 4. Anglez. & est communis. Probatur quia Sacerdoti per ordinationem non solùm datur potestas, sed imponitur etiam officium celebrandi, & hoc verum est, etiamsi nullum habeat beneficium, iuxta illud ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia &c.* Ergo peccat mortaliter si nunquam celebret. Ratio est; tùm quia quantùm est ex parte sua facit, vt in vanum receperit gratiam Dei. Tùm quia dat occasionē scandali, & ruinæ, cùm ingerat suspicionem de se malè suspicandi: quoties autem teneantur celebrare, dicetur *Concl. tertia.* Hanc Conclusionem primam docet S. Bonauentura, (si nunquam celebret) *in* 4. *dist.* 12. *a.* 2. *q.* 2.

Sacerdos peccat, nunquam celebrando.

Dico 2. Sacerdotes curam animarum habentes, tenentur per se, vel per alios celebrare, singulis saltem diebus, quibus opus est, vt satisfaciant muneri suo, vt constat ex Trident. *Sess.* 23. *c.* 13. vt autem muneri suo satisfaciant, præcisâ aliâ obligatione, vel præcepto, tenentur celebrare saltem singulis diebus, quibus populus tenetur Missam audire. Ratio est, quia non satisfacerent muneri suo, non celebrando per se, vel per alios die festo, quo populus obligatur ad Missam audiendam. Ex quo.

Curati quando tenentur celebrare.

Colligitur Parochum non teneri singulis diebus celebrare, nisi specialem habeat obligationem. Ita Nauar. *c.* 25. *n.* 88. Rodericus *c.* 252 *n.* 1. nisi fortè, speciali obligatione teneatur, aut per Episcopum sit ei onus impositum pro aliqua necessitate celebrandi, quòdsi neq; vlla sit obligatio, neq; præceptum Episcopi, optimum est, vt saltem curatus celebret ter in hebdomada: Porrò non obligatur Parochus diebus festis, semper pro suis ouibus Sacrificium offerre, iure tamen Diuino obligatur aliquando pro ouibus suis offerre Sacrificium Missæ, maximè in festis solennioribus. Ita Nauar. *c.* 25. *n.* 92. Coninchus *Quæst.* 83. *art.* 1. Addit Bonacina *q. vltima p.* 7. *n.* 5. quòd teneatur diebus solennioribus, & omnibus diebus Dominicis, & vna, aut altera die in hebdomada, pro populo suo offerre Sacrificium, maximè in iis Parochiis, in quibus Decimæ à parochianis parocho offeruntur: æquitas enim, & recta ratio id videtur postulare: vbi verò maior obligatio continetur in fundatione parochiæ, illi tenetur Parochus satisfacere. Vide Rodericũ *c.* 252. *n.* 1. & Nauar. *c.* 23. *n.* 134.

Parochus pro ouib9 quando celebret.

Dico 3. Sacerdos non habens curam animarum, debet celebrare omnibus diebus festiuis, legitimè non impeditus. Ita Tridentinum *Sess.* 23. *c.* 14. vbi sic dicitur. *Curet Episcopus, vt ij qui ad presbyteratus ordinem assumuntur saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus Missas celebrent.* Quibus verbis non obligantur sub mortali, nisi præceptum Episcopi accedat, vel ne det occasionem scandali. Ita S. Bonauentura *in* 4. *d.* 12. *q.* 2. *a.* 2. *estq; ferè communis.*

Non curati quando obligantur.

Dico 3. Capellanus iuxta institutionem Capellaniæ, & intentionem fundatoris, obligatur Missas celebrare; Vnde si Capellania instituta sit ad celebrandum quotidie, tenetur sub mortali quotidie, nisi ob legitimum impedimentum omittat. Ita Angelus *Verbo Missa num.* 45. Roder. *c.* 249. *num.* 8. *& alij.* Ratio est, quia faceret contra conuentionem, & defraudaret institutoris mentem. Inde.

Capellan9 quando obligatur.

Colli̇ge 1. Sacerdotem peccare grauiter, qui per seipsum, vel per alium non celebrat Missas, quot, & quales, & quo in loco, vel tempore tenetur, ex fundatione, vel ex pacto, celebrare, nisi aliud

constet

constet ex interpretatiua voluntate fundatoris, vel nisi aliud suadeat honestas, & debita deuotio, faceret enim contra voluntatem fundatoris, & contra obligationem, cui se subiecit.

Collige 2. Capellanus potest per alium supplere, quoties non constat fundatorem voluisse obligare Capellanum, vt per seipsum absoluat. Similiter si Capellanus vna hebdomada, causa negotiorum, obligationi non satisfecit, potest in alia hebdomada supplere: nisi fortè fundator obligauerit, vt qualibet septimanâ persoluantur Missæ, tunc curandum est, vt per alium tot, & in hac hebdomada persoluantur. Ita Bonacina *loco citato* §. 1. *n.* 3.

PETES *An Sacerdos institutus, & obligatus ad celebrandum in certo templo, oratorio, vel altari peccet alibi celebrando?*

Respondent communiter DD. peccare mortaliter. Ita Rodericus *in Summa tomo* 4. *c.* 5. *n.* 6. Bonac. *disp.* 4. *q. vlt.* §. 6. *n.* 1. citans multos DD. Puto tamen ex paruitate materiæ excusari à mortali Capellanum, vt si bis, vel ter in anno non celebret in tali templo, & altari: vel si omittat ob iustam causam, quia non potest accedere ob periculum pestis ad illud templum, vel ob aliquam aliam causam, raro. Ratio est responsionis, quia in re magni momenti infideliter agit, frangendo promissum. Vnde Bonac. *loco citato.* subdit Sacerdotem non posse aliter facere etiam de consensu hæredum, nam voluntati testatoris, nequeunt hæredes derogare. Non videtur tamen teneri ad restitutionem, quia fundatorem fructu Sacrificii non priuauit. Inde. — *Obligatus in certo loco celebrare, obligatur ibidem.*

Collige Eum qui in altari priuilegiato, acceptâ stipe Missâ non celebrauit, sed in alio loco, non satisfacere obligationi, etiamsi cum metallo benedicto celebrauerit. Est communis DD. & talis seuerà obligatur ad restitutionem.

QVÆRES SECVNDO.

Quales Missas, & quando Sacerdos obligatur celebrare?

Circa *Qualitatem Missarum.* Dico 1. Consultiùs est, vt Sacerdos celebret Missam, quæ vno quoque die præscribitur in Missali: par enim est, vt se accomodet Rubricis, & ritibus Ecclesiæ: per se — *Quales Missæ celebrandæ.*

tamen loquendo, potest alia Missa persolui ab eo, qui pro suo arbitrio recitat Missam priuatam, nisi aliud suadeant circumstantiæ. Ita Angelus *Verbo Missa n.* 33. Bonacina §. 3. *n.* 1. Ratio est, quia sicut Sacerdos potest liberè celebrare, vel non celebrare Missam, ita etiam & aliam celebrare. Quare in rigore non esset damnandus peccati mortalis ille, qui in diebus festiuis, Apostolorum, & B. Virginis, diceret aliam Missam priuatam, quia solennis seu Conuentualis, dicenda est semper de die in Ecclesiis collegiatis. Hinc.

Omissa Missa ex fundatione potest dici in solennitate de die.

Collige 1. Sacerdotem qui certis diebus ex accepto stipendio, vel ex fundatione Capellaniæ debet dicere Missam, de Spiritu Sancto, de B. Virgine. vel Requiem, &c. Posse illis diebus dicere Missam currentem in Missali præscriptâ, si incidat tunc solennitas. Ita Angel. *loco cit.* Sa *V. Missa n.* 48. Syluest, & alij. Ratio est, quia omnes Missæ sunt æqualis valoris ex opere operato: nam licet Missa Requiem, magis defunctis prodesset, ratione precum ad animarum liberationem, directarum, tamen supplere has potest Sancti illius intercessio, cuius suffragium in Missa imploratur. Et licet in erectione dicatur, quòd singulis diebus talis, *vel* talis Missa dicatur; hæc enim verba intelligenda sunt ciuili modo, & moraliter, non enim debet præualere voluntas testatoris, Ecclesiæ ordini, & ritui. Vnde tali die non tenetur Sacerdos adiungere collectam pro mortuis, quando Missam celebrat currentem.

Nota.

Missæ S. Gregorii quomodo dicendæ.

Collige 2, Sacerdos obligatus dicere Missas S. Gregorii pro defunctis, non tenetur singulas de Requiem celebrare, aut continuè sine interruptione, quia interruptio non tollit Missarum effectum, quidquid in contrarium dicat Gauantus *in Rubricis Missalis*, aliâs teneretur continuare, & celebrare, in die Cænæ Domini, in die Parasceues, & Sabbato magno. Vide Bonacinam *loco citato n. 6. & 7.* Fraxinellum *de obligat. Sacerdotis.*

De Regularibus nota.

Collige 3. Missa Regularibus concessa, non potest ab aliis dici in ipsorummet Regularium Ecclesiis. V. G. in aliqua Religione, est aliquis Beatus, de quo Missa est concessa Religiosis illius Religionis, non possunt de eo celebrare alii seculares, vel Religiosi

alterius Religionis. Ita declarauit Sacra Rituum Congregatio die 19. Nouembris 1622.

Circa particulam *Quando, difficultas est, An Sacerdos statim celebraturus sit?*

An statim celebranda sit Missa.

Dico 1. Sacerdotes, qui sunt notabiliter in mora celebrandi Missas, pro iis, à quibus stipendium acceperunt, peccant mortaliter. Ita Rodericus *cap.* 132. Syluester *Verbo Missa* 1. *q.* 10. Ratio est, quia fieri potest vt dilatio vergat in damnum illorum, quibus applicandum est Missæ Sacrificium: V. G. si datur Eleemosyna pro impetranda sanitate infirmi, & Sacerdos distulit in tempus, quo infirmus mortuus est, licet enim dilatum sacrificium prodesse possit defuncto, quoad satisfactionem, non tamen prodest quoad impetrationem, quæ intendebatur. Ita Rodericus *c.* 252. *n.* 7. *& alij.* Quare in tali casu, ait Bonacina, obligandus esse ad restitutionem.

Dico 2. Sacerdotes pauperes, qui pro die occurrenti non habent Eleemosynam pro Missa celebranda, non possunt secundū veriorem sententiam Missam celebrare, & illam applicare, primo offerenti stipendium, quem DEVS scit futurum. Ita Riccius *in praxi parte* 3. *resolut.* 361. *n.* 2. Coninch. *q.* 83. *a.* 5. *d.* 9. *n.* 168, allegant declarationem Cardinalium sub Clemente VIII. 1605. Oppositam opinionem affirmatiuam tenet Bonacina *disp.* 4. *q. vlt. p.* 7. §. 5. *n.* 3. citans multos DD. modò non intendant Sacerdotes effectum Sacrificii suspendere ad illud vsq; tempus, quo sibi tradetur Eleemosyna, non enim est in potestate Sacerdotis suspendere effectum Sacrificii: prima opinio verior. Inde

Anticipatè licet celebrare.

Collige Capellanum, qui obligatur ad certas Missas in hebdomada, satisfacere obligationi, iustis de causis anticipatè illas celebrando, quia non defraudat eum, cui applicandum est Sacrificium, nisi fortè contrarium specialiter exprimatur in fundatione Capellaniæ, vt nulla in hebdomada, Missæ Sacrificia prætermittantur: mens enim fundatoris, tanquam lex adimplenda est. Ita Roder. *c.* 232. Bonac. *loco citato. num.* 5.

Eodem die plures Missas celebrare, olim ob varios casus licuit, modò verò ob multiplicitatem Sacerdotum abierunt in desuetudi-

Eodem die plures Missæ an celebrandæ.

ſuetudinem; & ſolùm in neceſsitate extraordinaria permittitur. Primò Quando Sacerdoti ſignificatur de aliquo infirmo, poſt ſumptionem corporis, & Sanguinis Domini, & non habet hoſtiam cõſecratam, tunc enim videtur poſſe de nouo Miſſam facere, niſi adſit alius Sacerdos celebraturus: ſi verò admoneatur, antequam ſe communicauerit, poteſt pro communione infirmi, ſuæ hoſtiæ particulã reſeruare. Ita Bonac. *loco cit. n.* 10. *citat mult. Doct.* 2. Quãdo adueniũt multi peregrini, die feſto Miſsã audituri, aut quãdo accedit ad Eccleſiã *Vir* Illuſtris. 3. Quãdo vnus Sacerdos præficitur duabus parochiis ob illarum paupertatem. 4. In die Natiuitatis Domini tres Miſſas celebrare licet, ob myſteria, de quibus ſupra. 5. ob cauſam iudicatam, à viro bono, & cordato, ob quam videatur neceſſarium & congruentiſsimum. Vt Miſſa ſecundò dicatur, quod habetur *cap. Conſuluiſti de Celebr. Miſsar.* 6. Quando dicta iam Miſsa ſuperuenit Epiſcopus, aut aliquis Princeps, qui cuperet audire Miſſam, ſiue dies feſtus ſit, ſiue non. 7. Quando duæ Miſsæ debent celebrari, vna de feſto, alia de vigilia. Circa quos caſus.

Circa hos caſus notanda.

Nota 1. Standum eſſe legitimæ locorum conſuetudini, in his caſibus. In Regno Poloniæ prædicti caſus, non ſunt in vſu, præter quartum, & in nonnullis locis præter tertium, qui tamen non debet eſſe in vſu, ſine licentia Epiſcopi.

Nota 2. In his caſibus, vbi ſunt in vſu, Sacerdos ſemper debet eſſe ieiunus, vnde ſumpta ablutione, non poterit celebrare in vllo caſũ prædicto, neque ad communicandum infirmum in articulo mortis. Ratio eſt, quia maior eſt ratio habenda reuerentiæ huius Sacramenti, quàm neceſsitatis proximi, & tale præceptum obligat infirmum, cùm decenter, & reuerenter Sacramentum cõfici, & ſumi poteſt. Ita Ledeſma *in Summa tom.* 1. *c.* 14. Nauar. *c.* 25. *n.* 51. Armilla *Verbo Miſsa. n.* 25. *& multi alij.*

PETES 1. *An ſi Sacerdos nolit celebrare tres Miſsas in Natali Domini, poſsit non celebratã primã celebrare ſecundam, vel tertiam.*

Reſpondeo Poſse. Ita Ledeſma *c.* 19. Zanardus. *c.* 9. *q.* 7. & maximè tertiam, cuius oratio cum officio concordat.

PETES

PETES 2. *An in Ecclesiis Collegiatis, quando casus occurrit, debeant cantari duæ Missæ, vna de festo post tertiam, alia de feria post Nonam, & an Ecclesiæ Regularium sint ad id obligatæ?*

Dico 1. Prælatis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conuentualium, obligatio incumbit, vt in talibus Ecclesiis quotidie saltem vnam Missam celebrent. Ita Layman *l. 6. t. 5. cap. 3. num. 5.* Estque ferè communis.

In Ecclesiis collegiatis quando debent dici duæ Missæ.

Dico 2. In Ecclesiis Collegiatis, duæ Missæ debent dici in Quadragesima, Aduētu, & in Vigiliis, scilicet vna de festo post tertiam, & post nonam de feria. Ita Gauant. *tom. 1. p. 3. tit. 10. num. 80.* allegans Rubricas Pii V. & declarationem Sacræ Congregationis Rituum. An autem in Ecclesiis Regularium dicendæ sint duæ Missæ? Respondet Rodericus *tom. 1. quæst. 43. art. 12.* negatiuè, quia nomine Ecclesiarum Collegiatarum non comprehenduntur Ecclesiæ Regularium, vt ibidem probat, vbi tamen est multitudo Fratrum, etiam Mendicantium, dicit quòd Prælati omninò curare debent, vt duæ Missæ dicantur in Quadragesima, Aduentu, & Vigiliis,

In Ecclesiis Regularium.

PETES 3. *Cui prodest Sacrificium pro determinata anima oblatum?*

Cui prodest Sacrificium.

Respondeo Sicut pretium pro redimendo incarcerato, ob debita oblatum, illi solùm prodest pro quo offertur, ita pretium Sanguinis Christi Domini in hoc Sacrificio illis conducit, pro quibus applicatur, si Deus vult ipsis applicare; nam ob iustam causam, Sacrificiorum pro se oblatorum fructu priuari potest à Deo, quæ alteri applicat.

PETES 2. *Cur non sufficiat vnum Sacrificium pro qualibet anima redimenda à pœnis?*

Pro vna anima cur non sufficit vnum

Respondeo Hoc petitum iam est solutum *articulo 6. quæsito 2. propè finem.* Quia finito ac determinato modo animæ applicatur. Si autem alicui animæ, tanta pœna in purgatorio soluenda sit, quantam potest relaxare Sacrificium vnum, sufficiet ei vnum applicatum, sin autem maioribus obstricta sit pœnarum debitis, propter maiora perpetrata delicta, pluribus etiam Sacrificiis opus erit.

ARTICVLVS XI.

De Defectibus occurrentibus in Missa?

Defectus in Missa, aut contingunt circa substantialia, vt circa materiam, formam, & intentionem, aut circa dispositionem Sacerdotis. Rursus aut contingunt ante consecrationem, vel post, hæc hîc inquirenda sunt.

QVÆRES PRIMO.

An supplendus sit defectus circa substantialia commissus?

Error circa substantialia supplendus.

Dico 1. Error circa substantialia, vt circa materiam, supplēdus est, si aduertatur ante, vel post consecrationem. V. G. si Sacerdos aduertat hostiam non esse confectam, ex tritico, aut loco vini positam fuisse aquam, vel acetum, vel aliquem alium liquorem, aut si aduertat materiā esse dubiam, debet aliā materiā aptam sumere, eamq; consecrare, factā oblatione mentali saltem. Ita communiter DD. Syluester, Angelus *V. Missa. num.* 15. Ratio est, quia ex præcepto Diuino Sacrificium est perficiendum, non perficitur autem si omittantur substantialia.

Si sint defectus non circa substantialia.

Si verò contingat defectus circa ea, quæ non sunt substantialia, vt si Sacerdos comperiat post consecrationem calicis, non appositam fuisse aquam, aut hostiam, esse notabiliter fractam, non tenetur quidquam supplere, si Sacerdos huiusmodi defectum cognoscat post consecrationem, quia hæc, & similia non pertinent ad integritatem Sacrificii: Si verò Sacerdos ante consecrationem hos defectus aduertat, debet aquam vino miscere, & aliam hostiam facta oblatione saltem mentali consecrare. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 6. Angelus *V. Missa. n.* 14. Inde

Collige 1. Sacerdos post sumptionem calicis aduertens fuisse aquam, non est necessarium vt consecret hostiam nouam, cùm sit alia iam consecrata, sed sufficit, vt vinum consecret. Ita Rodericus *cap.* 251. *num.* 1. Suarez. *disp.* 85. *Sect.* 1. Nauar. *cap.* 25. *num.* 91.

Nota casus.

Collige 2. Si musca, vel aranea incidat in calicem post cō-

secratio-

secrationem, extrahantur ista animalia, & postea comburantur, & cineres mittantur in locum sacrum. Si autem animal sit venenosum, aut vinum infectum veneno, non debet sumere illas species, sed seruandæ sunt donec corrumpantur, & postea comburantur, non enim debet esse sui homicida, sed aliud vinum consecret. Ita Rodericus *loco citato*. Sa *Verbo Missa num.* 36. D. Subt. *in* 4. *d.* 8. *quæst.* 3.

Dico 2. Sacerdos aduertens se aliquid ad integritatem formæ spectans omisisse, debet defectum supplere, vt validum sit Sacrificium. Ratio est, quia hic defectus est substantialis, in tali enim casu, debet totam formam repetere, si alia verba interiecta fuerunt. Ita communiter DD. de forma substantiali Eucharistiæ. **Integritas formæ ser uanda.**

Dico 3. Quando Sacerdos dubitat, an habuerit intentionem consecrandi formalem, aut virtualem, debet repetere verba consecrationis cum intentione consecrandi. Ratio est, quia defectus intentionis est substantialis. Sed in hac materia non oportet scrupulosum esse, ne via dæmoni aperiatur. Idem dicendum de hostiis, quas Sacerdos detulit ad altare ad communicandum populum, & tempore consecrationis obliuiscitur illarum, eo enim ipso, quòd detulerit hostias ad altare, videtur habuisse intentionem sufficientem consecrandi, intentio enim virtualis sufficit. Si autem Sacerdos re vera de intentione dubitet, dicat Sacerdoti celebraturo, vt eas sub conditione consecret, modò dubium sit probabile. Vide Bonac. *d.* 4 q. *vltimo puncto* 10. *num.* 14. **Intentio habenda.** **Nota casum.**

QVÆRES II.

An supplendum sit illud, quod non est de essentia?

Respondeo Negatiuè. V.G. si omittat aliquis *Gloria in excelsis*, vel *Credo*. Ita Syluest. *Verbo Missa.* 1. *q.* 5. Suarez. *disp.* 83. *Sect.* 2. Ratio est, quia non est adeò materia grauis, neque vt suppono ex contemptu. **Quod non est de essentia non est supplendum.**

Collige Si hostia cadat in calicem dum frangitur, posse Missam perfici absque alia iteratione, nihil enim deficit, quod ad substátiam pertineat; Ita Henriquez. *cap.* 37. *num.* 5. *vbi citat Doctores.*

Si Sacerdos deficiat quid faciendum.

PETES *Quid faciendum, si Sacerdos in Missa deficiat?*

Respondeo Si moriatur Sacerdos, aut aliquo graui morbo corripiatur, aut alio casu impediatur post consecrationem, nec possit Sacrificium perficere, Sacrificium perficiendum est ab alio Sacerdote ieiuno, si adsit, vel à non ieiuno, si nullus alius adsit ieiunus, etiamsi sit in peccato mortali, sufficit enim quòd si absit copia Confessarii, eliciat actum contritionis. Si autem talis casus contingat ante consecrationem, non est obligatio perficiendi Sacrificium. Ita Rodericus *cap. 250. num. 4. & alij communiter.* Inde

Collige 1. Quando Sacerdos post consecrationem recordatur, se non esse ieiunum, aut excommunicatum, debere conceptâ contritione Sacrificium perficere: quando verò horum recordatur ante consecrationem, tutiùs est desistere à Sacrificio, si id sine scandalo fieri possit, quod verum esse puto ante Canonis incæptionem.

Collige 2. Quando dubitatur an Sacerdos mortuus consecreuarit hostiam, supplens, accipiat aliam hostiam, & vinum, & de nouo consecret. Vide Bonacinam *loco citato. num.* 24. vbi subdit, sub conditione consecrando eam, de qua dubitatur, vel post nouam hostiam consecratam, sumere potest illam dubiam, post sumptionem vtriusque speciei, antequam sumat ablutionem,

Collige 3. Eucharistia quam quis euomuit asseruanda est, donec corrumpatur, deinde comburenda, & cineres in piscinâ mittendi. Si hostia decidat in terram, vel super tapetem, Sacerdos radat, ac lauet locum, & pulueres mittantur in piscinam. Si Sanguis decidat, debet absorberi si commodè possit, & locus radi, & lauari. Reliqua pertinentia ad defectus in hac materia, possunt videri in Missali Romano.

PETES *An Sacerdos in celebrando non obseruans Rubricas Missalis, peccet mortaliter?*

Respondet Bonacina *d. 4. q. vltima p. 7. §. 3. n. 3.* affirmatiuè. Aretinus *in 4. d. 13. q. 2. a. 4.* & alii idem sentiunt, quia inquiunt Breue Pii V. videtur ad mortale obligare. Contrariam sententiam Posseuinus *de offic. Curæ cap. 2. num. 16.* cùm aliis amplectitur.

Fagundez

Fagundez *tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. non damnantes talem de peccato mortali, quia inquiunt, prædictas Rubricas non obligare sub tanto onere, præsertim si vnam, aut alteram rubricam non obseruaret, non autem si nullam, aut si in rebus substantialibus Sacrificii delinqueret.

PETES. *An Sacerdos possit celebrare capite cooperto.*

Respondent communiter Doctores negatiuè, in quo casu si infirma valetudo id exigeret, poterat olim Episcopus dispēsare, modò verò facultatem dispensandi, celebrare cooperto capite spectare ad Summum Pontificem, docet Gauantus *in Rubr. Miss. tom.* 1. *p.* 2. *tit.* 2. *litera* F. quod declarâsse Sacram Rituum Congregationem die 31. Iulii 1626. affirmat.

PETES *An Sacerdos in Missa voluntariè omittens Credo, vel Gloria in excelsis, peccet mortaliter?*

Non peccare mortaliter, sed venialiter ex materiæ leuitate, si absit contemptus, vel scandalum. Similiter si quis omittat nomen alicuius Sancti in Canone, vel tempore Paschali, ea quæ interponuntur, in *Communicantes*, aut in Actione, *Hanc igitur oblationem*. Ita Billiucius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 155.

ARTICVLVS XII.

Qui sunt Ritus Missæ, seu Cæremoniæ, quiduè significent?

Nota Hæreticos totis viribus omnes hujus Sacrificii ritus oppugnare; rident enim nostros Sacerdotes, quòd modò alta voce, modò tacita loquantur, modò in vno, modò in alio cornu altaris Missale reponant, modò eadem, iterum atq; iterum repetant, quæ inquiunt omnia sunt vana. Sed ipsi magis ridendi; nam omnia quæcunq; fiunt in Missa, omnia sunt mysteria, vt mox patebit. Quædam enim Cæremoniæ in Missa fiunt ad hoc, vt Sacrificium cum debita reuerentia peragatur: quædam propter exteriores actus latriæ exercendos; vt est corporis, & capitis inclinatio: quædam propter populum excitandum ad deuotionem: quædam propter significationem mysticam, seu moralem: vt est vsus signi S. crucis, osculum pacis, manuum extensio &c.

Cæremonias hæretici rident

Cur Ecclesia instituit cæremonias in Missa.

Dico 1. Iure optimo Ecclesia instituit, & præcepit cæremonias Missæ. Patet quia multùm conferunt ad concitandos animos astantium, ad pietatem, faciliùs enim homines mouentur sensibilibus. Tum quia Christus Dominus vsus est cæremoniis, quando in cælum suspexit, ingemuit, ex sputo lutum fecit, in oculos cæci expuit: & in cruce pendens, modò alta voce, modò tacitùs Deum Patrem compellabat. Et Apostoli vsi sunt cæremoniis, vt constat *ex capite* 8. *&* 15. *Actorum*

Omitti nō debent.

Dico 2. Esse peccatum mortale, si quis aliquid notabile in ritibus, aut orationibus Missæ mutet, aut omittat. Constat ex Rubricis Generalibus. Paruitas materiæ excusat à mortali, si absit contemptus.

QVÆRES

Quid isti ritus tam Verborum, quàm actionum significent?

Quid isti ritus significant.

Respondeo Sacerdos Sacris vestibus indutus, repræsentat nobis filium Dei humanitate nostra indutum.

Confessio

Confessio quam facit ante altare, denotat primum parentem ex Paradiso expulsum, vnde & nos dolere de peccatis debemus.

Introitus significat desideria Prophetarum, Patriarcharum, & omnium iustorum, qui desiderabant aduentum Domini. Nos interim pudore suffundamur, quòd pro tanto beneficio gratias nō referamus.

Kyrieeleizon.

Kyrieeleizon nouies repetitur, per quod indicatur gemitus SS. Patrum in limbo existentium pro aduentu Saluatoris: nos hæc verba proferamus cum deuotione pro peccatis, quæ corde, ore, & opere commisimus.

Gloria in excelsis.

Gloria in excelsis Deo, denotat gaudium, & Canticum Angelorum in Christi Domini Natiuitate. Finito Cantico prædicto.

Osculum altaris.

Osculatur Sacerdos medium altaris, quod semper facere debet, ad denotandum se esse mediatorem reconciliationis, & pacis, ex persona Christi Domini.

Dominus vobiscum.

Dominus Vobiscum dicit, optans vt DEus sit nobiscum per meritum Incarnationis Christi Domini. Respondet Chorus in eodem sensu, & Cum Spiritu tuo.

Colle-

Collectam recitat, quæ à colligendo est, quia Sacerdos colligit vota, & orationes populi ad offerendum Christo Domino nato Regi munera. Vnde communiter solùm dicuntur tres Collectæ in Missa Conuentuali, propter tria munera, quæ Magi obtulerunt Domino. Concluduntur autem per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM &c. quia ipse dixit, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis Ioan.* 15. Collectæ.

Epistola quæ est ab ἐπὶ, quod significat supra, & στόλον missio, quasi supra missio, id est literæ testimoniales supra Euangeliũ, Messiam venisse confirmantes: vnde legitur interdum de Prophetis, de Actibus Apostolorum, & de Epistolis eorum: significat prædicationem S. Ioannis, tacente adhuc Christo Domino. Epistola.

Graduale, à gradiendo, significat fugam Domini in Ægyptũ, cum B. Virgine, & S. Ioseph: quod graui voce cantari solet, vt significetur tristitia gradientium: erat enim lamentabile filium Dei persecutionem pati, & per longam, & asperam viam duci, quare & multæ notæ cantantur sine expressione dictionis. Versus autem communiter altiùs ascendit in cantu, & suauiori cantu canitur, ad exprimendam reuersionem ex Ægypto. Graduale.

Alleluia. Iuxta Lyranum sunt duæ dictiones in hebræo, Hallelu. id est, laudate, & iah, DEVM. Iuxta aliquos est interiectio gaudentis, significans gaudium quoddam ineffabile, quod satis exprimi non potest, neq; omninò taceri debet: significat gaudium Angelorum, quod acceperunt ex nuptiis Agni cum Ecclesia: Repetitur Alleluia, quia Angeli repetebant *Apocal.* 9. vnum propter malum ablatum, aliud propter bonum collatum. Alleluia.

Tractus legitur temporibus luctui deputatis, habens multas graues notas, significat ieiunium Christi Domini in deserto, & grauem pœnitentiam. Tractus.

Translatio Missalis denotat Euangelium à Iudæis, translatum esse ad gentes, quæ respectu Iudæorum ad sinistram Dei erant. Missalis translatio.

Reditus ad medium altaris à loco Epistolæ, ad cornu Euangelii, notat Christi Domini regressum ex deserto in Galilæam, ad prædicationem.

Euange-

Euangelium. *Euangelium* significat prædicationem Christi Domini, ad quod legendum accipitur benedictio, quia Christus Dominus prædicare non præsumpsit, etiam vsq; ad annum ætatis suæ 30. nisi priùs benedictione acceptâ à Patre, dicente, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.*

Legitur in sinistra parte altaris: quia venit vocare peccatores, non iustos: Præmittit *Dominus Vobiscum*, orans quatenus sit Dominus cum fidelibus astantibus, vt attentè Euangelium audiant. Consignat se ad initium Euangelii in fronte, ore, & pectore; vt corde id credamus, ore confiteamur, fronte non erubescamus. Legitur manibus iunctis, quia cæpit Iesus facere, & docere, vel quia prædicationi miracula iūxit. Feruntur luminaria, quia ipse est vera lux mūdi. Additur thus, quia thus suauitatem Euangelii significat. Astantes, & audientes, muniunt se quoq; signo S. Crucis, ne volucres cæli, id est, diaboli auferant de cordibus eorum verba Euangelii. In fine osculatur Euangelium, quia solo amoris impulsu mundo euangelizauit.

Credo. *Credo* significat fructum Euangelii, Apostolos, & alios ad Euangelium accurrentes, idq; passim diuulgantes. Quare Sacerdos incipit, populus subsequitur, velut præco Euangelii. Recitatur clarâ voce, quia Euangelium prædicatur toti mundo: quia fides palam, & intrepidè profitenda. Nos interim debemus confiteri omnia fidei nostræ mysteria, quæ in eo continentur.

Offertorium. *Offertorium* legitur, indicat reuelationem passionis Domini, quam prædixit discipulis antequam pateretur. *Ecce ascendimus Ierosolymam &c. Exponit vasa oblationis*, quia prædixit eis speciatim. *Filius hominis tradetur, flagellabitur, conspuetur, crucifigetur.* Cantat interim Chorus offertorium, quia interim Iudæi inierunt consilium, quomodo IESVM tenerent, & occiderent. [Cur offertorium cantatur.]

Oblatio panis, & vini, indicat spontaneam Christi Domini oblationem in passionem, quod significant cruces formatæ, dum reponit in altari oblata. *Mistio aquæ cum vino*, significat, quòd genus humanum sibi vnire velit. *Lotio manuum*, significat lotionem pedum discipulorum in cæna factam, admonentur Sacerdotes, & communican [Lotio manuum.]

municantes, vt cum magna puritate animi accedant ad sumendam SS. Eucharistiam. In Missa solenni thurificatio super oblata, prouocat fideles ad perfectam deuotionem.

Ablutis manibus ad medium altaris accedit, vt hoc scilicet modo, ostendat nos sub oculis Dei præpotentis, cunctaq; inspicientis degere.

Osculum altaris.

Osculum altaris, significat nos reconciliatos Deo Patri, per passionem.

Conuersio ad Populum, & Orate fratres, ostendit quantæ sit molis dignè tantum Sacrificium Deo offerre, ideò orationem à populo petit.

Secretæ orationes.

Secretæ orationes indicant, quòd Christus Dominus ante passionem paululùm secesserit, quas concludit intensa voce, *Per omnia secula seculorum*, ad significandum Christum Dominum post resuscitatum Lazarum, iterum palam ambulâsse. Dum dicit *Dominus Vobiscum*, optat omnibus, vt sit DEVS cum illis per gratiam, sicut adest per præsentiam.

Dominus vobiscum

Sursum corda.

Per sursum corda monet, vt audientes Missam toti ferantur in DEVM tempore Sacrificii. *Gratias agamus Domino Deo nostro*, inuitat nos ad gratiarum actionem pro beneficiis omnibus, maximè redemptionis.

Gratias &c.

Præfatio.

Præfatio quam canit, vel legit clarâ voce, significat ingressum in Hierusalem triumphalem, & publicum. *Sanctus, & Benedictus*, notat Canticum puerorum, & aliorum Christo Domino obuiantium. *Pulsus tintinnabuli*, commotionem Ciuitatis indicat, quia ad ingressum est vniuersa *commota ciuitas, dicens. Quis est hic, Matth. 21.* *Pulsus companæ*, excitat fideles ad recolendam Passionem Domini.

Sanctus.

Canon

Canon Missæ.

Te igitur Clementissime Pater &c. Hæc est prima pars Canonis, in qua petitur benedictio appositorum donorum, quæ pro tota Ecclesia offeruntur.

Osculum altaris, indicat fraudulentum osculum Iudæ.

Cruces.

Cruces Quæ fiunt inter hæc verba (Benedicas ✠ hæc dona, hæc munera ✠, hæc Sancta Sacri ✠ ficia illibata) signifi-

significant tres traditiones Christi Domini ad mortem. Prima fuit à Deo Patre ex gratia, quam libenter acceptauit, & voluntatem suam Deo Patri resignauit; *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* 2. traditio fuit à Iuda ex auaritia, iuxta illud Matth. 26. *Quid vultis mihi dare, & ego eum tradam vobis.* & hæc fuit valdè pœnalis, quia pro vili pretio venditus. 3. Traditio Iudæorum ex inuidia, & hæc longè pœnalior, iuxta illud Matth. 26. *Sciebat Pilatus, quia ex inuidia tradidissent eum.* Vel tribus his Crucibus indicatur trina Christi Domini oratio in horto, & Sudor Sanguineus.

pro quibus offert

Inprimis quæ tibi offerimus. His verbis specificat, pro quibus hæc dona Deo offerat, nimirum pro seipso specialissimè, quia ordinata à seipso incipit charitas. Deinde pro tota Ecclesia.

Memento Domine famulorum &c. hic specialiter facit memoriam viuorum, & primò in sublimitate existentium, omniumque statuum; tandem eorum, vel eius, pro quo specialiter offert Sacrificium. Et hac oratione indicat Christum Dominum pro omnibus orâsse.

Communicantes &c, Hic implorat suffragia Sanctorum, (qui mediante hoc Sacrificio salutem consecuti sunt,) vt eorum meritis, & precibus Sacrificium Sacerdotis sit Deo acceptabile.

Oblatio Christi voluntaria.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ &c. Indicat oblationem Christi Domini voluntariam, iuxta illud Isaiæ, *cap. 53. Oblatus est quia ipse voluit.* Præterea his verbis specialiter exprimit, quòd per oblationem hostiæ, impetrandum impetratur: specialiter hic postulat liberationem ab æterna damnatione, propter pœnarum acerbitatem, diuersitatem, & æternitatem: postulat in congregatione Sanctorum connumerationem, quâ nihil meliùs, & iucundiùs vtiliusque.

Quid petat,

Quam oblationem tu Deus &c. Hîc orat Deum Sacerdos, vt oblationem istam dignetur benedicendo consecrare, quoad Sacramentum; ascribendo in cælo approbare, & ratificare, seu confirmare; quoad præmium; rationabilem, & acceptabilem facere; quoad meritum; & quia tam ascriptio, quàm ratihabitio, procedunt à Deo per virtutem crucis, in oblata.

Cruces quinque quid significant.

Cruces quas facit dicendo, Benedictam, ✠ Adscriptã ✠ Ratam ✠ &c. vt nobis corpus ✠ & Sanguis ✠ significant quinq; passiones, multùm pœnales, quas Christus Dominus pertulit in domo Pilati, circa horam tertiam: Prima ad verbum *Benedictam*, significat illam crudelem acclamationem Iudæorum, vt Benedictum Iesum tollat, & crucifigat. 2. Crux ad verbum *Adscriptam*, significat immanissimam flagellationem eius. 3 ad verbum *Ratam*, significat illusionem eius in vestimento purpureo, corona spinea capiti imposita, & sceptro arundineo in dextram dato, quibus significare voluerunt regnum eius ludibrio, & pœna dignum, & tanquam arundo fragile, & non ratum. 4. Crux ad verbum *Corpus*, significat coronationem coronâ spineâ, & illusionem, *Aue Rex Iudæorum*. 5. Crux supra verbum *Sanguis*, indicat effusionem Sanguinis ex Sacro Domini capite. Vel in his quinq; crucibus; latet historia à die Palmarum ad mortem Christi per dies quinq;.

Qui pridie.

Qui pridiè quàm &c. Sacerdos ductis digitis pollice, & indice super pallam altaris tergit eos, indicat interiorem puritatem, & deuotionem, & attentionem. Quando dicit, *Et eleuatis oculis in cælum*, innuit arduitatem mysterii, & vt Sacerdos, conformet se Christo, & oculos sursum mẽtis eleuet. Dum dicit *Benedixit*, ✠ crucem facit, quæ significat exitum Christi de prætorio, flagellatum coronatum, portantem vestimentum purpureum.

Consecratio.

Consecratio repræsentat cænam Dominicam. Vbi benedictio hostiæ, & calicis, significant & repræsentant, non crucifixionem, sed præsignationem Passionis Christi factam in cæna.

Eleuatio.

Eleuatio Hostiæ, & calicis, anticipatam crucis, & Christi in ea crucifixi eleuationem significat. *Hæc quotiescunq; &c.* his verbis excitantur homines ad memoriam passionis Domini, quod sequentibus verbis indicatur, dum dicit. *Vnde & memores Domine nos serui tui &c.* Quando dicit. *Offerimus præclaræ maiestati tuæ.* Hic essentialem partem Sacrificii indicat, quâ Deo Patri Sacrificium, offertur.

Oblatio Sacrificii.

Porrò dicens. *Hostiam puram ✠ Hostiam Sanctam ✠ Hostiã immaculatam ✠ Panem Sanctum ✠ vitæ æternæ & calicem ✠ salutis*

salutis perpetuæ. His verbis indicatur, quòd offerens debet habere puram cogitationem: Sanctam locutionem, & immaculatam conuersationem, conformando se Christo quantùm est posibile. Quinque verò cruces fiunt ad memoranda quinque vulnera Christi, in cruce accepta. *Supra quæ propitio, ac sereno vultu*. Hic orat, vt per hoc Sacrificiũ misericordiam suã super nos exhibeat, & declaret: Comemorat Sacrificia Abel, Abrahæ, & Melchisedech, quorum Sacrificia erant typi, & figuræ nostri Sacrificii.

Quinque cruces.

Supplices te rogamus Omnipotens Deus &c. Quibus verbis demonstrat, & petit Sacrificium hoc, in sublime altare, id est, in cælum perferri, non secundùm realem loci translationem, quia ibi residet in forma gloriosa, sed secundùm acceptationem gratam Sacrificii. Vel vota fidelium petendo, vt ex eius participatione, cælesti gratia repleantur. Tres cruces adduntur ad notandas illusiones Christi Domini à Pontificibus, à Iudæis exprobrantibus & clamantibus, *Vah qui destruis templum Dei*, & à latronibus.

Cruces tres.

Memento etiam Domine famulorum &c. Monetur Sacerdos, vt in memoria habeat animas defunctorum, modo, & ordine, vt supra viuorum, quod in silentio facere debet, vt repræsentet Christum Dominum post mortem descendisse ad limbum Patrum. *Nobis quoque peccatoribus*, pectùs pecutitur, & rogatur, vt nobis fiat in saluté quod impii Iudæi, in suam perniciem exclamauére.

Commemoratio Defunctorum.

In sequentibus tribus crucibus pronunciando *Sanctificas* ✠ *viuificas* ✠ *benedicis* ✠ *& præstas nobis &c.* Recole crucifixionem Christi, qui hora tertia apud Marcum linguis cruci affixus est, *Tolle, tolle, &c.* In aliis autem tribus *Per ipsum*, ✠ *cum ipso*, ✠ *& in ipso*, ✠ notatur crucifixio hora sexta, manibus gentium: & in duabus sequentibus crucibus significatur diuisio animæ, à corpore Christi. Titelm. dicit. *cap.* 48. in primis tribus crucibus notari, tres horas, quibus vixit in cruce: in aliis tribus, calice detecto, tres alias, quibus mortuus pependit: in duabus extra calicem, emisionem Sanguinis & aquæ è latere: & inter has cruces, velum templi scisum, significatur cum amouetur de

Cruces tres quid.

Mysteria crucibus.

calice,

calice palla. *Eleuatio calicis cum hostia, & eiusdem depositio*, notat depositionem Christi de cruce, & eiusdem sepulturam. Cùm verò calix operitur Palla, indicat lapidem appositum ad ostium monumenti, vel corpus Christi inuolutum sindone à Iosepho.

Per omnia secula

Per omnia secula seculorum; indicant hæc verba, clamorem centurionis, & clamorem mulierum. Qui clamores, & fletus continuati fuerunt vsque ad sepulturam Christi Domini. Porrò *Oratio Dominica*, quæ constat septem petitionibus, reuocat tibi in mentem septem verba Christi Domini in cruce.

Libera nos.

Libera nos quæsumus, sub silentio, cùm recitatur, indicat Sanctos Patres à limbo liberatos, ad quem secretò descendit anima Christi. *Osculum patenæ*, significat quòd Christus impleturus erat desiderium mulierum, vnde statim amouetur Palla à calice, sicut lapis ab Angelo ab ostio monumenti, & sic resurrectio Domini indicatur.

Osculum patenæ.

Resurrectio Christi.

Fractio Hostiæ significat cognitionem Christi resuscitati in fractione panis. Tres partes Hostiæ indicant corpus mysticum Christi tres partes habere. Caput, id est Christum ipsum gloriosum in dextra Sacerdotis. Sanctos iam ab ipso beatificatos, qui in altera manu quæ extra calicem est, denotantur. Immissio verò particulæ in calicem significat confessionem resurrectionis Dominicæ, in qua corpus, & Sanguis & anima vnita sunt. Tres cruces cum particula supra calicem indicant trium mulierum aduentum, ad ostium monumenti quærentium crucifixum: vel virtutem totius Trinitatis demonstrant, in Christi miraculosa resurrectione.

Fractio hostiæ.

Tres cruces supra calicem.

Pax Domini.

Pax Domini sit semper vobiscum, significat pacem, quam Christus Dominus resuscitatus Discipulis suis post resurrectionem suam precatus est.

Agnus Dei.

Agnus Dei. Operto Calice Palla, dicitur ter ad tollenda peccata, indicat Ianuis clausis ingressum, ad Apostolos, eisque dicentem *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*.

Communio.

Communio indicat comestionem Christi cum Apostolis, qui *sumens reliquias dedit eis*. *Versus, seu Postcommunio*, est Symbolum lætitiæ, quia *gauisi sunt Discipuli viso Domino*. *Oratio vel orationes* dicuntur ex-

Post communioné Orationes

tur extensis manibus, significant Christum eleuatis manibus, ascẽdentem in cælum, pro nobis orare patrem, & nobis benedicere, iuxta illud, *Eleuatis manibus benedixit eis.*

Dominus vobiscum Ite Missa est.

Dominus vobiscum ante orationes, significat sæpiùs repetitum *pax vobis* ad Discipulos. Vltimum *Dominus Vobiscum*, reuocat nobis in memoriam dictum Christi Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum &c.* *Ite Missa est*, cum *Deo gratias*, in mentem reuocat, quæ dixerunt Angeli: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Ite*, & reuersi sunt cum gratiarum actione. *Placeat tibi*, hîc indicat orationem Apostolorum, qui orabant vnanimiter, & præparabant se ad receptionem Spiritus Sancti, quod in *osculo Altaris*, designatur. *Vltima benedictio*, missionem Spiritus Sancti in die Pentecostes, in nomine Sanctissimæ Trinitatis, exprimit.

Placeat,

Benedictio vltima.

Euangelium Ioannis.

Euangelium Sancti Ioannis, vel aliud secundum tempus, significat diuisionem, & prædicationem Apostolorum, de Diuinitate, incarnatione Christi, & de Sanctissima Trinitate. Hanc mysticam expositionem Missæ, accepi ex Innocentio *lib. 5. cap. 9. & sequentibus.* Titelmano, *Sancto* Germano, & ex Sancto Thoma 3. *p. q.* 83. *a.* 5. Et ex Ioanne Bechoffen Ordinis Sancti Augustini.

PETES *Quomodo Missæ Sacrificium celebrandum?*

Respondent DD. Cum quinq; literis esse celebrandum. A. B. C. D. E. in honorem quinq; vulnerum Christi: hoc est Altè, Breuiter, Clarè, Deuotè. Exactè, seu Exquisitè. *Altè* id est, illa quæ clarâ voce dicenda sunt, clarè pronunciet, non verò ea quæ secretò, & sub silentio dicenda, vt est Canon, vt docet Gauantus *in Comment. Rubr. Miss. p. 3. tit.* 10. *Concl.* 3. *Breuiter*, non vltra mediam horam, vel paulò vltra, *Clarè*, vt omnia verba integrè proferantur. *Deuotè*, vt attendatur ad ea quæ dicuntur. *Exactè*, vt fiant omnia quæ præscribuntur in Rubricis Missalis, nihil addendo, nihil diminuendo, nihil immutando.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, offerro ad honorem & gloriam tuam, & salutem meam, ac totius mundi illam

di, illam amoris plenissimam institutionem Sacrosancti Sacrificij Missæ, quod in vltima cæna instituisti, & Deo Patri obtulisti, & illud in commemorationem tui offerri, præcepisti, nimirum ob memoriam acerbissimæ Passionis tuæ, per quam tanquam salutare medium redempti sumus. Eia bone IESV, Deus, & homo, qui hoc Sacrificium in memoriam tui fieri voluisti, da nobis, vt dignè hoc Sacrificium incruentum offeramus, eique tanta cum deuotione semper assistamus, vt semper cruenti Sacrificij in cruce recordemur. Petimusq́ humiliter, vt nos per hoc Sacrificium Sacrosanctum, sanes, illumines, inflammes, perficias, absorbeas, transformes, & vnias tibi, & à te nunquam separari permittas. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto, viuis, & regnas in secula seculorum, Amen.



QVÆSTIO IX.
De Decimis.

In hac QVAESTIONE inquirenda sunt, quæ sequuntur.

1. Quid ſit Decima, quotuplex, & quo iure ſoluenda.
2. Quinam ad ſoluendas decimas obligentur.
3. Ex quibus rebus decimæ ſoluendæ.
4. Quandonam, & vbi ſoluendæ decimæ.
5. Quibus modis tolli poſsit obligatio ſoluendi decimas.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Decima, quotuplex, & quo iure ſoluenda.

Nota VVicleſi ſententiam eſſe damnatam in Concil. Conſtantienſi *Seſs.* 8. aſſerentis decimas eſſe meras Eleemoſynas, quod falſum eſt, quia ſunt ſubſidium Sacerdotibus debitum propter miniſterium ſpiritualium, teſte Apoſtolo 1. ad Corinth 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Et 1. ad Timoth. 5. *Non infrænabis os boui trituranti.* Et Luc. 10. Dominus dicit. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.*

Wicleſi error.

Quid decima.

Dico 1. Decima eſt quota bonorum debita Eccleſiæ miniſtris, in ipſorum ſubſidium, & ſuſtentationem. Patet Quia par eſt vt Chriſtiani pro labore ſuſtentationem præbeant, id eſt decimam partem fructuum terræ. Hinc Concil. Trident. *Seſs.* 25. *cap.* 12. iubet excommunicari eos, *qui decimas ſubtrahunt, aut impediunt, neq; ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur*; intellige qui reſtituere ante mortem poſſunt, vel ante communionem, ita Nauar. *cap.* 21. *num.* 32. Aduerte hîc decimam eſſe rem corporalem, quatenùs dicit fructus ipſos, quatenùs verò dicit ius exigendi fructus ob miniſterium rerum ſpiritualium, eſt res ſpiritualis, iuxta locum citatum. 1. *ad Corinth.* 9.

Dico 2.

Dico 2. Decima triplex est, personalis, prædialis, & mixta; Personalis est, decima pars fructuum prouenientium ex industria, & opera personæ, vt ex mercatura, piscatione, venatione, & ex omni alio hominis artificio. Vide Angelum, Syluest. V. *Decima.* Decima triplex. Personalis

Prædialis, siue realis, est decima pars fructuum, qui ex prædiis percipiuntur, vt est vinum, oleum, frumentum, olera, legumina, &c. Mixta est illa, quæ partim ex hominis industria, partim ex prædiis prouenit, vt sunt fœtus animalium, qui partim ex pascuis, partim ex animalibus proueniunt, interueniente hominum industria, in illis alendis, & custodiendis. Deinde lana, lac, caseus, &c. Prædialis. Mixta.

Dico 3. Solutio decimarum secundùm suam substantiam consideratarum, vt sunt necessaria sustentatio ministrorum rerum spiritualium, iure Diuino, & naturali est debita, nec vlla consuetudine potest tolli, vt patet ex locis citatis in Notando. Si verò spectentur decimæ, secundùm suam quotam, vt sunt decima pars fructuum, iure saltem Ecclesiastico, debetur à tempore Apostolorum. Ita Lessius *cap.39. dub.1. num.4.* Bonacina de præceptis Ecclesiæ. *disp. vlt. q.5. p.1. n.3.* Ratio est, Tum quia in lege Euangelica, nullum extat præceptum de hac quantitate fructuum soluenda; Et licet in veteri lege fuerit in præcepto hæc pars decima fructuum, tamen quia illud præceptum cùm non sit morale, cessauit post Christi Domini passionem: hanc tamen quotam seu taxam, iustè Ecclesia imposuit, & taxauit, ad imitationem Dei, qui eam in lege veteri taxauerat. Tum quia talis quota, seu pars determinata, potest per consuetudinem præscribi, vt infra dicam, quod fieri non posset, si esset de iure Diuino: neq; obstat ius Canonicum. *cap. Tua 25. de decimis.* vbi dicitur, *Decimas deberi Diuina constitutione.* hoc enim dictum intelligitur ad imitationem, & exemplum legis Diuinæ. Ita Lessius, & Bonacina *locis citatis, vbi multos DD. citant.* Quo iure decimæ debentur.

ARTICVLVS II.

Quinam ad soluendas decimas obligantur?

Dico 1. Personales decimæ soluendæ sunt ab iis solis, qui Sacramenta percipiunt, & illi Ecclesiæ à qua recipiunt, idq; iuxta con- Decimæ personales à quo soluendæ.

consuetudinem receptam. Colligitur *ex cap. Ad Apostolicæ, de Decimis, & cap. à nobis.* Ratio est, quia decimæ institutæ sunt in sustentationem eorum, qui Sacramenta administrant. Ergo tenentur eas soluere, qui ex manibus eorum Sacramenta recipiunt. Dixi (iuxta consuetudinem,) quia multis in locis consuetudo inualuit, vt huiusmodi decimæ non soluantur, sicut etiam alicubi prædiales, & mixtæ non soluuntur, in totum, vel in partem, quia ministris Ecclesiæ aliunde prouisum est. Ita Lessius *dub. 5. num. 22.* Bonacina *p. 3. n. 1.* Non est tamen necesse, vt pars ipsius rei immobilis tradatur, sed sufficit æquiualens pretium.

Prædiales quando soluunt.

Dico 2. Decimas prædiales tenentur soluere omnes, qui titulo non spirituali habent prædia, alicui Ecclesiæ subiecta, nisi consuetudine introductum sit, vt alteri soluantur. *cap. vltimo de Parochiis.*

Collige 1. Omnes laicos etiam infideles, paganos, habitantes in terris Ecclesiæ subiectis, seu quæ Ecclesiis debentur, teneri ad soluendas decimas. Ita decernitur *cap. 4. de vsuris.* Ratio est, quia prædia transeunt cum onere, & decima soluenda est illi Ecclesiæ, cui prædia subiecta sunt. Et sic & Episcopi tenentur soluere decimas ex bonis, ex quibus decimæ ante soluebantur. Ita Lessius *loco citato n. 23.*

Loca pia an soluere debeant decimas.

Collige 2. Loca pia, & monasteria, tenentur soluere decimas, nisi aliquo priuilegio, vel præscriptione, vel compositione, vel transactione sint exempta. Patet *ex cap. Nuper 34. de decimis.* Et sic Clericus tenetur ad decimam ex eo, quòd percipit ex patrimonio, ad cuius titulum promotus fuit.

PETES *Quis Iudex possit cognoscere in causis decimarum?*

Respondeo Laicus non potest cognoscere de causis decimarum, si Clerici illas petant à laicis, qui præscriptione, & consuetudine immemorabili, eas nunquam soliti sint persoluere. Ita Azor *p. 1 lib. 7. cap. 36. q. 4.*

Aduerte hîc Cùm diuersæ controuersiæ, lites, & differentiæ, inter Ecclesiasticos, & nobiles Regni Poloniæ, occasione solutionis decimarum oriantur, Vrbanus VIII. obuiando litibus, & controuersiis

trouersiis prædictis in Breui suo, quod edidit anno 1634. hoc negotium commisit; Archiepiscopis, & Episcopis, & mandauit, vt compositiones per Ecclesiarum Rectores, & Laicos faciendas, super quantitatem decimarum, confirment, vel illas approbent de consensu Rectorum, & vbi non adest illorum consensus, etiamsi agatur de noualibus, Ordinarius assumptis duobus de suo capitulo, appellatione remotá causas cognoscat, vbi decimæ quolibet anno, non excedunt florenos quinquaginta in valore earum, & quatenus excederent dictum valorem, tunc semel appellare liceat, & Appellatio per Metropolitanum, assumptis duobus de suo capitulo, cognoscatur, & terminetur: Si verò Metropolitanus sit Ordinarius, tunc appellatio cognoscatur, & terminetur per Nuncium Apostolicum, &c.

Breue pro Polonia ex parte Decimarum.

Collige Causa decimarum licet in feudum datarum secularibus, discutienda est coram iudice Ecclesiastico, licet enim dominium prædictarum decimarum pertineat ad laicos, tamen quia dependet à iure spirituali, & Ecclesiastico, non potest iudex laicus de illis cognoscere. Colligitur ex Decreto Rotæ Cardinalium die 28. Maij Anno salutis 1631.

Causa decimarum ad iudicé spiritualé spectat.

Dico 3. Decimæ mixtæ soluendæ sunt iuxta receptam locorum consuetudinem. Ita habetur *cap. Ad Apostolicam. de Decimis*, *estq; communis*. Si verò decimæ magis accedunt ad prædiales soluendæ sunt sicut prædiales; si verò magis accedunt ad personales, soluendæ sunt, vt personales. Inde,

Mixtæ quomodo soluendæ

Collige 1. Decimæ soluendæ sunt Clericis diuitibus, & improbis. Ratio est, quia decimæ non debentur ob inopiam, & probitatem, sed ob laborem Clericorum. *Ita communiter Doctores.*

Collige 2. Qui decimas non soluunt duo peccata committunt; Vnum est contra iustitiam, & sic obligantur ad restitutionem. Aliud contra Religionem; & sic committunt Sacrilegium, quia non soluunt rem Ecclesiæ debitam, ob sacrum ministerium. Ita Suarez. *cap. 29. num. 4.* Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 2. num. 3.*

Non soluentes decimas duo peccata committunt.

ARTICVLVS III.

Ex quibus rebus decimæ soluendæ, & quomodo?

Ex quo soluendæ decimæ.

Dico 1. Decima prædialis, soluenda est ex fructibus, ac redditibus omnium rerum. Patet *cap. ex parte de decimis.* Ratio est, quia non est maior ratio, cur soluatur ex vna re, quàm ex alia; cùm omnes à Deo proueniant; in quo consuetudo locorum attendenda est; quare ex singulis rebus minimis decimæ non exiguntur, nisi consuetudo in contrarium constet. Ita Bonacina *disp. vltima. de præceptis Ecclesiæ. q. 5. p. 3. num. 9.* Inde.

Collige Ecclesiam duplici actione posse decimas ex fructibus petere. Primò ex Canone, quia per Canones impositum est laicis onus, & debitum, illas soluendi. 2. Rei vindicatione, quæ est actio in rem, & conceditur dominio. *l. in rem ff. de rei vindicatione.*

Integrè soluendæ.

Dico 2. Decimæ soluendæ sunt integrè, & absq; diminutione. *c. commissum de decimis.* Vnde qui fraudat in parte notabili, peccat mortiferè peccato iniustitiæ, quia retinet alienum. Ita Lessius *l. 2. c. 39. dub. 3. n. 16.* Hinc.

Nota.

Collige Dominus agri non tenetur soluere decimas fructuum, quas percepisset, si agrum coluisset, aut ab eluuione defendisset. Ita Bonacina *loco citato num. 11.* vbi citat multos DD. Ratio est, quia decima soluenda est ex fructibus collectis, non verò ex colligendis, vel ex iis, qui colligi potuissent; possunt tamen clerici admonere dominos fundi, vt per se, vel per alios colant agros, fructus colligant, quòd si noluerint, possunt cogi per Episcopum.

ARTICVLVS IV.

Quandonam, & vbi soluendæ decimæ?

Quando decima soluenda personalis.

Dico 1. Decima personalis, soluenda est statim post lucrum acquisitum. Patet quia talis decima soluitur ex lucro; Ergo soluenda est post lucrum acquisitum, nisi fortè consuetudo alibi talis sit, quòd in fine anni soluatur. Ita Layman *loco citato c. 5. n. 52.* Bonac. *loco citato.*

Dico

Prædialis quando.

Dico 2. Decima prædialis soluenda est statim, ac fructus collecti sunt, siue ager pluries in anno ferat fructus, siue semel tantùm. Habetur *cap. Cùm homines de Decimis*. Ratio est, quia decima prædialis debetur ex fructibus collectis. Ergo soluenda est statim collectis fructibus: natura enim præcepti affirmatiui est, vt obliget tempore commodo. Hinc.

In quo loco soluenda.

Collige Decimas esse soluendas antequam exigantur, si talis consuetudo viget, alibi verò non esse soluendas, nisi exigantur, standum esse consuetudini arbitror, iure tamen communi, videntur soluendæ antequam petantur. Ita Lessius *dub. 3. num. 14. & 16.*

Dico 3. Decima soluenda est in loco, in quo ex recepta cōsuetudine solui consueuit. Potuit enim in hac re legitima consuetudo introduci, cùm non aduersetur dispositioni iuris. Quare pluribus in locis vsu receptum est, vt fructibus collectis, admoneatur is, cui soluendæ sunt decimæ, vt accedat ad aream ad suos fructus recipiendos, antequam fructus indecimati in horrea mittantur, (non enim laude dignum est, vt ipso inconsulto in horrea mittantur) quia periculum esset alicuius fraudis, & deceptionis, & iuxta *regulam iuris, Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, in 6. 29.* Quod si admonitus, & requisitus, renuat accedere ad suam decimam recipiendam, poterunt fructus in horrea mitti, relicta decima in agro, in quo solui consueuit, nisi aliter ferat consuetudo. Ita Suarez. *cap. 12. num. 8.* Layman *loco citato num. 2.* Hæc tamen consuetudo in quibusdam locis in Polonia non est laudanda, quando Clerus tardè accedit, ad decimas recipiendas, quia hæc retardatio, fit cum magno detrimento Colonorum, cùm fruges in agris variis periculis sint expositi, maximè pluuiis, ita vt stramina corrumpantur.

ARTICVLVS V.

Quibus modis tolli possit obligatio soluendi decimas?

Decima potest tolli priuilegio Papæ.

Dico 1. Obligatio soluendi decimas, quatenùs decimæ sunt quota fructuum, id est determinata pars, potest tolli priuilegio Papæ. Patet quia obligatio soluendi decimas, est inducta authoritate

Papæ. Ergo potest auctoritate Papæ auferri. Dixi (quatenùs decimæ sunt quota fructuum) quia quatenùs sunt necessaria sustentatio ministrorum Ecclesiæ, non potest auctoritate Papæ auferri, nisi aliunde prouisum sit de necessariis ad illorum sustentationem, quia talis decima debetur iure Diuino, & naturæ, in quo Papa dispensare non potest. Ita Syluester *Verbo Decima*, *q*. 5. Bonacina *loco citato p*. 5. *n*. 1.

Per compositionẽ aufertur.

Dico 2. Obligatio soluendi decimas in futurum, auferri potest per compositionem, interueniente Summi Pontificis authoritate. Ita Suarez. *cap*. 19. & 23. *n*. 5. Layman. *cap*. 6. *num*. 1.

Ratio est, quia sicut potest auferri decima per priuilegium Papæ, ita etiam per compositionem, interueniente ipsius consensu absq; consensu verò Papæ, per solam auctoritatem Episcopi, auferri non potest. Potest autem beneficiarius decimas sibi debitas condonare, quia potest iuri suo cedere.

Consuetudine & præscriptione an tollitur.

Dico 3. Per consuetudinem, & præscriptionem, auferri potest obligatio soluendi decimas, quatenùs decima dicit quotam fructuum, id est certam partem. Ita Layman. *cap*. 7. *n*. 9. Bonacina *loco citato*. *num*. 5. Vbi dicit, aliud esse acquirere ius exigendi decimas, aliud fieri immunem à decimis, quia laici possunt legitima consuetudine, vel præscriptione fieri immunes à decimis, cùm titulo per spatium 40 annorum, non verò possunt præscribere ius primarium decimarum, quia hoc ius est spirituale.



QVÆ.

QVÆSTIO X.
De Beneficijs, & Beneficiarijs.

In ista Quæstione, hæc quæ sequuntur examinabuntur.

1. Quid sit, & quotuplex beneficium.
2. Quibus modis acquirantur beneficia.
3. Quæ requisita habere debeat recipiens beneficia.
4. Vtrum licitum sit habere plura beneficia, & qualia.
5. Quinam, & quo iure teneantur ad residentiam.
6. Quinam possint conferre beneficia.

ARTICVLVS I.
Quid sit, & quotuplex beneficium.

Nota Ad beneficii rationem constituendam, quatuor debent concurrere. Primò officium quo persona Ecclesiastica destinatur ad aliquod spirituale ministerium, puta ad celebrandum, prædicandum, Horas Canonicas recitandum, & huiusmodi: hæc omnia sunt spiritualia, non tamen beneficium, sed fundamentum beneficii. Secundò Ius seu facultas percipiendi certos reditus ex bonis Ecclesiasticis, propter ministerium, & officium spirituale. Tertiò Sunt ipsi fructus qui percipiuntur. Quartò Persona Ecclesiastica, quia seculares non possunt esse de iure capaces beneficiorum Ecclesiasticorum. Tertium nimirum. *Ius percipiendi fructus*, esse id quod primariò, & formaliter nomine beneficii Ecclesiastici significatur, ratione officii Spiritualis, cætera sunt connotata. Ad beneficium quæ requiruntur.

Dico 1. Beneficium Ecclesiasticum sic potest describi, *Est ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.* Ita habetur *cap. Relatum 9. de præbenda.* Vt docet Hostiensis *de beneficiis q.* 1. Lessius *cap.* 34. *dub.* 1. *num.* 1. Definitio beneficii.

Dico 2.

Varia beneficia seculare.

Dico 2. Beneficia sunt varia. Alia sunt secularia, alia regularia. Sæcularia vocantur, quæ non sunt pro Regularibus instituta, & hæc sine dispensatione Papæ, Regularibus conferri non possunt. vt habetur. *c. Cùm de beneficio, 5. de præbendis in 6.* Excipiuntur tamen beneficia curata, hæc enim etsi secularia sint, possunt Regularibus conferri absque speciali dispensatione. Vt habetur, *capite Quòd Dei timorem, 5. de statu Monach.* Regulare beneficium est, quod pro Regularibus, est institutum, vt Abbatia, Prioratus, Canonicatus Regularis, hæc non possunt conferri secularibus absque dispensatione Papæ, exceptis curatis, quæ cum consensu Monasterii possunt secularibus conferri.

Regulare.

Beneficia duplicia.

Alia sunt beneficia duplicia, quæ sunt cum administratione, & Iurisdictione, vt sunt Papatus, Patriarchatus, Cardinalatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, vt habetur *cap. Felices. 5. de pœnis in 6.* Item beneficia quæ vocantur *Dignitates*, vt Præpositura, Decanatus, Abbatia Regularis, Prioratus conuentualis, &c. Huc etiam spectant beneficia, quæ vocantur officia, vt beneficium Sacristæ, &c. quæ habent administrationem sine iurisdictione. Denique Beneficia Parochialia, seu curata, quæ omnia dicuntur duplicia, quia præter recitationem precum, quæ est communis omnibus, habent etiam administrationem, vel aliquam eminentiam.

Simplicia beneficia.

Beneficia Simplicia illa sunt, quæ neque administrationem, neque curam animarum habent, sed solùm instituta sunt ad preces Deo persoluendas, aliaque Diuina officia obeunda, vt sunt Canonicatus Ecclesiarum etiam Cathedralium, vt docet Nauar. *lib. 3. Consil. 45.* Lessius *loco citato n.* 10. Item Capellaniæ &c.

ARTICVLVS II.

Quibus modis acquirantur beneficia.

Quibus modis acquiritur beneficium.

Respondeo Sex modis. Primò præsentatione Patroni præuia, & institutione subsequente. Secundò Electione, & Confirmatione; differt autem præsentatio, ab electione, nam electio fit à pluribus, vt à capitulo, & à solis Ecclesiasticis, & per suffragia, præsenta-

præſentatio verò poteſt fieri ab vna etiam perſona laica, in quouis genere beneficij. Tertiò poſtulatione, & confirmatione, poſtulatur is qui eligi non poterat, vel quia non erat de Capitulo, vel quia iure non erat capax, confirmatur autem ille, qui eſt electus, ſeu poſtulatus.

Collatio.

4. Collatione libera, quando ſolo iure Prælati beneficium datur, nec ſubeſt Iuri patronatus.

Permutatio.

5. Permutatione. 6. Reſignatione in fauorem, cum ſecuta collatione. Sed his poſtremis modis duobus potiùs beneficium amittitur quàm acquiritur, *quia permutatio eſt certæ rei ad alteram facta præſtatio, vt habetur l. 1. ff. de rerum permutatione. Reſignatio, eſt iuris ſui libera dimiſſio, ſeu ceſſio.* Dicitur libera quia coacta per iniuriam eſt nulla, vel certè annullanda, *cap. ſuper hoc, de renunciatione.* Porrò reſignatio debet fieri in manibus eius qui poteſt eam admittere, vt Papa reſpectu omnium beneficiorum. Epiſcopus reſpectu eorum, qui ſibi ſubſunt, cum conſenſu collatorum. Deinde debet fieri à Prælato, in cuius manibus fit. Præterea requiritur, vt is, cui confertur ex vi reſignationis illud acceptet, alioquin reſignans non amittit ſuum beneficium. Tandem requiritur conſenſus patroni, ſi eſt beneficium Iurispatronatus, vel electorum, ſi eſt electiuum, alioquin reſignatio in fauorem non valebit, ſicut nec permutatio. Ita Gloſſa *in Clementina vnica de rerum permutatione.* Deniq; Si reſignans ſit infirmus debet ſuperuiuere 20. dies poſt reſignationem, alioquin cenſetur beneficium vacare per obitum non per reſignationem, & talis reſignatio eſt irrita.

Reſignatio

QVÆRES I.

Quid ſit Iuſpatronatus, & quotuplex?

Quid ſit ius Patronatus.

Dico 1. *Iuſpatronatus eſt poteſtas præſentandi inſtituendum ad beneficium Eccleſiaſticum vacans.* Dicitur *vacans*, quia ſi non vacet, eſt irrita præſentatio.

Dico 2. Iuſpatronatus, aliud eſt Eccleſiaſtici, aliud laici. Iuſpatronatus Eccleſiaſtici eſt, quod competit alicui ex eo, quòd ex bonis Eccleſiaſticis, Eccleſiam fundauit, vel extruxit, vel dotauit,

Ius Patronatus quo tuplex.

dotauit, vel quod habetur ratione Rectoratus Ecclesiæ, aut dignitatis Ecclesiasticæ. Item si habes ius præsentandi, quia Præpositus, Decanus, Abbas, Episcopus &c. hoc ius est patronatus Ecclesiastici. Ita Glossa *in Clementina 2. de Iure Patron.*

Aliud est Iuspatronatus laici, quod competit alicui, quia ex bonis patrimonialibus, seu sæcularibus Ecclesiam fundauit, vel construxit, vel dotauit, aut beneficium aliquod erexit, aut quia ab aliquo horum causam habuit. Si autem iuspatronatus laicus, transferatur in Ecclesiam, vel donatione, vel testamento, vel alia ratione, in Ecclesiam, Monasterium, Capitulum, vel annectatur alicui beneficio, vt Decanatui, Præpositura &c, tunc fit patronatus Ecclesiasticus, vt notat Couaruuias *in qq. pract. cap. 36. num. 2. & alij.*

Quibus modis acquiratur ius Patronatus.

PETES 2. *Quibus modis acquiratur Iuspatronatus respectu Ecclesiæ, vel beneficij.*

Respondeo Primò acquiritur, si quis Ecclesiæ constituendæ fundum concedat. *cap. Quicunq. de iure patronat.* Secūdò Si eam cum consensu Episcopi construat. Tertiò Si eam dotet, vel beneficium aliquod erigat: colligitur ex Trident. *Sess. 25. de reformatione c. 9.* Quartò multiplicatis præsentationibus per tempus, quod memoriam hominum excedat. Ita Trident. *loco citato.* 5. Concessione Pontificis, vt si Ecclesia ab initio fuerit libera, nulli Patronatus subiecta, & vt meliùs defendatur ab aliorum iniuriis Pontifex adoptet illi Patronum, & hoc modo plerumq; Principes seculares, videntur consecuti Iuspatronatus, in Ecclesiis Cathedralibus, & aliis.

Aduerte hîc 1. Concilium Tridentinum circa huius iuris acquisitionem, possessionem, & alienationem multa constituisse, *Sess. 14. c. 12.* legatur.

Aduerte 2. Si patronatus sit laicus, intra 4. menses à vacatione beneficii, vel Ecclesiæ, tenetur præsentationem facere: Si autem sit Ecclesiasticus intra sex. Ita habetur *c. vnico de iure patr. in 6.* Quòd si intra tempus constitutū scientes non præsentauerint, in Episcopi potestate est conferre beneficium, cui voluerit. *C. Quoniam de Iurepatronatus.*

ARTI-

ARTICVLVS III.

Quæ requisita habere debeat recipiens beneficia?

Dico 1. Ante omnia beneficia, requiritur præuius Clericatus, seu prima tonsura, ita vt sine hac sit inhabilis. Colligitur *ex cap. Cùm adeò de rescriptis, & cap. ex literis 6. de transactionibus.* Si verò beneficium ex sua institutione requirat certum ordinem, qui illo ordine caret, est inhabilis ad illud beneficium. Porrò Si quis primam tonsuram, aut alios ordines, ab alieno Episcopo sine literis dimissoriis, vel dispensatione Pontificis acceperit, non est capax beneficii. Habetur *c.* 3. *Si quis ausus, dist.* 7. vbi dicitur. *Si quis alienum sine consensu proprij Episcopi ordinauerit, irrita sit ordinatio*; intellige quoad vsum, & priuilegium Ordinis, seu gradus accepti; quia caret priuilegio, & vsu illius. *Quodsi quæras?* quid talis facerè debeat, vt sit capax? Respondet Glossa in dictum caput, sufficere vt proprius Episcopus illud ratum habeat, id est, quando consentit in illam ordinationem.

Requisita eius qui recipit beneficia.

Dico 2. In eo cui debet conferri beneficium, requiritur probitas morum, nimirum vt non sit deditus, grauibus peccatis, nec infamis, Ita Trident. *Sess.* 14. *cap,* 12. *de reformat.* collatio tamen facta criminoso, non est ipso iure irrita, nisi illud crimen, habeat annexam censuram, aut irregularitatem. Ita Nauar. *cap.* 77. *n.* 12. Est tamen irritanda ab eo, qui habet potestatem, vt constat ex *capite inter dilectos, de excessibus Prælatorum.*

Probitas morum requiritur.

Dico 3. Requiritur scientia, ad quodq; beneficium, nimirum ea, quæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum est necessaria. Ita Concil. Lateran, *cap. cùm in cunctis de Elect.* Trident. *Sess.* 22. *cap.* 2. Vbi requirit ad Episcopatum, vt sit Doctor, aut Licentiatus in Theologia, aut saltem publico alicuius testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur; hoc idem de Cardinalibus creandis decernit Trident. 24. *cap.* 1. *de reformat.* Eandem eruditionem *cap.* 12. requirit in Archidiaconis, quia isti sunt oculi Episcoporum. Hinc.

Scientia.

Collige Collatio beneficii facta ei, qui est omnìnò illitera-

tus, est irrita, quia talis nullo modo officium præstare potest. Vnde Episcopi videre debent, an quiuis ea doctrina sit instructus, quæ ad suum munus ritè obeundum, est necessaria, siquidem nullus ad vllum beneficium admitti debet, nisi idoneus, vt statuit Concil. Trident. *Sess.* 7. *c.* 13. & hoc maximè ad beneficia Parochialia.

Ex parte corporis aptitudo.

Dico 4. Ex parte corporis, ea aptitudo necessaria est, quæ requiritur ad decenter præstandum officium. Vnde collatio facta ei, qui hac aptitudine caret, est irrita. Ita Trident. *Sess.* 22. *cap.* 4. Hinc cæcus, est incapax, quia preces Canonicas, recitare nequit; si tamen post obtentum beneficium, debilitas aliqua superueniat, per quam reddatur ineptus ad officium, non idcirco priuandus est beneficio obtento, sed potest illo liberè frui. si tamen habeat curam animarum, per vicarium enim debet prouidere.

Ex legitimo toro.

Dico 5. Necessarium est, vt sit ex legitimo toro natus, in quo solus Papa ordinariè dispensat; quantumuis ad beneficium simplex posse ab Episcopo dispensari teneat Lessius *dub.* 18. *num.* 86. ad ordinem tamen sacrum, non potest illegitimum habilitare, neq; ad dignitatem, vel personatum, etiam sine cura. In Religionibus mendicantium, possunt illegitimi, ad Sacros ordines promoueri, quia iure communi per ingressum Religionis, tollitur illegitimatio, quoad ordines Sacros tantùm, in quam tamen reincidunt, qui non profitentur; quoad dignitates verò, & Prælationes, possunt Generales, vel Prouinciales cum Capitulo dispensare. Vide Rodericum *tom.* 1. *q.* 13. *a.* 2. Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Reformat.* statuit, vt illegitimi habere nequeant beneficium, vbi parentes eorum actu beneficium obtinent, vel aliquando habuerunt: neq; habere possunt pensiones, super fructibus beneficiorum, vbi parentes beneficia obtinent, vel obtinuerunt.

In Religionibus quomodo tollitur illegitimatio.

Aetas legitima.

Dico 6. Ad singula beneficia requiritur ætas legitima. Ad Episcopatum triginta anni exacti. Habetur *cap. in cunctis de Electione*, ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Ad ordinem verò inferiorem Episcopatu habentem curam animarum, requiritur ætas 25. annorum saltem inchoatorum. Habetur *capite citato*, & in Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 12. totidem anni requiruntur ad Abbatias,

Prioratus,

Prioratus, Decanatus, Præposituras, Archidiaconatus, & similes, ad Abbatissas verò, & alias Præfectas Monialium, requirit Tridentinum *Sess. 25. cap. 7.* annos 40. & vt octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerint: quòd si tales non inueniatur in eodem monasterio, quid faciendum Præsidi? legat Trident. loco citato. Porrò ad alias dignitates, vel Personatus requiritur, vt quis non sit minor annis 22. Ita Trident. *Sess. 24. cap. 12.* Ad Canonicatum requiruntur Cathedralis Ecclesiæ, anni 21. inchoati, quia requirit Subdiaconatum. Deniq; ad alia beneficia, qualiacunque (excepto Parochiali ad quod 25. anni inchoati requiruntur) illa sint, requiritur vt minimùm ætas 14. annorum. Ita Trident. *Sess. 23. cap. 6.* quæ ætas 14. annorum licet per se sufficiat, tamen ratione ordinis, & habilitatis ad ordines, requiritur talis ætas, qualem Tridentinum ad ordines requirit, nisi fortè Summi Pontificis accedat dispensatio.

Dico 7. In suscipiente beneficium, requiritur recta intentio, vt quis velit fideliter inseruire Domino Deo in sanctitate, & iustitia. Quia *beneficium, datur propter officium, cap. fin. de rescriptis in 6.* Tum quia iniquum est, vt dentur iis beneficia, qui non habent animum Ecclesiæ seruire. Hinc. Intentio recta requiritur.

Collige 1. Qui praua intentione accipit beneficium, nimirum propter luxum, honores, diuitias, &c. peccat mortaliter, nō tamen ad restitutionem est obligatus, si muneri suo satisfecit, nec est ipso iure priuatus beneficio, nisi sit beneficium Parochiale. Ita Nauar. *cap. 15. num. 118.* Sotus *lib. 1. de Iustitia. q. 5. a. 6.*

Collige 2. Minùs principali intentione, licet desiderare beneficium, ad necessariam sustentationem in statu Clericali: quia *qui altari deseruit, de altari viuere debet, 1. ad Corinth. 9.* Et *cap. cùm secundùm, de præbendis.*

Collige 3. Qui accepit benificium parochiale, sine intentione accipiendi ordinem Sacerdotii intra annum, vt eius fructus per annum accipiat, postea dimissurus peccat mortaliter, & ad restitutionem obligatur, nisi voluntatem mutet, & ante annum sit promotus, *c. commissa de Elect. in 6.* Idem dicendum de eo qui ab initio re- Accipiens beneficium Parochiale sine intentione accipiendi Sacerdotium peccat.

initio rectam habet intentionem, postea mutat eam, & non vult fieri Presbyter.

Nota.

Collige 4. Qui obtenta Parochiali Ecclesia, & habita eius pacifica possessione, infra annum non promouetur ad Sacerdotium, ipso iure statim est ea priuatus, sine vlla alia admonitione, & si quos fructus post annum recepit, tenetur restituere, *cap. licet de Elect. in 6.* Potest tamen Episcopus ratione studiorum ad septem annos dispensare, modò in primo anno promoueatur ad Subdiaconatum, *ibidem.*

Collige 5. Qui syncerè & bona fide proponit statum Ecclesiasticum, nec velit ab eo resilire, nisi aliqua causa iusta inciderit, non peccat. Ita Nauar. *in Miscellaneo 44. & alij.*

Censuris irretiti nó sunt capaces.

Dico 8. Excommunicatus, suspensus, & interdictus, non est capax beneficii, & collatio talibus beneficii est nulla. Habetur *c. postulastis. 7. de Clerico Excommunicato.* Vide Lessium. *lib. 2. cap. 34. dub. 22.*

Collige 6. Omnes hæreticos, fautoresq́, & defensores eorum, filiosq́ ipsorum, & nepotes per lineam masculinam, esse inhabiles ad omne beneficium Ecclesiasticum. Ita habetur *c. Quicunq́ 2. §. Hæretici, & cap. Statutum 15. de Hæreticis in 6.* Intelligendum verò est de filiis, & nepotibus hæreticorum, credentium, fautorum &c. quos tales adhuc esse, vel in tali statu decessisse constat, non autem eorum, quos constat esse emendatos. Ita habetur *cap. Statutum.* Præterea debet intelligi de filiis illis in hæresi natis, non verò de iis, qui ante hæresim sunt nati. Item de iis quos constat esse filios talium, si enim res sit occulta non impedit. Si mater sit sola hæretica, & Pater non, soli filii, non nepotes sunt inhabiles. *Capite Statutum citato.*

Multiplicia beneficia.

ARTICVLVS IV.

Vtrum licitum sit habere plura beneficia, & qualia?

Nota 1. Beneficia quædam esse incompatibilia, quæ simul non possunt, nec iure, nec consuetudine possideri: quædam compatibilia, quæ vel iure communi, vel saltem consuetudine simul haberi pos-

beri pos-

fieri possunt. Incompatibilia sunt quæ assiduam in Ecclesia beneficiarii præsentiam requirunt, tales sunt omnes Parochiales Ecclesiæ, & alia beneficia, quæ curam animarum habent. *c. Quia in tantùm de præbendis.* Item omnia beneficia, quæ officia, dignitates, & personatus vocantur. *cap. Nonnulli, de Clericis non residentibus.* Itidem Canonicatus, in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, secularibus, vel Regularibus. *Capite citato.* Cuiusmodi sunt beneficia duæ Ecclesiæ Cathedrales, Metropolitanæ, Patriarchiales, Parochiales, Dignitates, Officia, Personatus, Abbatiæ, Prioratus, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, & cætera omnia beneficia, quæ curam animarum habent, vel dignitatem. Vnde Vicarius perpetuus in duabus simul Ecclesiis poscentibus residentiam, nemo esse potest. Ita *Clementina 1. de officijs vicarij.* Item duo Canonicatus in Ecclesiis iisdem Cathedralibus, vel duæ Sacellaniæ, ad eandem functionem concurrentes in eadem Ecclesia, Vnde si habens vnam, obtineat alteram in eadem Ecclesia, vacabit prior, vbi secundæ pacificam possessionem nactus fuerit; cætera simplicia, & inferiora beneficia compatibilia dicuntur.

Incompatibilia.

Nota 2. Incompatibilia, alia esse primi generis, quando vnum ipso iure alterum excludit, posterius prius: alia sunt incompatibilia secũdi generis, quæ simul quidẽ licitè retineri non possunt absq; dispẽsatione, tamẽ nõ ita pugnãt, vt alterũ vacet, altero obtẽto.

Incompatibilia primi generis.

Nota 3. *Ex S. Thoma. Quodlib. 9. a. 15.* Quòd triplex sit actionum ordo. Quædam enim habent deformitatem inseparabilem, vt mendacium, adulterium, &c. Quædam sunt indifferentes vt deambulare, ridere, &c. Quædam absolutè considerata habent quandam deformitatem adiunctam, si tamen debitis circumstantiis vestiantur, licitè fieri possunt, vt occidere alium cum defensione inculpatæ tutelæ.

Triplex actionum ordo.

Dico 1. Habere plura beneficia quàm vnum, non est intrinsecè malum. Patet, quia in aliquibus casibus licitum est plura habere, vt patebit infra.

Pluralitas beneficiorum an licita.

Dico 2. Pluralitas beneficiorum, est ex gradu rerum habentium speciem mali, & periculosarum. Constat. ex *Extrauag. Execrabilis, de*

bilis, de præbendis, & dignitatibus. Vbi mala enumerantur. quæ ex pluralitate beneficiorum nascũtur. Vnde rectè S. Thomas *in Quodl. citata*, citat S. Bernardum dicentem. *Qui non vnus, sed plures in beneficiis est, non vnus, sed plures erit in supplicijs.* Rationes sunt, Tum quia minuitur cultus Diuinus; vnus enim habens tria beneficia, nõ recitat ter preces Canonicas, nec tria facit Sacra. Tùm quia Ecclesia destituitur suis operariis, vnus enim non potest plurium ministeria obire. Tum quia frustrantur multi pauperes, fortè magis idonei, magisq; vtiles Ecclesiæ futuri. Tùm quia hospitalitas debita, in ipsis beneficiorum locis non seruatur, ob absentiam beneficiariorum. Tùm quia cura animarum negligitur. Tùm quia pluralitas beneficiorum, est fomentum vitiorum, parit enim nimiam solicitudinem temporalium, ambitionem, luxum, incontinentiã, concubinatum, lites, scandala pusillorum, & similia, quod indicat Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 17. dicens. Pluralitatem beneficiorum, certum continere animarum periculum. Hoc idem habetur, *Capite Quia in tantùm* 7. *de præbendis. Et in Extrauaganti Execrabilis.* Tùm quia iuri naturali repugnat, quòd caput vnius corporis, sit membrum alterius, quod contingit per pluralitatem beneficiorum. Tùm quia *Nemo potest duobus Dominis seruire*. Matth. 6. Quæ verba 7. *Synodus cap.* 15. ad Propositum allegat. Cuius definitio habetur in capite *Clericus* 21. *q.* 1. Deniq; hinc sequitur defraudatio fundatorum testatorum, qui ad hoc sua bona Ecclesiis contulerant, vt certus numerus Deo seruientium in ea Ecclesia esset. Vnde Gabriel *in Canone Missæ lect.* 28. *Per hoc violatur iustitia, fides frangitur, fraus committitur, animæ defunctorum tardiùs liberantur, ac tota curia cælestis per hoc lætitia spoliatur.*

S. Bernardi dictum.

Rationes cõtra pluralitatem beneficiorum.

Iura prohibent.

Quæ beneficia non compatiuntur alia

Dico 3. Qui habet beneficium curatum, dignitatem, aut personatum, in pacifica possessione, est inhabilis ad simile beneficium, & si aliud acceptet, ipso iure est priuatus primo, & si pergit retinere, perdit vtrumq;, & fit incapax ad quodcunq; aliud, vt constat *ex capite, Cùm iam dudum de præbendis.* Et ex Trident. *Sess.* 7. *cap.* 7. de reformatione.

Dico 4. Quandocunq; vnum beneficium etiam simplex

sufficit

sufficit ad decentem sustentationem, non est licitum aliud habere. Ita Tridentinum *Sess. 24. cap. 17. de reformat.* Quia beneficia sunt instituta, vt *Qui altari deseruit, de altari viuat.* Ergo si vnum beneficium sufficit, non est ratio possidendi aliud. Quod autem beneficium sit sufficiens, ad honestam sustentationem; non auarus, non gulosus, non superbus, sed pius, prudens, & timoratus iudicabit. Ita Binsfeldius *in Enchiridio p. 4. Capite 3. §. 4. Conclusione 6.*

Beneficia simplicia an licita.

Colliges 1. Nemo quacunq; dignitate præfulgens potest recipere, & simul retinere plures Episcopatus in titulum, aut comendam sine dispensatione Papæ, *Sess. 7. cap. 2. de reformat.*

Episcopatus plures an liciti.

Collige 2. Electus ad Episcopatum, obtentá bonorum administratione & consecratione, vel saltem elapso tempore consecrationi præfixo amittit ipso iure omnia beneficia. *cap. Cùm in cunctis. 7. § Cùm verò de elect.* Vbi aduerte hunc Canonem non loqui de Episcopo tutelari, non habente vllam administrationem bonorum Ecclesiasticorum, quales sunt in Polonia Episcopi Suffraganei. Item Episcopo pauperi, probabile est posse conferri beneficium simplex, quo iuuetur. Ita Nauarrus *lib. 3. Consil. Consilio 3. de Concessione præbendæ.*

PETES 1. *An sine dispensatione possint haberi plura beneficia?*

Sine dispensatione an licita plura beneficia.

Respondeo Licitum est in nonnullis casibus, etiam post Cōcilium Tridentinum, sine dispensatione habere plura beneficia. Primò Quando Dignitati, vel Canonicatui annexa est Parochia, quæ per vicarium administratur, tunc enim illa duo censentur quid vnum, cùm beneficium quòd alteri perpetuò vnitum est, illius cui vnitum est naturam induit, vnde Parochiale annexum simplici, induit conditionem simplicis, vt asserit post Tridentinum Nauarrus. Lessius.

Secundò Quando sunt simplicia beneficia, etiam Canonicatus, quorum neutrum sufficit ad honestum vitæ cultum, & alterum non requirit residentiam, siue ex institutione, siue ex consuetudine. Ita excusat in Collegiatis non insignibus. Azor. *tom. 2. l. 6. c. 10.* à non residentia.

Tertiò. Si vnum beneficium habeatur in titulum, aliud in commen-

commendam ad sex menses, etiamsi esset Parochiale. Vt constat ex *cap. Nemo de electione in 6.* saltem cum dispensatione Ordinarii, in commendam verò perpetuam solus Papa dispensat. Ita Nauar. *c.* 22. *num.* 126. Less. *loco citato.* Quartò Si Ecclesia Parochialis, vel Cathedralis, vel Dignitas non sufficiat honestæ sustentationi, tunc cum ea obtineri potest beneficium simplex non requirens residentiam. Ita Trident. *Sess.* 24. *cap.* 17.

Collige Duo curata, etiamsi tenuia, non licet habere sine dispensatione Papæ.

PETES 2. *Vtrum per dispensationem Pontificis, licitum sit habere plura beneficia, requirentia residentiam?*

Pluralitas beneficiorum incópatibilium est licita per dispensationem.

Dico 1. Pluralitas beneficiorum Ecclesiasticorum incompatibilium, & requirentium residentiam, cum dispensatione Summi Pontificis potest esse licita, modò adsint iustæ causæ dispensandi. Ratio est, quia Concilium, nec potuit, nec valuit impedire, quin ob legitimas causas Pontifex possit dispensare; nam Pontifex est supra Concilium, & SS. Pontifices olim dispensárunt, inter quos est Gregorius 1. vt constat. *ex libro 2. Epistolarum cap. 52.* qui cuidam Agnello ob certam Ecclesiæ necessitatem duos Episcopatus habere permisit. Porrò Causæ iustæ dispésandi, sunt duæ præcipuæ. Prima Ecclesiæ necessitas, vel magna vtilitas, vt si desint alii, vel ita idonei vel ita potẽtes: & ita filiis Principũ dantur interdũ Episcopatus etiam ante ætatem, vt Ecclesiæ aduersus hæreticos defendantur: vel si quis putetur magis profuturus absens, quàm alius præsens. Secunda causa est, si alicui viro præclaro, vnum non sufficiat ad honestè viuendum, iuxta suum statum, & alterum possit ei sine incommodo Ecclesiæ dari, colligitur ex S. Bernardo. *Epistola* 271. *ad comitem Theobaldum.*

Causæ dispensandi

Sine iusta causa impetrans dispensationem non est tutus.

Dico 2. Qui sine iusta causa impetrat dispensationem à Papa, in foro conscientiæ, & apud Deum non est tutus. Est S. Thomæ *loco citato, & communis omnium Theologorum.* Ratio est, quia Pontifex non est beneficiorum Dominus, sed dispensator, & dispensatio sine iusta causa, non est dispensatio, sed dissipatio, cùm sit contra voluntatem Domini. Quare S. Bernardus ad Robertum ait. *Quid*

tibi

tibi blandiris de dispensatione, cuius conscientia tenetur Diuina sententiâ ligata.

Collige 1. Qui plura beneficia obtinet licitè, non tenetur recitare pluribus vicibus horas Canonicas, quia iusta dispensatio, tollit obligationem istam. Qui autem sine iusta causa obtinet duo beneficia, quorum vnum sufficit ad honestam sustentationem, bis tenetur dicere horas Canonicas, iuxta Nauarrum, & Dionysium Carthusianum, *de pluralitate beneficiorum art.* 8. quia onus annexum beneficio Ecclesiastico, est oratio horarum Canonicarum. Sed cõtrarium sentit Azor *lib.* 10. *cap.* 4. citans multos DD. quia onus istud ex mente Ecclesiæ est interpretandum, quæ tales non obligat ad pluries recitandum officium. An plura tenens beneficia teneatur plus recitare horas Canonicas.

Collige 2. Qui inordinatè contra iura, & Canones plura obtinet beneficia, non est absoluendus in foro conscientiæ, nisi quæ sic obtinet, dimittat, secundùm communem sententiam, quia talis non est verè contritus. Inordinatè retinés plura non est absoluendus.

Gaietanus verò putat talem posse absolui, qui per Vicarium præstat Ecclesiis, quod per se facturus erat, & Anglez *in locis Theologicis* existimat opinionem posse teneri post Cõcil. Trident. Quòd si aliquis habens plura beneficia iniusta de causa, non agnoscat ea in re in confessione se esse culpabilem, & Confessarius scit, eum plura beneficia inordinatè posside re, tenetur eum examinare, & scrupulum illi facere ob pluralitatem beneficiorum. Si autem credatur, quòd existimet se plura beneficia obtinere, legitimè, non tenetur eum examinare. Ita Nauar. *lib.* 1. *Cons. q.* 20. Sa *Verbo Benef. num.* 1. *dubius est.* Notent Confessarii.

Collige 3. Beneficium non perditur ipso facto ante sententiam, per inhabilitatem superuenientem, vt per homicidium, aut aliud eiusmodi impedimentum. Vide Nauar. *cap.* 27. *num.* 251. docentem per superuenientem irregularitatem, non amitti beneficium.

Collige 4. Habens beneficium curatum suo simplici annexum, non censetur habere curam animarum, Ita Sa *Verbo benef. num.* 6.

Collige 5. Resignatio beneficii in fauorem alicuius, non transfert in eum ius, antequam ei à Papa, vel Episcopo detur; Ita Sa *loco citato num.* 10.

Collige 6. Qui in beneficio malè acquisito fecit debitum officium, potest excusari à fructibus consumptis in vitæ sustentationem, Ita Sa *n.* 22. Si pauper sit.

ARTICVLVS V.

Quinam teneantur ad residentiam, & quo iure?

Ad residentiam tenétur beneficiarii.

Dico 1. Tenentes beneficia, quæ habent curam animarum, tenentur iure Diuino residere, & per se suum officium administrare. Definitum est in Tridentino *Sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* Vbi ex iure Diuino obligat curam animarum habentes ad residentiam personalem: Neq; sufficit, quòd ea officia præstent per alios, nam cùm ipsi emolumenta habeant, non debent alii ferre onus, nisi maior aliqua ratio, & necessitas cogat, aliquandiu abesse, qui enim officium accipit, tacitè obligat suam personam ad functiones officii obeundas, aliàs illi non daretur officium.

Tenentes dignitates tenentur ad residentiam.

Dico 2. Qui in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis tenent, dignitates, Canonicatus, Præbendas, nequeunt quolibet anno vltra tres menses abesse: alioquin primo anno priuari debent media parte fructuum: secundo anno omnibus fructibus, quos illo anno percepissent. Ita Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformatione*. Inde.

Absentes non debét accipere distributiones.

Collige Non lucrari quotidianas distributiones illos, qui absunt, nisi, quis absit inuoluntariè, ob morbum, captiuitatem, iniustam excommunicationem, vel qui discesserit ad procuranda negotia Ecclesiæ, ex capituli commissione.

Dico 3. Parochi si vltra duos menses, absq; legitima causa per Episcopum cognita, & approbata absint, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus pro tempore absentiæ amittunt. Ita Tridentinum *loco citato*. Hinc

Parochus non exercens munus.

Collige 1. Parochus existens in Parochia, sed munus Parochiale non exercens, non satisfacit præcepto residentiæ, & fructus per-

ctus percipere non potest. Ita Lessius *cap.* 34. *dubio* 29. Syluester *Verbo residentia.*

Collige 2. Parochus qui intra Parochiæ fines existens, sed omnia munera per alium exercet, non per seipsum, non potest secundùm aliquos fructus percipere, quia talis non videtur residere, cùm residentia instituta sit ob deseruientiam: iuxta aliquos potest talis fructus percipere, & retinere, quia munus Parochiæ exercet per alium, sine vllo detrimento animarum. Ita Bonacina *disp.* 5. *de obligatione ad residendum p.* 2. *num.* 6. Nota opiniones Doctorum.

Dico 4. Beneficiarii curam animarum gerentes, vt Episcopi, Parochi tenentur, iure naturali, iure Diuino, & iure Canonico, ad residentiam. Hoc fusè probat Bonacina *loco citato p.* 3. *n.* 1. Quo iure obligantur ad residentiam.

PETES 1. *Quam culpam, & pœnam incurrant beneficiarij, qui in loco beneficij non resident?*

Dico 1. Curam animarum habentes, non residendo grauiter peccant, nisi materiæ paruitas, aut alia iusta circumstantia sufficientem præbeat excusationem. Patet, quia faciens contra propriam obligationem in re graui, peccat grauiter. Habetur in Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 12. *de reformatione. est communis* DD. Pœnæ nō residentium beneficiariorum

Dico 2. Beneficiarius dum non residet, dum residere tenetur, præter culpam, potest incurrere aliquam censuram, vel beneficii priuationem, aut aliam pœnam, quam Ordinarius loci pro qualitate contumaciæ, & inobedientiæ à non residentibus incurrendam iniunxerit, iuxta facultatem sibi collatam Tridentino *Sess.* 22. *cap.* 1. *de reformat.* Inde.

Collige 1. Probabiliter sustineri posse Episcopum, aut Parochum, non residentem, non teneri simpliciter ad integram omnium fructuum restitutionem, sed illorum, qui ratione residentiæ, & oneris percipiuntur; quia prædicti recipiunt fructus non solùm ratione residentiæ, sed etiam ratione recitationis Diuini officii. An ad integram fructuum restitutionem obligentur.

Collige 2. Tam Episcopum, quàm Parochum, aliumuè curam animarum habentem, prædictam pœnam incurrere, ante sententiam iudicis; Ita declarauit Tridentinum loco citato his verbis. *Nec tuta conscientia alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere* Quando pœnæ præfatæ obligent.

 posse,

posse, nempe fructus, *sed teneri illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare*. Ratio est, quia nullus capere, vel retinere potest, quod suum non est, & ad cuius restitutionem in conscientia obligatur. Sed fructus beneficii non sunt non residentium. Ergo.

PETES 2. *Quæ causæ beneficiarios excusant à residentia?*

Causæ excusantes à residentia

Respondeo Multas esse causas, quæ non residentes excusant à culpa, & pœna. Primò Quando quis ad quinquennium Theologiæ operam dat, aut iuri Canonico. *Capite licet de præbendis*, & *cap. finali de Magistris*, & ita docent communiter DD. quos citat Bonacina *loco citato p. 5*. Excusantur etiam docentes publicè Theologiam, vel ius Canonicum, licet longo tempore absint causa docendi. *Capite super specula de magistris*. Item qui Philosophiæ studet, aut Rhetoricæ, vel Grammaticæ, ad hæc tamen inferiora studia requiritur licentia Episcopi. Secundò Si duo Canonici sint in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ vtilitatem, *Cap. Ad audientiam de Clericis non residentibus*. Tertiò Obsequium Papæ ad Ecclesiæ vtilitatem: *cap. cùm dilectus. de Clericis non residentibus*. Et sic Cardinales, quos Summus Pontifex residere non permittit, vt illorum opera, consilio vtatur, adest enim causa obedientiæ, & vtilitas Ecclesiæ, de Cardinalibus non admittunt multi graues DD. quos citat Bonacina *loco citato p. 5. n. 8. & 9.* excusantur tamen iuxta aliquos, præsertim Cardinales illi, qui habent Episcopatum proximiorem Romæ, vt Ostiensem, Albanensem, &c. isti enim aliquando per se possunt diœcesim visitare. An verò Camerarii, aut Vicecancellarii excusentur à residentia, negant aliqui, sed Bonacina putat standum esse iudicio Summi Pontificis. Quartò excusatur Episcopus, qui in vtilitatem suæ, vel alterius Ecclesiæ, abest. Ita Vasquez *in opusc. de beneficiis cap. 4. §. 2.* Quintò Licentia legitima, ex quauis iusta alia causa, iuxta Glossam *in caput Inter quatuor de Clericis non residentibus*. Sextò Absentem ad dirimendas lites, inter aliquos ortas, vel ad alia opera charitatis proximi, excusari, à residentia, quia titulo Christianæ charitatis abesse dicitur. Ita Bonac. *loco citato n. 7.*

Aduerte hîc 1. Si quis absq; iusta causa absit, peccat mortaliter, non tamen tenetur restituere fructus, si officio satisfecit per

alium

alium, nisi ad id condemnetur, aut in iure sit expressum. Ita Nauar. *cap.* 25. *num.* 121.

Aduerte 2. Concilium Tridentinum quando Beneficiarios obligat ad residentiam, *Sess.* 24. *cap.* 10. reuocat omnia statuta, & consuetudines, quibus ante licebat abesse vltra menses tres, non tamen reuocat priuilegia concessa à Papa. Nota decretum Concilii.

Aduerte 3. Facultas non residendi, aliquando à iure, vt studere Theologiæ, aliquando à Papa, vt Episcopis, vt nō resideant, aliquādo ab Episcopo, vt Parochis ad duos menses, conceditur. Inde Quis facultatem dat.

Collige 1. Episcopis licitum est singulis annis, siue continuò, siue interruptis vicibus, à propriis Ecclesiis ex iusta causa ad summum tres abesse menses, sine alia Superioris approbatione, non tamen longiori tempore. Ita Trident. *Sess.* 23. *cap* 1. Si verò sine iusta causa absint, peccant grauiter. Quare si præter tres menses necessarium sit abesse longiori tempore propter aliquas causas, hæ causæ approbandæ sunt à Pontifice, vel à Metropolitano, vel ab antiquiore Suffraganeo. Licitum tamen est in Polonia Episcopis abesse ob officium Reipublicæ, vt V. G. intersint Comitiis, è re enim est Ecclesiæ, vt intersint, & ad id tenentur quá Senatores Regni. Episcopis an licitum abesse.

Collige 2. Si Episcopus absit continuè à sua Ecclesia, plusquam vno anno absq; dicta approbatione, debet denunciari Papæ: & à Concilio Tridentino *Sess.* 23. *c.* 1. decernitur, vt omnes fructus pro rata absentiæ amittat, qui applicandi sunt fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus. Si verò sint causæ approbatæ, sed non scripto, probabile est in foro conscientiæ fructus non amitti, si nullum detrimentum patiantur oues, in foro tamen externo, potest cogi ad restitutionem. Absentes obnoxii restitutioni

Collige 3. Qui intra duos menses obtinent beneficium, debent facere fidei professionem, coram Episcopo, vel Vicario eius generali, alioquin non faciunt fructus suos, nec possessio illis suffragatur: Ita Tridentinum. *Sess.* 24. *cap.* 12.

Collige 4. Excusat in Ecclesiis collegiatis non insignibus consuetudo immemorabilis, & reditus tenues, qui Canonicos ale-

re non

re non possunt: tenentur tamen non residentes per alium tot Missas dicere, ad quot residentes tenebantur. Ita communiter DD.

ARTICVLVS VI.

Quinam possint conferre beneficia?

Qui beneficia conferre possint.

Dico 1. Summus Pontifex vbiq; terrarum, quia habet supremam potestatem in terra, etiam posset & in Mensibus, Ordinariis assignatis.

Episcopi quando.

Dico 2. Episcopi conferunt in sua diœcesi beneficia vacantia, in mensibus Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris, Decembris, vt declarârunt Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Sixtus V. Canonicatus tamen & dignitates cum consilio capituli conferre debent, nisi aliud consuetudo doceat.

Dico 3. Capitulum per se non potest conferre beneficia, etiam sede vacante, nisi eorum collatio pertineat, ad Episcopum simul, & Capitulum, vel si sit suspensus, à collatione beneficiorum Ordinarius. *Cap. Illa 2. Ne Sede vacante.*

Quot modis datur beneficium.

Nota 1. Quatuor modis contingit aliquem dare beneficium aut per collationem, aut per resignationem, aut per electionem, aut per præsentationem.

Nota 2. Qui alteri dat beneficium duo obseruare debet. Primum est, vt det gratis, hoc est, non pro aliquo precio temporali, quia id oleret Simoniam. 2. vt det digno; nam qui sciens, & volens promouet indignum peccat mortaliter, & obligatur ad restitutionem Ecclesiæ, in qua est beneficium, quia est causa damni, quod patitur Ecclesia.

PETES *An beneficia debeant conferri dignioribus?*

Quibus conferenda beneficia.

Dico 1. Quando confertur digno, prætermisso digniori, collatio est valida in vtroq; foro, ita vt dignus bona conscientia possit beneficium retinere. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 63, *a.* 2. *ad* 3. & sic iura sunt intelligenda, quæ requirunt dignum, aliás magna esset perturbatio in Ecclesia.

Dico 2. Qui promouet, aut eligit aliquis dignum, prætermisso digniori, peccat, præsertim ad beneficium habens curam animarum

animarum

nimarum, licet non peccet mortaliter, quando excessus dignitatis est paruus. Item si aliquis fundator, beneficium ita instituit, vt si quis ex sua familia idoneus repertus fuerit ipsi detur, & sic probabiliter tenent DD. talem beneficiarium non teneri ad restitutionem, modò sit verè idoneus. Ita D. Subt. *in* 4. *dist.* 15. Collatores debent præsentare dignos.

Dico 3. Patroni, qui habent ius præsentandi, peccant grauiter, si indignos præsentent, & collatores, qui talibus conferunt. Ratio est, quia grauiter Ecclesiæ nocent, vt colligitur, *ex cap. Graue nimis de præbendis.*

An autem beneficiarii omittentes officium, obligentur ad restitutionem, dictum est, *q.* 3. *a.* 7.

Collige 1. Dans beneficium indigno, tenetur Ecclesiæ, cui damnum dedit, non autem digno, Ita Sa *Verbo Beneficium. num.* 43.

Collige 2, Qui potest conferre beneficia, potest concedere vt permutentur, obseruanda tamen est in hoc negotio Constitutio Pii V. quæ incipit Quanta. Collige 3. Nemo sibi ipsi potest conferre beneficium. Est communis DD.





DISPVTATIO II
De Vitiis Oppositis Religioni.

Explicatis omnibus ferè speciebus virtutis Religionis, nunc agendum est de Irreligiositate, seu de Oppositis vitiis Religioni, quæ cùm quædam immediatè eidem opponantur per excessum, vel per defectum, de his in hac Quæstione tractabitur: in secūda verò Quæstione, de fide virtute Theologica: & in tertia de vitiis oppositis fidei, quæ mediatè opponuntur etiam virtuti Religionis.

QVÆSTIO I.
De Irreligiositate.

In hac Quæstione inquirendum est, de vitijs immediatè virtuti Religionis oppositis, siue per excessum cultus, quæ nomine Superstitionis, idololatriæ, &c. comprehenduntur, siue per defectum, & contemptum, quæ nomine Irreligiositatis appellantur, vt est Sacrilegium, blasphemia, &c. & hæc per II. Articulos, examinabuntur.

1. Quid sit superstitio, & quotuplex.
2. Quid sit idololatria, & quale peccatum.
3. Quid sit diuinatio, quibus modis fiat, & quale peccatum.
4. Quid sit vana obseruantia, & quæ species eius.
5. Quid sit magia, & quotuplex, & quale peccatum.
6. Quid sit maleficium, quot eius genera, & quale peccatum.
7. Quid sit Sacrilegium, & quale peccatum.

8. Quid

8. Quid sit blasphemia, & quotuplex.
9. Quid sit tentatio Dei, & quale peccatum.
10. Quid sit simonia, & quotuplex.
11. De Immunitate Ecclesiastica.

ARTICVLVS I.

Quid sit superstitio, & quotuplex.

Dico 1. Superstitio est falsa religio, id est, vitiosus cultus, veri, vel falsi Numinis, qui inclinat ad indebitum Dei cultum, vel quia exhibet cultum Diuinum creaturæ, qualis ei non debetur. Superstitio quid.

Dico 2. Superstitio, alia est ratione rei cultæ, quatenùs creatura colitur cultu Dei, & hæc sub se continet, idololatriam, diuinationem, & vanam obseruantiam; alia est superstitio modi indebiti colendi Deum, quatenùs Deus colitur modo indebito: & hæc superstitio est adhuc duplex. Vna dicitur cultus falsus, vt si quis velit colere Deum, cæremoniis Iudæorum, quibus significatus est Christus venturus, aut quando fidem nostram falsis miraculis cõtendit confirmare, aut quando falsa miracula prædicat, aut quando formam, vel materiam Sacramenti mutat, aut falsas reliquias proponit adorandas. Ita Nauar. *cap.* 12. *num.* 87. Lessius *cap.* 43. *n.* 2. *& alij.* Hinc. Quotuplex superstitio.

Collige Cantans in Diuino officio voce, aut organo turpia, & vana, si hæc admisceat, tanquam Diuini officii partem, peccat cultu falso, & superfluo, qua finis Diuini cultus est, mentes ad DEVM excitare, talis autem canendi modus ad profana rapit.

Secunda dicitur cultus superfluus, vt cùm præter Ecclesiæ vsum ponitur religio in iis rebus; aut circumstantiis, in quibus nõ est ponenda, vt in numero, colore, situ &c. vt V. G. dum aliquis ponit tot, & non plures candelas, talis, & talis coloris &c. Idem dicendum quando variantur cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ, vt si quis dicat in Missa Credo, aut Gloria in excelsis, vbi hæc non sunt dicenda, aut faciat signum crucis, vbi non est faciendum, quæ variatio, vt plurimùm est peccatum veniale, si fiat bono animo, & intentione: secùs si sit magna variatio in cæremoniis magni momenti Cultus superfluus est superstitio.

menti, ex præcepto, aut ex consuetudine debitis, aut si fiat ex cõtemptu. Ita Lessius *dub. 1. num. 5.* Layman *lib. 4. t. 10. cap. 1. num. 1. & alij.*

ARTICVLVS II.

Quid sit Idololatria, & quale peccatum?

Idololatria ab idolo

Nota 1. Idololatria dicitur ab Idolo, quod est effigies alicuius falsi numinis, ad differentiam imaginis Dei, Angelorũ, & Sanctorum, quæ nunquam à Scriptoribus Ecclesiasticis appellantur idolum. Ita Layman *loco citato cap. 2. num. 1.*

Duplex idololatria

Nota 2. Idololatria alia est propria, quæ est cultus Dei, qui tribuitur creaturæ: alia est impropria, & est quodlibet peccatum, cui homo inhæret, & sic S. Paulus *ad Ephes. 5.* vocat auaritiam idololatriam: ex eo autem dicitur peccatum idololatria, quia peccator in eo finem suum interpretatiuè ponit, recedendo à Deo, & conuertendo se ad creaturam, & peccatum.

Ad idololatriam duo actus concurrunt.

Nota 3. Ad actum idololatriæ duo actus concurrunt. Primus est, vt idololatria talem habeat opinionem de creatura, quam colit, quæ soli Deo competit, siue habeat hanc opinionem explicitè, vel implicitè, qualem habet is, qui sciens falsitatem idololatriæ, nihilominùs, vult facere, quod cæteri idololatræ faciunt. Alius est actus externus ordinatus ad significandam opinionem, quam habet is, qui falsum numen colit. Ita Layman *loco citato n. 5.* Bonac. *circa 1. præcep. q. 5.*

Dico 1. Idololatria est peccatum, quo honor Dei creaturæ tribuitur. Patet ex S. Thoma 2. 2. *q.* 94. *a.* 1. & constat ex notandis.

Dico 2. Idololatria est grauissimum peccatum, inter ea, quæ opponuntur cultui Diuino. Est communis DD. Ratio est, quia quantùm in se est, tollit honorem Dei, illumque transfert ad creaturam, ac si illa esset Deus. Aduerte tamen hîc idololatriam ratione dispensationis subiecti, posse esse in plerisq; idololatris, minus peccatum, quàm sit hæresis in Christianis, quia idololatria potiùs ex ignorantia, quàm ex malo affectu erga DEVM procedit, hæresis

hæresis verò ex malo affectu, & contemptu veræ Religionis, & Ecclesiæ. Inde.

Collige Qui ficto animo colit idolum, vt mortis periculum euadat, peccat mortaliter, & committit idololatriam externam, non tamen incurrit excommunicationem Bullæ cænæ Domini, latam contra hæreticos, quia illa excommunicatio fertur contra hæreticos malè credentes, non autem contra idololatras solùm externos, licet in foro externo præsumatur excommunicatus. Ita Bonacina *loco citato puncto* 2. *num.* 5. Qui scire cupit vnde idololatria originem traxerit, legat Lessium *cap.* 43. *dubio* 3.

ARTICVLVS III.

Quid sit Diuinatio, quibus modis fiat, & quale peccatum?

Dico 1. Diuinatio est prædictio rerum occultarum, quæ humano modo cognosci non possunt, facta ope, vel disciplina dæmonis. Quid diuinatio.

Nota 1. Licet dæmones certò non cognoscant futura, quæ non habent causam determinatam, sed à libero arbitrio nostro pèdent, tamen possunt longè plura de rebus futuris, & occultis, quàm homines cognoscere: Tum quia cognoscunt nostras affectiones, & inclinationes. Tum quia cognoscunt causas naturales, & virtutes earum. Tum quia habent longam experientiam. Tum quia meliùs intelligunt scripturas. Hinc fit vt diuinatores arte dæmonis, aliqua prænunciare, & diuinare possint. ita Martin. Delrius *libro* 4. *disquisit. cap.* 2. *q.* 2. *Bonacina loco citato puncto* 3. *num.* 2.

Nota 2. Variis modis diuinatores docentur à dæmone ea, quæ prænunciant, Primò per allocutionem, cùm illis apparet in forma visibili; 2. quia format in àere vocem. 3. per traditionem scripturæ in qua continentur res prænunciandæ. 4. per dispositionem phantasmatis ad diuinandum &c. Breuiter dicendo dæmon imitatur modos reuelationis Diuinæ, vt hac ratione speciem aliquam diuinitatis captet, & ostentet. Quomodo docentur à dæmonibus.

Dico 2. Diuinatio, vel fit per expressam dæmonis inuocationem, vel per tacitam, quæ contingit, quando quis mediis vanis,

quibus se immiscet dæmon, procurat cognitionem rerum latentium: & hæc accidit etiamsi ille qui vanis signis vtitur, non intendat expresè dæmonem inuocare, vnde modus inueniendi thesaurum, vel furtum occultum est superstitiosus, cum hoc sine ope dæmonis fieri non posit.

PETES 1. *Quot modis contingat diuinatio cum expressa dæmonis inuocatione?*

Multis modis fit diuinatio.

Respondeo variis modis. Primò per apparitionem fictam, in figuris, vel assumptis corporibus. 2. Per signa apparentia in corporibus terrestribus, vt in ligno, ferro, lapide, &c. 3. Per nigromantiam, quæ fit excitando aliquem mortuum, qui respondeat. 4. Per exta animalium. 5. Per àëra. 6. Per ignem. 7. Per aquam. 8. Per somnia, quatenùs homo per somnia à dæmone immissa diuinat. Circa somnia sciendum est, quòd proueniat à variis causis: aliquando ab internis humoribus, motum aliquem in phantasia causantibus, ex quo somnia illis humoribus conformia consurgunt; vnde qui abundant phlegmate, de aquis somniant. Aliquando somnia excitantur à corpore circumstante, à quo imaginatio excitatur. Aliquando ab àëre: aliquando à cogitatione; aliquando ab Angelo bono, vel malo; cùm igitur multæ sint causæ somniorum, cauendum est ne somniis à dæmone immissis, aut etiam à præuia cogitatione prouenientibus, certa fides adhibeatur, quia dæmon aliquando per somnia decipere solet. Fidem verò adhibere somniis, quæ à Deo, vel à causa naturali proueniunt, non est illicitum; dummodò certò, & necessariò non credatur effectus futurus. Ita S. Thomas 2. 2. q. 95. a. 6. & alij.

Somnia quæ à Deo

Aduerte hîc duas regulas assignari à Doctoribus, quomodò somnia possint cognosci esse à Deo, & Angelo lucis, vel à dæmone. Prima Quando somnium impellit ad malum, vel ad aliquod indiscretum, & tale est à dæmone: quando verò ad bonum inuitat, credi potest esse à Deo, vel Angelo lucis. Secunda est, quando homo post somnium remanet turbato animo, & minùs disposito ad opus bonum; & tale esse credendum à dæmone: quando verò lætiori, & aptiori existit animo, à Deo.

Quando

Quando verò dubitatur, an sit à Deo, vel à dæmone præsumi potest esse à dæmone. Ita Delrius *cap. 3. q. 6. loco citato.* vnde *Eccles.* 34. dicitur. *Nisi ab altissimo emissa fuerit visitatio, ne dederis in eis cor tuum.*

Collige. Etsi dæmon non possit vllam animam reuocare à mortuis, tamen sæpè fingit assumendo corpus, & hæc est Nicromantia. Et quando prænunciat futura per viuos, & arreptitios homines, & dicitur diuinatio per Phytones. Quandoq; per figuras, & signa terrestria, & tunc diuersæ fiunt species iuxta diuersam materiam. Si in materia terrestri, vt puta, vngue, ferro, aut lapide futura prænunciantur, vocatur Geomantia. Si in aqua vocatur Hydromantia. Si in igne, Pyromantia, si in visceribus animalium, vocatur Aruspicium. Nicromantia. Geomantia. Hydromantia. Pyromantia.

PETES 2. *Quando contingit diuinatio cùm tacita solùm dæmonis inuocatione?*

Respondeo Contingit 1. Quando quis vult diuinare per taxillos, aut chartas, aut per id quod primo loco occurrerit aperienti librum.

Secundò Quando quis vult diuinare ex inspectione dispositionis quarundam rerum, aut numeri, aut ex obseruatione vocis, vel cantus, aut ex manuum lineis, ex fronte, coloribus, figuris, garritu auium, ex voce animalium, ex sternutatione, ex fractione calcei, &c. Intellige hæc, modò diuinatio fiat per ea, quorum cognitio naturaliter haberi non potest. Si autem à causa naturali proueniat, licita est: & sic ex volatu auium, aut cantu prædici possunt, tempestates, venti, pluuiæ, & serenitates. Similiter si signa proueniant, vel dirigantur à Deo, vt iris, est signum non ampliùs delendi mundum per aquas. Et verba illa Philistinorum. 1. Reg. 14. *Ascendite ad nos.* erant signum Ionathæ ipsos fore cædendos, DEVS enim hæc ita dirigebat. Quare si non constet, vel non sit probabile huiusmodi ex peculiari Dei prouidentia, ad certum euentum liberum præsignandum, destinari, superstitio est ex talibus diuinationem capere. Tacita dæmonis inuocatio.

PETES 3. *Vtrum omnis prædictio ex astris sit illicita?*

Nota

Astrologia quæ sit licita.

Nota Astrologiam, aliam esse naturalem, quæ ex ortu, occasu, & coniunctione planetarum, oppositioneq́; tùm inter se, tùm ad stellas fixas, de pluuiis, & serenitatibus coniectat, & hæc non est prohibita, tamen magna ex parte est incerta. Alia est Iudiciaria quæ ex aspectu syderum obseruato, iudicat de futuris euentis a libero arbitrio aliqua ratione dependentibus, vt de conditione vitæ, de matrimonio, de honoribus &c. est illicita, & peccatum mortale. Primò, quia id in SS. literis prohibetur *Isaiæ* 47. *Stent & saluent te augures cæli, contemplabantur sydera, & computabant menses, vt tibi vera prædicerent*; vbi per Augures intelliguntur Astrologi, vt 70. vertunt 2. Quia id Concilia damnant. *Concilium Tolet.* 1. *c. vltimo dicit. Si quis Astrologiæ, vel Mathesi credendum esse dixerit, anathema sit.* 3. Sancti PP. contra hanc vanitatem fusè disputant. S. Aug. *lib.* 2. *de Genesi ad literam. cap.* 17. 4. ratione probatur. Tùm quia hæc diuinatio supponit actiones humanas pendere à stellis, quod est grauis error contra fidem, inducit enim fatum, & consequenter tollit liberum arbitrium, Deumq́; facit causam peccati. Tùm quia vtentes hac diuinatione, subiiciunt se disciplinæ diaboli, ex cuius traditione per homines curiosos, ab ipso deceptos, regulæ huius artis, & similium processerunt, teste S. Aug. 8. *de Ciuitate, cap.* 16. non enim talia sunt inuenta per experientiam hominum. Tùm quia per vsum huius artis allicitur diabolus, vt procuret ea, quæ prædicuntur, dat enim operam, vt eueniant, vel videantur euenire, vt homines in hac falsa opinione confirmet.

Veritas à dæmone reuelata an sit licita.

Dices Posse homines veritate illa vti, quam dæmon tradit, quia illa veritas non est ipsius, sed Dei. Respondeo Si id quod traditur per se verum sit, & sic concedo; secùs si in se sit falsum, & vanum, nec habeat veri speciem, nisi dæmone procurante. Hinc.

Collige Astrologos illos qui aliquid prædicant absolutè: V. G. hunc tali, vel tali morte, hoc tempore, vel loco periturum, hunc futurum furem, homicidam, Episcopum &c, mortaliter peccare, etiamsi dicant non certò se affirmare. Vide Lessium *lib.* 2. *c.* 43. *d.* 6. *num.* 42.

PETES

PETES 4. *Vtrum vsus sortium sit licitus?*

Quid sors & quotuplex.

Nota 1. Sortes dicuntur, quando aliquid eo fine agitur, vt eius euentu spectato, aliquid occultum innotescat, V. G. quid cui competat. Porrò Sortes aliæ sunt diuisoriæ, aliæ consultoriæ, aliæ diuinatoriæ. Diuisoriæ sunt quæ emittuntur ad cognoscendum, quid vnicuiq; tribuendum sit in electionibus, controuersiis &c. Consultoriæ quæ emittuntur ad indagandam Diuinam voluntatem, vt sciatur quid agendum, vel cauendum sit. Diuinatoriæ per quas inquiritur de futuris euentis.

Nota 2. Directionem sortium, posse expectari, vel à cælo, vel à casu, vel a dæmone.

Sortes diuisoriæ licitæ.

Dico 1. Sortes diuisoriæ licitæ sunt, si euentus expectetur à casu, vel ex peculiari Dei prouidentia, modò adsint debitæ conditiones. Prima est vt fiat in casibus non prohibitis. Vnde contractus sponsionis & sortium, qui frequens est inter homines, consentientibus partibus, vt eius sit res, vel electio, cui sors, & casus fuerit. 2. est, vt non violetur iustitia, sed illæsum seruetur ius partium, vnde non licet mittere sortes inter dignum, & indignum, quia fieri potest, vt sors cadat in fauorem indigni, & violetur ius digni: Ita Lessius *lib. 2. cap. 43. dub. 9. num. 85.* Bonac. *Disp. 3. q. 5. p. 3. num. 15.* 3. est, vt non fiat cum irreuerentia rerum sacrarum, ideò non licet adhibere librum Euangeliorum in mittendis sortibus. Ita Bonac. *loco citato.* Suarez. *cap. 12. num. 16.* 4. est, vt non expectetur ab astris, aut ex ope dæmonis sors feliciter euentura. 5. vt nō fiat in electionibus Ecclesiasticis. V. G. ad beneficium, vel ad alia ministeria Ecclesiastica. *cap. Ecclesia de Sortilegijs.* Ratio est, quia electio ad dignitates Ecclesiasticas, fieri debet inspiratione Spiritus Sancti, & concordia electorum, non verò per sortes: imò neq; secularia officia per sortes distribuenda, ne conferantur indignis. Aduertit Lessius *loco citato* posse plures idoneos nominari, & vnum eorum per sortes ad officium eligi, si hoc sit absq; damno communi, & iniuria proximi. Sicut S. Matthias electus fuit, non suffragio humano, sed per sortem, vt sicut alii Apostoli immediatè à Christo Domino, ita & ille, qui in locum Iudæ succederet. Si tamen modò ad officia Ec-

ficia Ecclesiastica fieret electio regulariter, non est ipso facto irrita.

Consultoriæ Sortes Dico 2. Consultoriæ sortes regulariter sunt illicitæ: quia Deus non vult voluntatem suam per sortes indagari, cùm non desint viri periti, qui possunt dare consilium. Dixi *regulariter*, quia sortes consultoriæ sunt licitæ, concurrentibus his conditionibus. 1. Si requirat id necessitas, cum debita reuerentia. 2. vt fiat circa debitam materiam, quia in electionibus Ecclesiasticis id prohibitum est *c. finali, de Sortilegiis*. 3. vt fiant modo debito, ne Diuina consilia conuertantur ad res vanas, & ad terrena negotia, quæ humanâ industriâ pertractari possunt. Ita Suarez. *l. 2. de superstitione cap. 12.* Azor 1. *p. l. 9. cap. 21.*

Diuinatoriæ. Dico 3. Sortes Diuinatoriæ sunt illicitæ. Patet quia sortium moderatio, & directio, vel expectatur à Deo, vel à casu, vel à dæmone. Si à dæmone, certũ est hoc esse superstitiosũ, & cõtinere dæmonis inuocationẽ. Si à casu, certũ est casũ non posse influere, & per eas aliquid demonstrare. Si à Deo, non constat Deum illas directurum, quia hoc non promisit, & sæpè aliter, quam per Sortes euentus contingit. Ita S. Thom. 2. 2. *q. 95. a. 8.*

Diuinatio quale peccatum. PETES 5. *Quale peccatum sit diuinatio?*

Respondeo Ex suo genere, siue fiat cum expressa, siue cum tacita inuocatione dæmonis, est peccatum mortale. Ita Bonac. *de 3. q. 5. p. 3. n. 17.* cum communi sententia Doctorum. Patet quia per diuinationem initur consortium, & societas cum dæmone, ipseq; tacitè honoratur. Ex his.

Collige 1. Diuinationem per somnia, sortes, & alia, esse peccatum mortale, ex suo genere, licet aliquando à mortali possit excusari, aliquis rudis, & simplex, qui facilè putat somnia esse à Deo, vel tenuiter credat, id est, non præstet illis fidem, tanquam certis, sed solùm timorem quendam concipiat, tunc enim non habet perfectam rationem superstitionis, & imperfectio actus excusat à mortali. Vel si quis credat somnium fortè esse à Deo. Ita Bonac. *loco citato. num. 19.* Lessius *dub. 9.*

Collige 2. Diuinatio cum tacita dæmonis inuocatione, habet malitiam eiusdem speciei, quam habet facta cum expressa inuocatione, ta-

tione, tamen DD. censent explicandum esse in Confessione, nam diuinatio cum expressa dæmonis inuocatione coniunctam habet aliquando hæresim, & alia peccata.

Collige 3. Diuinatio siue fiat per aërem, siue per aquam, siue per ignem, siue per astra &c. eiusdem est speciei in genere moris, licet sit diuersæ speciei in genere naturæ. Ita Suarez *loco citato c. 9. & 10.* Rodericus *c. 53. num. 5.*

An diuinationes an sint eiusdem speciei.

Collige 4. Diuinatores, aruspices, inuocantes dæmonem, non sunt ipso facto excommunicati: quòdsi aliquod ius contrarium afferatur, intelligitur de excommunicatione ferenda, non lata, modò tamen non sentiant aliquid contra fidem, tunc enim excommunicationem contra hæreticos latam, incurrunt. Ita Bonac. *loco citato num. 22.*

Diuinatores an sint excommunicati.

Collige 5. Qui ex astris præcisè futuros effectus contingentes, ab hominum voluntate pendentes, prædicunt, grauiter peccant, contra constitutionem Sixti V. non solùm dum certò pronunciant euenturos, sed etiam dum probabiliter solùm ex leuibus indiciis coniectant. Porrò à solis astris, & ab aliis causis, & circumstantiis, desumpta diuinatio, vt ab ipsa corporis complexione, dispositione, seu temperamento, ab actionibus humanis, aliisque similibus circumstantiis, non prohibetur per istam Bullam Sixti V. hæc enim non dicitur Diuinatio, sed astrologia naturalis: modò tamen hi effectus non prædicantur, certò & absolutè, V. G. hunc fore diuitem, furem, hæc enim viribus naturæ sciri nequeunt, vt dixi hîc *Petito 3.*

Pendentes effectus à voluntate hominum prædici non debent.

ARTICVLVS IV.

De Vana obseruatione.

In hoc Articulo inquirendum est, quid sit vana obseruatio, deinde quotuplex sit vana obseruatio.

Quantùm ad 1. Dico Vana obseruatio, est superstitio, quâ media inutilia adhibentur ad faciendum, vel omittendum aliquid, ad quod illa media, nec à Deo, nec à natura, vim vllam habent; vt fit quando quis mediis inutilibus nititur acquirere sanitatem, vel scientiam

Vana obseruantia

scientiam &c. aut quibusdam verbis alligare dæmonem, illumq; includere in annulo, vase &c; aut quando quis animalibus noxiis mittit chirographum, aut litem mouet, vt ea expellat; aut quando quis profert verba, quibus moueatur annulus ad designandam diei horam. Aut quando lusores ad euitandam malam fortunam mutant loca. Ita Bonac. *loco citato num. 3. p. 4.* maximè si certò credant lusores, ob id se abiecturos malam fortunam.

Quantùm ad Secundum: Dico Vanæ obseruationis, quatuor præcipuè esse species. Prima est ars notoria, quæ certis ieiuniis, & orationibus, & variis obseruationibus, per inspectionem figurarum, vel prolationem verborum &c. Scientiam se consecuturum absq; labore sperat. Ita S. Thom. 2. 2. *q. 96. art. 1.* Et hæc superstitio est peccatum mortale, quia continet tacitam cum Dæmone Societatem, tribuens ei id quòd est proprium Dei. 2. est obseruatio sanitatum, per quam adhibentur aliqua media inania ad curandos morbos hominum, vel brutorum, vt contingit quando adhibentur, verba, signa, cærimoniæ, &c. V. G. Quando mulierculæ cingulum, aut indusium metiuntur, vel ceram fundunt, vt iudicium sumant de sanitate. Et talis superstitio est peccatum mortale, præsertim si adsit perfectus actus, et si res quæ adhibentur ex sua natura, & virtute non habent naturalem efficientiam respectu effectuum. Quòd si quandoq; effectus sequantur in istis incantationibus, id contingit opera Dæmonis, qui ex pacto tacito, vel expresso, per causas naturales concurrit, vt sibi habeatur fides. Ad hanc speciem pertinet, si quis virtutem ponat in eo, dum herbas colligit, vt id fiat ante solis ortum, vel antequam loquatur, vt in Polonia mulierculæ, solent præperare aquam, in quam immittunt carbones, nihil loquẽdo, pro lauãdo ægri capite, ad sedãdos dolores capitis, quam vulgò vocant, milczacá woda. Et multa similia faciunt, quæ ratio naturalis non dictat. 3. obseruatio euentuum, est genus superstitionis, quo ex consideratione alicuius euentus coniicitur, quid futurum sit V. G. cum alicui domo exeundi occurrit cadauer, vulpes, lepus, &c. indeque occasionem sumit credendi negotium. aut diem sibi futurum infaustum: vel quando quis vno prius pede.

Vanæ obseruationis speci-es. 1. ars notoria.

2. Obseruatio sanitatum.

3. obseruatio euentuum.

prius pede, quam altero terram tangat. Hæ & similes vanæ obseruationes veniales sunt, nisi quis pertinaciter eis adhæreat, & credat. Quarta Species est vanæ obseruationis, cùm aliquis reliquias secum defert superstitiosâ obseruatione ductus. Similiter superstitiosum est adhibere imagines, characteres inscriptos Sacris verbis, aut signo crucis, certa cum fiducia euadendi è prælio, pellendi morbos, aut non moriendi sine confessione. Vitari autem potest superstitio in imaginibus, vel Scripturis Sacris adhibendis, aut ad collum appendendis. Primò Si nihil falsi contineant contra Sacram Scripturam, aut Ecclesiæ auctoritatem. Secundò Si nihil habeant pertinens ad Dæmonis inuocationem. Tertiò Si non scribantur nomina ignota, vel alii characteres præter signum crucis. Quartò Si non collocetur spes in modo scribendi, vel tali tempore, vel in tali membrana. Quintò Si hæc non adnotentur, qui secum detulerit, qui has preces recitauerit, non morietur in bello, &c. hæc enim superstitionem redolent, Deus enim nullis verbis temporalem effectum infallibilem pollicitus est. Ita Bonacina *p.* 4. *num.* 10. Hinc.

4. Species

Characteres scripti

Collige 1. Superstitiosos illos esse effectus, qui fiunt his cōditionibus concurrentibus. Primò Quando effectus superat actiuitatem causæ naturalis applicatæ. Secundò Quando effectus fit sine motu locali, vt cùm flumen statim apparet. Tertiò Quando effectus statim euanescit, & non permanet.

Superstitiosi effect⁹ qui?

Collige 2. Superstitiosus planè, & damnandus est modus curandi vulnera eorum, qui longè absunt, applicato quodam vnguenti genere, aut puluere, gladio, vittis seu falciis sanguine vulnerati, infectis, quia hic effectus non est ab agente naturali, neq; dici potest esse à Deo, cùm id neque ex Sacra Scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione constet. Ergo ex pacto tacito cum dæmone. Hinc. Condemnatus fuit Paracelsus, qui auctor fuit vnguenti armorum.

Missæ Gregorianæ, licitæ.

Collige 3. Non est damnandus vsus 30. Missarum S. Gregorii, in memoriam S. Gregorii, qui 30. diebus iussit orari pro defunctis, modò circumstantiæ, vel cæremoniæ vanæ non admisceantur.

secantur. Similiter superstitio non committitur, dum in curationibus morborum, aut in herbis colligendis, adhibentur aliquæ orationes, modò aliqua vana non adhibeantur, & modò non ponatur spes, in re vana, vt in literis, vel in syllabis, sed in Deo. Ita S. Thom. 2. 2. q. 96. *art.* 4. Bonac. *loco citato n.* 15.

Medici morborum examinandi.

Collige 4. Homines qui velut exprofesso medentur quibusdam morbis, vel morsui rabidi canis, non sunt simpliciter superstitionis damnandi : quia fieri potest, vt hanc gratiam gratis datam acceperint à Deo : huiusmodi tamen homines diligenter examinandi sunt, antequam hanc artem profiteri permittantur; & Cõfessarii magnam debent adhibere cautionem, in absoluendis iis, qui ad sanandos morbos vtuntur remediis externis, virtutem naturalem non habentibus, ad eos curandos, quamuis publicè permittantur. Ita Bonac. *loco citato n.* 20.

Collige 5. Obseruatio vana ex suo genere est peccatum mortale, excusat tamen sæpiùs à peccato mortali, ignorantia, aut bona fides. Ita Lessius *l.* 2. *cap.* 44. *dub.* 4. Bonac. *n.* 23. paruitas autem materiæ, nec in diuinatione, neque in vana obseruatione, excusat à mortali iuxta citatos authores.

ARTICVLVS V.

Quid sit magia, & quotuplex, qualeq; peccatum.

Magia duplex. Naturalis

Nota 1. Magiam esse duplicem, vnam naturalem, aut mathematicam, alteram diabolicam. Naturalis est illa, quâ viribus rerum naturalium occultis, mira quædam fiunt, quæ vera sunt, & viribus naturæ producuntur : & sic hac arte formari possunt statuæ mouentes se, sibilantes, saltitantes, quæ magiam naturalem non excedunt. Mathematica est illa, quâ quis sola mathematicarum scientiarum disciplina præditus, mira quædam præstat, non adhibitis aliis rebus naturalibus, quâ ratione homines diuinare possunt, quædam occulta adiunctis numeris, aut detractis, ac sæpiùs subductis. Magia diabolica est illa, quâ magus mira quædam præstat ope dæmonis.

Diabolica

Nota 2. Tribus modis cognosci potest aliqua opera ad magiam dia-

giam diabolicam pertinere; 1. ex conditione causarum, quæ adhibentur. 2. Ex conditione operationis. 3. ex conditione effectus. Quod ad primum attinet, qualitas causarum indicat magiam. 1. si expressè inuocetur dæmon. 2. Si preces adhibeantur, quibus falsa permixta sunt, vt Christum habuisse febres. 3. Si verba exotica. 4. Si characteres, imagines, sigilla. 5. Si ligaturæ, si specula, si vnctiones, & similes, adhibeantur, præter morem Ecclesiæ, à quibus prædicti effectus non possint expectari, ex virtute talium causarum: nec obstat quòd aliqui versiculi ex sacris literis admisceantur. Deinde ex operationis conditione, vt cùm repentè homo curatur, vel brutum, absq; Diuino miraculo, & causa naturali. Deniq; ex conditione effectus, qui industriam humanam superant, vt cùm circa elementa excitantur subitò tempestates, grandines, tonitrua, fulmina, venti, qui euertunt domos, arbores, vt constat *cap.* 1. *Iob.* & multa similia, Deo permittente: vel circa corpora hominum, cùm celerrimè de loco in locum transferuntur, quâ de re videatur Alphonsus à Castro *l.* 1. *de iusta hæreticorum punitione c.* 15. *&* 16. & sic sagæ à dæmonibus ad certa loca deferuntur; vt constat ex certis exemplis, & experientiis. Præterea possunt etiam corpora humana, & animalium transformare, non quidem intrinsecè figuram mutando, sed extrinsecùs ex vaporibus aliam circumponendo, sic aliqui operâ dæmonis conuertuntur in speciem lupi, & vocantur λυκάνθρωποι id est, lupi homines, qui se accommodant ad speciem bestiæ, manibus, & pedibus incedendo. Porrò dæmones circa animas separatas nihil possunt: neq; obstat illud 1. *Reg.* 28. vbi cum Saul petiisset excitari Samuelem per Pythonissam, ipse Samuel apparuit, & prophetauit, (vt constat ex Ecclesiastico *c.* 46. Regiq; interitum prædixit, & sic Samuel non vi magica excitatus prodiit, sed iussu Diuino, in pœnam impii Saul, apparuit, quod inde constat, quia magicam incantationem præuenit, & rectus capite sursum elato, contra morem magicarum vmbrarum, è terra emersit. Circa animas verò coniunctas corporibus, omnia ea possunt operâ dæmonum, quæ ex corporis dispositione, & imaginatione pendent, vt inferre amentiam, incitare ad amorem vel odium: circa hunc

Vnde cognosci potest magia diabolica.

Ex causis.

Ex operatione.

Ex effectu

Samuel à quo excitatus.

Quid possint magi circa homines.

ca hunc vel illum; facilè enim dæmon efficere potest, vt obiectum aliquod assiduè obuersetur phantasiæ hominis.

Magia naturalis licita.

Dico itaq; 1. Magiam naturalem, non esse superstitiosam, nec maleficam; diabolicam verò superstitiosam, & illicitam esse; quia fit ope dæmonis. Constat ex Notandis, estq; communis DD. Vide Lessium *cap. 44. dub. 3.*

Magia quale peccatum.

Dico 2. Magia ex genere suo, est peccatum mortale, quia continet tacitam, vel expressam dæmonis inuocationem, ac proinde societatem, ac beneuolentiam erga illum. Fieri tamen potest, vt aliqui actus magici excusentur à peccato mortali, ratione ignorantiæ, vt quis ignoret, vel non aduertat tacitam illam inuocationem, cùm hæc sæpè fit valdè occulta, plerumq; tamen ingeritur homini aliqua suspicio latentis mali, ratione cuius tenetur abstinere, donec pleniùs de re cognouerit; leuitas verò materiæ nunquam excusat, si ad rem paruam dæmon inuocetur, cum plena aduertentia: ita communiter Doctores.

ARTICVLVS VI.

Quid sit maleficium, quot eius genera, & quale peccatum?

Maleficium quid

Dico 1. Maleficium est ars nocendi aliis, ope, & potestate dæmonis. Ita Bonacina *loco citato p. 5. n. 1.* vbi citat multos DD. Dixi *ope dæmonis*, quia dæmon per peccatum non amisit scientiam, neq; potentiam naturalem, & sic potest multa facere, applicando actiua naturalia passiuis, & per maleficium hominibus nocere.

5. genera maleficiorum.

Dico 2. Maleficiorum sunt quinq; genera. 1. est eorum, quæ fiunt ad intelligenda ea quæ latent, V. G. quis furto abstulit hanc rem. 2. est eorum, quæ fiunt ad morbos inferendos, & ad alia quæuis mala, in bonis fortunæ inducenda. 3. est eorum, quæ fiunt ad sanitatem procurandam, vel ad excitandum amorem carnalem, in quo casu, voluntas non potest cogi, sed obiectiuè mouetur excitatione phantasmatum. 4. est eorum, quæ fiunt ad alios effectus communi omnium iudicio impossibiles. 5. est eorum, quæ fiunt ad magicas, & superstitiosas operationes. Ita Bonacina *num. 3.*

Dico 3.

Malefici nunquam adhibendi

Dico 3. Nunquam licitum est maleficos etiam aliâs paratos adhibere ad maleficium adhibendum, pro re graui, & bono publico, aut causa curiositatis. Ita Lessius *cap. 44. d. 6. n. 26.* Nauar. *cap. 11. n. 29.* & alii. Ratio est, quia quod est intrinsecè malum nō debet peti, neq; adhiberi. Sed tale est maleficium. Ergo.

Mutuum quando non potest peti,

Dices Licet petere mutuum ab vsurario, licet sciam ipsum vsuram commissurum. Item licet ab infideli extorquere iuramentum, licet sciam ipsum iuraturum per falsos Deos. Ergo &c. Respōdeo Ad 1. Mutuum non esse intrinsecè malum, proinde potest peti, non potest autem peti mutuum sub vsuris, ita neq; maleficium. Ad 2. Dico petens iuramentum ab infideli, petit rem quæ licitè fieri potest, dummodò non putat iuramentum per falsos Deos; petens verò maleficium, petit rem intrinsecè malam.

Malefici um non potest sol- ui per ma- leficium.

Dico 4. Non licet petere dissolutionem maleficii per aliud maleficium. Ratio est eadem quæ præcedentis Conclusionis. Rogari tamen potest, vt maleficium dissoluat, modo licito faciendo ea quæ fieri possunt citrà opem dæmonis, hoc enim non est intrinsecè malum, vt tollere ligaturas, nodos, & alia signa malefica posita à maleficis, eo fine vt dæmon desinat nocere. Ita Rodericus *1. 1. c. 7. n. 11.*

Ligaturas licet solue re.

Dico 5. Ius est cuiq; tollere, & destruere, quæcunq; signa maleficii, absq; maleficio, vbicunq; inuenta fuerint. Ita D. Subt. *in 4. d. 34. num. 4.* vbi dicit. *Ridiculum est quærere an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum, non enim hoc solùm licet, sed etiam est meritorium, destruere opera diaboli.* Idem docet Caiet. *tom. 2. Opusc. n.* Anglez *in florib. q. 6. de maleficiatis* Nauar. *c. 13. n. 29.* Ratio est, quia si hoc esset illicitum, maximè ideò, quia talium amotio esset quædam dæmonis inuocatio. Sed hoc non est verum. Ergo non est verum. Ergo non est illicitum amouere. Minor patet, quia amotio illa signorum, neq; est ex natura inuocatio dæmonis, neq; ex intentione amouentis, non enim intendit dæmonem inuocare, sed inuocationem per maleficam illò signo factam, impedire, & dissoluere; neq; ex pacto aliquo antecedente.

PETES 1. *Quæ remedia aduersus maleficia sint adhibenda?*

Respondeo Remedia contra maleficia alia sunt naturalia, alia supernaturalia: naturalia plerumq; paruam vim habent, quia facile dæmon omnem vim illorum eludit, propterea optimum est, vt talibus medicamenta danda, semper benedicantur. Supernaturalia seu Ecclesiastica sunt efficaciora.

Remedia contra maleficia.

Primum est remedium, magna fides, & fiducia in protectione Diuina.

2. Susceptio Baptismi, si maleficiatus non est baptizatus. ad Coloss. 1.

3. Confessio peccatorum vera, & integra, & propositum vitam emendandi, sæpè enim ob peccata permittitur potestas dæmoni in homines.

4. Sumptio SS. Eucharistiæ, nulla enim conuentio lucis ad tenebras.

5. Exorcismi Ecclesiæ, hi enim sunt efficaces ad pellendum dæmonem, & opera eius.

6. Aqua benedicta, quæ habet vim ad euertendas dæmonis infestationes.

7. Signum crucis, cuius est vis magna contra machinationes omnes diaboli, vt indicaui *q. 2. a. 10. quæsito 3.*

8. Inuocatio nominis IESV, & B. MARIÆ Virginis, & aliorum Sanctorum.

9. Reliquiæ Sanctorum; & res aliæ ab Ecclesia benedictæ, vt cerei Sacri.

10. Oratio cum ieiunio, hæc enim est efficax ad pellenda dæmonia Matth. 17.

11. Dissolutio eorum, quæ pertinent ad pactum cum dæmone.

Confessarius quæ inquirere debet à maleficis

PETES 2. *Quæ inquirere debet Confessarius, à Mago, vel malefico?*

Respondeo, inquirere debet, 1. An pactum inierit cum dæmone; potest autem pactum dissolui agendo pœnitentiam, neque est necesse, vt maleficus curet sibi chirographum à dæmone restitui; si tamen maleficus illud habet penes se, debet lacerare ad detestandum crimen, & scandalum vitandum, si chirographum ab aliis inueniretur.

generetur. 2. An exhibuerit honorem Sathanæ, aut Sacrilegium commiserit, contra Augustissimum Sacramentum Eucharistiæ 3. An in pacto cum dæmone inito, interuenerit hæresis, V. G. An crediderit fidem Catholicam non esse veram, aut Sacramenta nihil prodesse, vel dæmonem, & adhærentes ei non subituros pœnas inferni. 4. Quomodò confecerit maleficium, an scilicet ad illud abusus sit rebus Sacris. 5. An damnum alicui intulerit, tenetur enim damnum illatum resarcire. 6. An alia peccata non patrauerit, vt blasphemiæ, luxuriæ, apostasiæ. abnegando Deum, & fidem veram furti &c. nam si alicui aliquid abstulit, vel à dæmone pecuniam accepit, & si scit cui sit ablata, obligatur ad restitutionem vel si fictas, & apparentes pecunias recepit, quæ postea euanescunt, vel in carbones conuertuntur, tales sunt obnoxii restitutioni.

PETES 3. *Quomodo possit cognosci maleficus, vel malefica?*

Vnde possit cognosci maleficus.

Respondeo 1. Ex confessione ipsius propria. 2. Ex aliorum attestatione; qui delicti participes fuerunt. 3. Si apud aliquem cõperiatur scriptura, quâ se dæmoni volens dedicauit, aut si impressum gerat signum, aut stigma, quo maleficæ solent insigniri. 4. Si apud aliquem inueniantur hostiæ, vel imagines cereæ acubus infixæ. 5. Ex minis quibus alicui malum minatus est, & is postea fascinatione infectus inuenitur. 6. Ex assertione, quâ quis testatur se vidisse aliquem vngentem, aut venena præbentem animalibus, aut aliis qui postea interierunt.

Aduertant Iudices diligenter, ne ex leuibus indiciis torturæ tradant, neque facilè mulierculis credant, quæ ex inuidia, vel odio aliquas honestas accusant, quæ nõ valentes tormenta sustinere, falsò fatentur se esse maleficas. Similiter ne adhibeant signa incerta ad probandum, an sint aliquæ malificæ, quia multas innocentes cõdemnant: V. G. non est certum signũ, illa est malefica quæ in aquis non submergitur. &c.

PETES 4. *Quæ est differentia inter maleficium, & magiam.*

Differentia inter maleficium, & Magiam

Respondeo In hoc differunt, quia Magia solùm est ad mira facienda, (non tamẽ vera miracula,) etiãsi aliis nõ noceat: Maleficium verò est ad nocendum, & solet etiam dici veneficium, vnde habet

habet etiam annexum peccatum iniustitiæ, sicut etiam & aliæ superstitiones habere possunt.

PETES 5. *Quæ pœnæ sunt maleficarum, & Magorum?*

Pœnæ maleficarum. Respondeo Omnes Magi, sortilegi, malefici, si inueniantur habere errorem in intellectu, puniuntur vt hæretici formales, & incurrunt Excommunicationem Bullæ Cænæ Domini, secùs si fidẽ non abiurárunt, neq; vllam hæresim habent, sed tamen damna proximis intulerunt, puniuntur seuerè à iure pro qualitate personarum, & circumstantiis delictorum.

ARTICVLVS. VII.

Quid sit Sacrilegium, & quotuplex, qualeue peccatum?

Quid Sacrilegium. Dico 1. Sacrilegiũ est læsio, seu violatio rei Sacræ, vt Sacramẽtorũ, vestiũ Sacrarũ, &c, vel personæ Ecclesiasticæ, vel loci Sacri, vel aliorum pertinentium ad hæc, inquantùm res Sacræ sunt Et per hoc Sacrilegium distinguitur à periurio, & tentatione, quod his ipsi Deo immediatè & in se iniuria irrogetur, Sacrilegio verò in rebus ipsi dicatis.

Tria genera Sacrilegiorum. Dico 2. Tria sunt genera quarum violatione committitur Sacrilegium nempe persona, locus, & alia Deo dicata. 1. Species. Ad primam speciem pertinent Clerici, Religiosi, Moniales, quæ violantur percussione, fornicatione, vectigalium exactione, &c. 2. Species. Ad secundam speciem pertinent vasa Sacra, vestes, & alia ad Sacram suppellectilem pertinentia; Item verba Sacra, & sententiæ Sacræ Scripturæ, quibus aliquis abutitur ad superstitiones, vel ad ridicula. Similiter imagines Sacras irreuerenter tractans vel indecorè eas depingens, committit Sacrilegium. Item effringens, & spolians loca Sacra, committit Sacrilegium, & excõmunicationem ipso facto incurrit. 3. Species. Item Sacramentis abutens, &c. Ad Tertiam speciem pertinent templa consecrata, monasteria, hospitalia, cœmeteria, & oratoria constituta & deputata ad Diuinum cultum. Porrò locus Sacer in Ecclesia, vocatur spatium illud quod spectat ad interiùs corpus Ecclesiæ à tecto interiori vsq; ad Pauimentum. Hinc. Sequitur 1. cõmitti Sacrilegium, si Ecclesia, seu locus Sacer conuertatur in vsus

profanos, vt si arx, seu munitio in Ecclesia constituatur, absq; necessitate & facultate. Item si in ea negotiatio seu mercatus exerceatur. Item si causæ ciuiles in ea, aut in cæmeterio agantur. Item si reus in loco Sacro capiatur, aut examinetur à iudice seculari, aut inde extrahatur, exceptis casibus in iure permissis. Item furari rem Sacrã in loco Sacro, quod dici solet Sacrum de Sacro; aut rẽ Sacrã in loco non Sacro, quod dici solet, Sacrum de non Sacro, & furari rem non Sacram in loco Sacro, quod dici solet non Sacrum de Sacro, si sit veluti deposita, & sub custodia loci Sacri, Sacrilegium est; at si non sit sub custodia loci Sacri, aliqui affirmant, Sacrilegium esse furari illam in loco Sacro, aliqui negant: videtur dicendum si tale furtum committatur sine notabili irreuerentia, aut iniuria loci Sacri, non esse Sacrilegium; secùs si sit cum notabili iniuria loci Sacri, vt si quis publicè furaretur in loco Sacro. Item committitur Sacrilegium ab iis, qui peccatum committunt luxuriæ in loco Sacro. Porrò non est Sacrilegium copulam habere, cum fœmina habente Sacras reliquias ad collum; secùs dicendum si tradantur res sacræ pro copula: concupiscere autem fœminam existentem in Ecclesia, non est speciale sacrilegium, quia non violatur locus sacer, nisi concupiscens haberet intentionem habendi copulam in loco sacro. Præterea verba turpia, & tactus impudici, facti in Ecclesia, non sunt Sacrilegium, modò pollutio non sequatur, vel periculum pollutionis non habeant adiunctum. Hinc.

Furtum in loco Sacro.

Luxuria in loco Sacro

Collige 1. Sacræ vestes pollutæ luxuriâ, iterum sunt benedicendæ. Sacra vasa, & vestimenta habere enormiter immunda, mortale est, & iis qui habent, & Prælatis qui non prouident.

Sacræ vestes quales

Collige 2. Sacra vetustate consumpta, comburenda, & cineres in Ecclesia reponendi, ligna tamen & lapides, possunt seruire loco religioso honesto: *cap. altaris de consecr. dist.* 1. Non possunt autem lapides & ligna dirutæ Ecclesiæ verti in vsum profanum, absq; licentia Episcopi.

Dico 3. Sacrilegium est peccatum mortale ex suo genere. Patet quia Deo, & rebus Sacris grauem irrogat iniuriam: nisi ex cuset ratio inaduertentiæ, vel paruitas materiæ, vt si quis Clericum leuiter

Sacrilegium est peccatum mortale.

leuiter percutiat, vel rem leuis momenti in Eccleſia furetur, &c. Vide Leſsium *lib. 2. cap. 45. dub. 2.* Bonac. *diſput. 3. q. 6. p. vnico, n. 1.* Suarez *lib. 3. initio, & alios.*

ARTICVLVS VIII.

Quid ſit blaſphemia, Quotuplex, & quale peccatum?

Blaſphemia quid?

Dico 1. Blaſphemia eſt verbum contumelioſum, ſeu conuitium quod iacitur in Deum, vel contra Dei laudem, & honorem ei debitum, vel contra Sanctos; poteſt autem eſſe primò per modum enunciationis, vt cùm negatur de Deo id, quod eſt, vel affirmatur id quod non eſt, ex prauo voluntatis affectu; vt ſi quis diceret iniuſtus Deus, etiamſi id non ita credatur eſſe: Secundò per modum imprecantis, vel deteſtantis, vt maledictus Deus. Huc reducuntur blaſphemiæ illæ impiæ, per Sanguinem, vel corpus Chriſti, vel per Sacramenta &c. quando non ſunt verè iuramenta, ſed quodam iræ impetu dicuntur in virtualem aliquem Dei, vel Chriſti Domini contemptum.

Blaſphemia alia cordis alia oris.

Dico 2. Blaſphemia alia eſt cordis, alia oris. Alia eſt ſimplex: alia Hæreticalis, quá aliquid aſſeritur fidei contrariũ, eſtq́ non tantùm blaſphemia, ſed etiam hæreſis, ſi adſit aſſenſus intellectus cum pertinacia. Simplex verò blaſphemia non continet directè falſitatem contra veritatem fidei, ac proinde ad fidei Inquiſitores non pertinet; at blaſphemia hæreticalis, Inquiſitoribus, vel Epiſcopis eſt deferenda, ſi blaſphemus non reſipuerit per correctionem, nam ordo Euangelicus poſtulat, vt ante denunciationem præmittatur correctio. Item blaſphemus eſt, qui iurat per vitam, vel caput Dei, vel Sanctorum. Item blaſphemiam committit, qui maledicit creaturis, vt creaturæ Dei ſunt, aut qui blaſphemat res ſacras: aut qui ſpernit Sanctos: aut qui tribuit creaturis, quæ ſunt Dei propria, quaſi ipſe non ſit Deus. Item qui iurant per falſos Deos, cùm illis tribuant infallibilem veritatem, ſi illud iuramentum ſeriò fiat committunt blaſphemiam. Hinc.

Quomodo blaſphemia committitur.

Nota caſus

Collige 1. Non committi blaſphemiam ab eo, qui dicit hoc ita verum eſt, ſicut eſt verum Deum eſſe, vel ſicut eſt verum

Euangelium, &c. quia nihil Deo tribuit per contumeliam, nec illi aliquid aufert: modò tamen proferens non intendat veritatem, humanam coæquare diuinæ, ſed tantùm indicare quandam ſimilitudinem.

Collige 2. Maledicere creaturis irrationalibus præciſe, & non in quantum referuntur in Deum, aut in Sanctos, communiter eſt veniale; at verò maledicere creaturis rationalibus poteſt eſſe mortale, ſi res eſt grauis, & conſenſu deliberato, vt in tale malum incidant, & iuxta qualitatem mali, eſt qualitas peccati. Hinc excuſari poſſunt parentes, qui ex ſubito iracundiæ motu, malum filiis imprecantur. Ita Bonac. *loco cit. n.* 4. Maledicere creaturis irrationalibus an ſit blaſphemia.

Dico 3. Blaſphemia opponitur virtuti Religionis, ad quam ſpectat tueri honorem, & laudem Dei; eſtq; peccatum ex ſuo genere mortale, poteſt tamen fieri veniale ex inaduertentia, non autem ratione paruitatis materiæ, quia blaſphemia nulla eſt leuis, neque eſt vlla quæ grauem Deo iniuriam non inferat. Ita *idem ibid.* Blaſphemia quale peccatum

Collige 1. Qui blaſphemat ex habitu, peccat mortaliter, quando aduertit prauam illam conſuetudinem, illamq; non conatur euellere, quia voluntariè perſiſtit in occaſione proxima blaſphemandi. Ita Bonac. *loco citato n.* 4.

Collige 2. Blaſphemia in Deum, ſi conſideretur vt blaſphemia, ſecundùm Caietan. quem citat Leſsius *c.* 45. *d.* 5. *n.* 32. & Bonac. *loco citato*. non differt ſpecie à blaſphemia in Sanctos, ſed oppoſitum probabiliùs eſſe puto, ac proinde eſſe explicandam in Cōfeſsione qualitatem blaſphemiæ, an fuerit in Deum, vel Sanctos, omninò cenſeo. Vide dicta *q.* 2. *a.* 6. Conſuetudo blaſphemandi.

PETES *Quænam ſint pœnæ blaſphemorum?* Vide Alphonſum à Caſtro *l.* 1. *de iuſta hæret. punit c.* 12. Primò in lege veteri blaſphemi lapidibus obruebantur, *Qui blaſphemabant nomen Domini.* Et in iure Ciuili graues pœnæ olim fuerunt, modò verò totum relinquitur prudentiæ Confeſſoris, eſt enim caſus reſeruatus Epiſcopis. Et audientes blaſphemantes, obiurgare eos debent. Pœnæ blaſphemorum.

ARTI-

ARTICVLVS IX.

De Tentatione Dei, Quid sit, & quale peccatum?

Tentatio Dei quid.

Dico 1. Tentatio Dei, est actus contra Religionem, quo quis absque iusta causa, aliquid dicit, vel facit, ad capiendum experimentum de aliqua Dei perfectione, V. G. de potentia, de Sapientia, iustitia, misericordia, &c. vt si quis imperitus velit Concionari absque iusta causa, sine praeuia meditatione, seu praeparatione, sperans sibi à Deo suggerendos conceptus colligitur ex Sancto Thoma 2. 2. q. 97. a. 1. Vide Lessium c. 45. dub. 1. Bonacina circa praecept. 1. Decalogi disp. 4. q. 9.

Tentatio Dei quale peccatum

Quotuplex.

Dico 2. Tentatio Dei est peccatum contra religionem; est enim quaedam irreuerentia in Deum. Porrò alia est *expressa*, cùm aliquid fit ea intentione, vt experimentum capiatur de aliqua Dei perfectione, vt si quis petat miraculum, vel se praecipitem det in puteum, vt experiatur, an Deus se laedi permittat. Alia *interpretatiua*, quando aliquid fit quod per se, & suapte natura, ad nihil aliud referri posse videtur, quam ad experiendam aliquam Dei perfectionem, etiamsi expressè hoc non intendatur, vt si quis ad Christi Domini imitationem, velit per totam Quadragesimam à cibo abstinere; hic enim dicitur interpretatiuè Deum tentare, cùm omittat modos à Diuina prouidentia constitutos. Ita *idem ibidem*.

Quando sit lethale peccatum.

Dico 3. Tentatio Dei regulariter est peccatum lethale, quia est quidam contemptus Dei, maximè in his casibus. 1. Quando prouenit ex crassa ignorantia earum rerum, quas homo scire debet, vt sapientiae, & potentiae Dei. &c. 2. Quando coniunctum est cum aperto periculo vitae, aut grauis laesionis, vt cùm grauiter aegrotans respuit medicamenta, sperans à Deo Sanitatem, aut quando quis duellum acceptat ad probandam suam innocentiam, sperans se à Deo seruatū iri. Huc etiam spectant purgationes extra ordinariae vel medicamenta. &c. 3. Quando subest periculum scandali, vt cùm quis absque necessitate petit miraculum in confirmationem fidei, nisi fortè sentiat se peculiari instinctu ad id impelli. 4. Si quis ex curiositate petat miracula à Deo, non enim Deus est fautor curiositatis,

Si iusta

Si iusta causa suppetat, non erit peccatum, neque propriè tentatio Dei. Iusta causa est, primò Diuina inspiratio, sicut petiit Abraham signum à Deo *Gen.* 15. de terra promissionis: & Gedeon. *Iudic.* 6. petiit signum in vellere. Et *Isaiæ* 7. Deus præcepit Achaz. vt signum petat. 2. Necessitas, vt si infidelis, cui alia ratio cognoscendæ veritatis non occurrit, bona mente petat miraculum, vt sciat, vtrum hæc doctrina sit à Deo. Vide Less. *loco citato*. Bonac. *loco citato*.

Quando non est peccatum

ARTICVLVS X.

Quid sit Simonia, & quotuplex.

Simonia quid & vnde dicta.

Nota 1. Simoniæ peccatum nomen accepit à Simone Mago, qui Dei donum, (seu Spiritum Sanctum) emere voluit ab Apostolis, vt illud aliis venderet, quare responsum accepit à S. Petro Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri.* quod vitium est contrà virtutem Religionis.

Pretium pro re spirituali.

Munus à manu quando est simoniacum.

Nota 2. Pretium quod pro re spirituali tradi solet, & cuius traditione committitur simonia, triplex est, videlicet à manu, à lingua, & ab obsequio, ad hæc enim tria munera reuocantur bona temporalia. Nomine *muneris à manu*, intelliguntur quælibet bona externa pretio æstimabilia, siue sint mobilia, siue immobilia, siue corporalia, siue incorporalia. Idem dicendum de promissionibus, vel obligationibus illorum. Hinc sequitur debitum Ecclesiæ remittentem, vt beneficium obtineat, aut pensionem promittentem, vel recipientem pro beneficii collatione, vel præsentatione, simoniam committere. Idem sentiendum de conferente beneficium, vel recipiente sub conditione mutui, cùm mutuum secum afferat temporalem vtilitatem. Item præsentatus ad beneficium, simoniam committit, promittendo præsentatori, aut electoribus se non exacturum decimas, aut promittens Canonicis electoribus, se remissurum partem præbendæ, &c. Secus si liberè, & sine pacto largiatur.

Munus ab obsequio quando simoniam induat,

Per *munus ab obsequio*, intelligitur opus hominis, conducens ad vtilitatem hominis: quare qui beneficium confert, cum pacto præstandi obsequium aliquod temporale, simoniacus est: secus si conferat

ferat cum pacto præstãdi onera beneficio annexa, seu imposita tempore institutionis, seu vacationis. Item qui beneficia confert in cõpensationem beneficiorum, seu ad extinguenda debita, simoniacus est: secùs si beneficium conferat, vel procuret animo conciliandi sibi beneuolentiam, etiamsi mediante beneuolentia, seu amicitia, temporale lucrum speret. Et sic aulici, vel famuli obtinentes beneficia, à Cardinalibus, vel aliis Prælatis, quibus inseruiunt, simoniam non committunt, modò inseruiant absque pacto tacito, vel expresso recipiendi beneficium, propter obsequium præstitum.

Munus à lingua, quando simoniacum.

Per *munus à lingua* intellige actionem precum, seu supplicationum, & intercessionum, quæ lingua exerceri solent, in fauorem illius, qui rem spiritualem confert: vt autem huiusmodi actio, seu preces, rationem pretii habeant, opus est, vt fiant ex pacto expressè, vel tacitè inito, cum eo qui spirituale confert, tunc enim pretio æstimantur, & commutari videntur cum re spirituali. Vnde qui pecuniá inducit familiarem, vel amicum Episcopi, ad petendum pro se, vel pro alio beneficium, simoniam committit, cùm pecuniá paret sibi viam ad beneficium.

Aduerte tamen familiares Prælatorum, non esse reos simoniæ, dum pecuniam accipiunt, ob facilem ingressum, quem aliis præbent ad Prælatum, neque etiam admonentem Prælatum, & certiorem facientem, de meritis alicuius, modò intercessoris officium non gerat.

Simonia quid sit.

Dico 1. Simonia est Sacrilegium, consistens in studiosa voluntate, emendi, aut vendendi, seu commutandi rem Sacram, seu spiritualem, vel spirituali annexam, pro temporali. Est communis DD. Dicitur *Sacrilegium*, quia est species Sacrilegii. Dicitur *consistens in studiosa voluntate*, quia ad simoniam requiritur deliberatio. Dicitur *emendi, & vendendi*, quia simonia vtroq; modo potest committi. Nomine autem emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus; transactio, renunciatio, permutatio, &c. Dicitur *rem Sacram, seu spiritualem*, per hos terminos intelligitur, omne donum spirituale diuinitùs particulari ratione datam, & institutum, quod nos ad gratiam in præsenti, & ad gloriam in futuro promouet

promouet. Huiusmodi autem spirituale est triplex. Quoddam per
essentiam, vt dona Spiritus Sancti, gratia, virtutes infusæ. Aliud
per causam, vt Sacramenta, & Sacramentalia. Tertium per effe-
ctum, vt prædicare, orare, Diuina peragere &c. Dicitur *vel spiritua-
li annexum*, hæc particula adiungitur ad comprehendendum ea, quæ
non sunt per se spiritualia, sed habent dependentiam à spiritualibus,
vel ordinantur ad ea, vt sunt iura Patronatus, & sepulturæ, calix
consecratus, præbendæ, Canonicatus, & beneficia vnde Sacerdo-
tes viuunt. — Spirituale triplex.

Dico 2. Simonia est triplex, *mentalis, conuentionalis, & realis.* — Simonia est triplex
Mentalis hîc non est intelligenda, quæ sola mente concipitur absque
vllo actu externo: (cùm enim hic actus sit merè externus, sub pœ-
nas Ecclesiasticas non cadit) sed intelligitur illa actio, quæ fit men- — Mentalis.
te simoniaca, etiamsi ex se, & ex circumstantiis simoniæ labem
non præferat; vt si Capellanus pecuniam titulo sustentationis, seu
Eleemosynæ relictæ pro Missa quotidie celebranda, accipiat tanquā
pretium Missæ, hic committit simoniam mentalem, quia intentio-
ne simoniaca facit actum externum. *Conuentionalis simonia.* consi- — Conuentionalis.
stit in pacto expresso, vel tacito dandi, vel recipiendi temporale pro
spirituali. *Realis* est illa, quâ res temporalis redditur pro spirituali; — Realis.
vel spirituale traditur, & temporale accipitur. V. G. Petrus con-
uenit cum Paulo de beneficio ex quo nihil emolumenti, propter
absentiam percipit, sibi resignet pro 100. aureis. Paulus, & Petrus
pecuniam tradit; hæc est simonia realis. Similiter est realis, quan-
do pars pretii soluitur, etiamsi non tota summa tradatur. V. G. Pe- — Simonia ficta.
trus non est soluendo, dat Paulo tantùm ad computum triginta
aureos. Porro simonia ficta committitur; dum quis exteriùs pro-
mittit rem spiritualem pro temporali, vel rem temporalem pro
spirituali, absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tra-
dendam, & hæc simonia, non est verè simonia, sicut fictum aurum
non est aurum. *Quòdsi petas, An mentalis simonia, semper committatur tra-
dendo temporale occasione spiritualis, vel è contra?* Respondeo Non cō-
mitti, nisi spirituale intendatur tanquam pretium rei spiritualis,
vel nisi

vel nisi mens, vel intentio feratur in obiectum simoniacum, solùm ob Ecclesiæ prohibitionem, seu nisi intentio sit praua.

PETES 1. *Simonia quo iure sit prohibita, & quale peccatum?*

Quo iure prohibita simonia.

Dico 1. Simonia prohibita est iure naturali, Diuino, & humano: licet dari potest solo iure humano prohibita, quia Ecclesia facere potest rem immunem à laica potestate, & prohibere, ne res aliqua annexa rei Sacræ vendatur in reuerentiam talis rei.

Est peccatum graue.

Dico 2. Simonia ex suo genere est peccatum grauissimum, vt nunquam licita fiat, ne quidem per Diuinam potentiam: nec fit veniale peccatum ratione paruitatis materiæ, si res temporalis tradatur pro Spirituali. Patet ex c. Actor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Et 4. *Reg. c.* 5. de Giezi. & *num. 22. de Balaam, & alibi.* Tum quia spirituale nullo modo æstimari potest pecunia, Ergo iniquissimum est velle vendere, aut emere spirituale.

Materia simoniæ.

PETES 2. *Quænam sit materia Simoniæ?*

Nota 1. In materia simoniæ, nomine pecuniæ intelligitur, quidquid pecunia æstimari potest secundùm communem DD. Sententiam. Porrò simoniæ humanæ materia, sunt permutatio, vel venditio, vel resignatio beneficii, propria authoritate, & illegitimè facta; præterea acceptio quoque alicuius rei, occasione examinis, & quælibet Ecclesiastica officia Spiritualia, seu habentia onus spirituale, aut administrationem Ecclesiasticam.

Res spiritualis.

Dico 1. Materia Simoniæ, est res aliqua Sacra Spiritualis, & supernaturalis; vnde committitur simonia vendendo gratiam sanctificantem, & gratias gratis datas. 1. *q.* 1. *c. Gratia*, Quia de ratione gratiæ est, quòd gratis detur, vt habetur in Euangelio, *Gratis accepistis, gratis date.* Et sic spirituales actiones, quæ exercentur in Sacramentorum administratione vendere, vel emere, est simonia.

Sacramenta vendere est simonia.

Similiter committitur simonia accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis, vt sunt quid conflatum ex materia, & forma, cùm vt sic sint res sacræ: non autem committitur tradendo, vel accipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, vt pro pane, vino, oleo, &c. licet ergo pro ipsis Sacramentis nihil possit dari, vel accipi, vel eorum administratione, si tamen aliquid datur ministris

Ecclesiæ, gratis, in administratione Sacramentorum, aut ex antiqua consuetudine, aut statuto superiorum, pro sustentatione ministrorum Dei, non est Simonia accipere; dummodò absit intentio praua, nec tale aliquid ab inuitis exigendum, per spiritualium subtractionem; sed gratis administratis spiritualibus, nolentes possunt cogi à potestate superiori, ad obseruationem consuetorum. Ita habetur *c. ad Apostolicam titulo citato*, & Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. Item cæremoniæ & benedictiones Sacræ, seu Sacramẽtalia, tam transeuntia, quàm permanentia sunt materia simoniæ: Vendi tamen possunt Sacramentalia permanentia, ratione materiæ præcisè absq; simoniæ labe; Secùs dicendum de Agnis Dei benedictis, quos vendere specialiter prohibitum est.

Dico 2. Accipere aut exigere aliquid per modum pretii pro consecratione Episcoporum, pro collatione ordinum quorumcunque, etiam tonsuræ Clericalis, pro benedictione Abbatum, velamine Virginum, & aliis actibus similibus, qui benedictione, & consecratione perficiuntur, est simonia. 1. *q.* 1. *c. ordinationes.* & Sanctus Thomas *loco citato. art.* 2. *ad* 4.

Pro consecratione accipere est simonia.

Dico 3. Pro dimissorialibus literis, testimonialibus, aut sigillo, nullo prætextu potest aliquid accipi, aut exigi. *c.* 1. *de Simonia.* Concil Trident. *Sess.* 21. *c.* 1. *de reformat.* eadem est ratio de examine. Porrò Notarius Episcopi quando à publico non habet statutum salarium, pro singulis literis dimissoriis & testimonialibus potest accipere decimam partem aurei, vt ex praxi Romanæ Curiæ colligitur, vbi pro singulis testimonialibus, Iulius accipitur. Quando autem Notarius plus accipit ascendendo pro gradu, & dignitate ordinum, exempli gratia, plus pro testimonialibus Diaconatus, quam subdiaconatus, plus pro Presbyteratus, quàm Diaconatus, Simoniacus est: quia in tali casu taxatur, & venditur dignitas ordinum, quæ vendi & taxari non potest; Notario autem nihil competit, nisi ratione laborum. Vide Nauar. *in Manuali cap.* 23. *n.* 102. *& sequentibus.* Hinc.

Pro literis est aliquid accipiendum.

Notent notarii.

Collige 1. Non esse simoniam dare aliquid ad redimendam vexationem, ab inique impediente, vel electionem, vel possessionẽ: Nec

Nec accipere pro re non supernaturali, vt pro professione S. Theologiæ. Nec si pro tua iam electi confirmatione, te ignorante data est pecunia. Nec si quis tuo nomine, vt beneficium perderes, pecuniam dedit pro eo. Nec Sacra vendere ratione materiæ, si plus habent de temporali, quam de spirituali, vt calix, & similia. Secùs est si vendantur Reliquiæ. Nec committi simoniam, si in venditione sepulturæ habeatur ratio loci honoratioris, ob rationem & respectum aliquem temporalem. Idem militat in iure stalli seu sedendi, aut standi, certo loco in Ecclesia.

Vendere calicem ratione materiæ non est simonia. Sepultura.

Dico 4. Qui dant certas Eleemosynas alicui Ecclesiæ, aut monasterio, adiecta conditione, vt certa opera spiritualia exerceantur, vt Missæ, orationes, aut Eleemosynæ, &c. non committunt simoniam, nec dantes, nec recipientes. Debet tamen recta esse intentio, vt huiusmodi Eleemosynæ dentur pro sustentatione, & causa excitante ad opera pia, & non pro pretio rerum spiritualium, quæ nulla pecunia æstimari possunt. Constat conclusio ex *cap. significatum.* & ex Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 4. de reformat.* & vsu totius Ecclesiæ, cui si quis contradicat, temerarius est: talis obligatio cum onere, & honore transit ad successores in Ecclesia, vel beneficio: ita vt quicunque huiusmodi temporalia percipiunt teneantur onera imposita adimplere. Quòd si neglexerint, grauissimè peccant & piæ animæ, quæ talia disposuerunt, clamitant in conspectu Dei contra eos. Ex dictis infero cum Nauarr. *in Manual. cap. 25. n. 12.* quòd mortaliter peccat Sacerdos, qui non dicit tot & tales Missas, quot & quales, & quo in loco tenetur, absque iusto impedimento: aut quas omisit. vt debet non implet, nisi rationabilis causa excuset V. G. aliquis instituit Missam singulis diebus pro defunctis, in diebus Paschæ, Natiuitatis, & in aliis festis, ratio dictat, & honestas postulat, vt non dicatur Missa pro defunctis, cùm ex parte Sacrificii oblati, Missa æqualiter prodest defuncto de quocunque dicatur.

Eleemosynæ pro Missis non sunt simonia.

Notent Capellani

Dico 5. Qui nolunt ire ad funebrem processionem, vel officium Diuinum peragere, nisi eum pacto de certa pecuniæ quantitate, committunt simoniam, 13. *q. 2. c. Questa est nobis.*

Dico 6.

Dico 6. Pro ingressu religionis aliquid pretii temporalis dare, aut accipere, simonia est. 1. q. 2, c. *Quam pio*. Ratio est, quia status religionis, est spiritualis res. Ergo gratis concedendus, non est tamen simonia accipere aliquid pro victu, & sustentatione alicuius, si tenues sint reditus, in conscientia. Hinc sequitur, Illos qui recipiunt ad religionem cum pacto, vt suum patrimonium, hæreditatem, vel annuos reditus conferat monasterio, simoniacos esse. Hinc.

Pro ingressu Religionis non licet accipere.

Collige 1. Eum qui aliquid alteri tradit, vt peccatum vitet, vel opus spirituale exerceat, in solius operantis vtilitatem, V. G. vt confiteatur, non committere simoniam, quia solùm hîc proponitur præmium, tanquam illecebra ad opus bonum. Vide Bonac. *t. 2. d. 1. q. 4. §. 7. n. 1.*

Collige 2. Pro concione vt est res Sacra, præciso labore, & sustentatione, nihil accipi potest. Pro actu tamen docendi Christianam doctrinam ad instruendum intellectum, vel excolendam memoriam, vt in Scholis fit, absque labe simoniæ potest accipi aliquid, hic enim est actus naturalis. Similiter Iuspatronatus vendi non potest, cùm sit aliquid spirituale habens pro obiecto beneficium. Ita Bonac. *loco citato. n. 3.*

PETES 3. *Quomodo contingat simonia circa Ecclesiastica beneficia?*

Nota Beneficia Ecclesiastica, cùm coniuncta sint Ecclesiasticis, muneribus, & officiis, & à spiritualibus dependeant, non rarò circa ea simonia committitur.

Dico 1. Dare, aut accipere aliquod pretium temporale, pro quocunque beneficio Ecclesiastico, est simonia. 2. q. 3. c. *Si quis obiecerit.* & c. *De hoc.* quia beneficia Ecclesiastica coniuncta sunt spirituali, & ab eo dependent: quando ergo temporale venditur, spirituale etiam coniunctum venditur, aut emitur, ex dicto. c. *Si quis obiecerit.*

Circa beneficia quando fit simonia.

Dico 2. Beneficiorum permutatio, seu prouisio priuata auctoritate facta, simoniam contra ius Canonicum continet: Ecclesia enim vetuit omnes pactiones in beneficiis, ob periculum simoniæ. Idem valet in permutatione actionum pertinentium ad prouisiones bene-

Beneficiorum permutatio an includat simoniam.

siones beneficiorum, si priuata fiat auctoritate. Volentes tamen beneficia permutare, possunt priùs inter se agere de permutatione facienda, & inter se transigere, non absolutè, sed in ordine ad consensum Prælati : Imò obligare si possunt ad persistendum in conuentione, donec superior abnuerit; talis enim conuentio, nō est prohibita cùm non sit conuentio. Hæc autem permutatio coram Ordinario fieri debet, modò permutatio purè fiat, non verò cum pensione, aut cum alio onere. At verò beneficia inæqualia in temporalibus, non Episcopus, sed solus Papa permutat, cuius auctoritate potest inæqualitas prouentuum, annuâ pensione, aut numeratâ pecuniâ compensari. Inæqualitas verò beneficiorum in dignitate, aut re spirituali, compensari non potest pecuniâ, aut alia re pretio æstimabili, etiam auctoritate Papæ, quia hæc non sunt pretio æstimabilia.

Quis permutare potest.

Ratione consanguinitatis collatio, non est simonia.

Dico 3. Prælatus Ecclesiasticus conferens beneficium consanguineo, ratione consanguinitatis, non committit simoniam. Ita S. Thom. *q.* 100. *a.* 5. *ad* 2. Nauar. *c.* 23. *n.* 107. quia nullum hîc intercedit pretium, neque venditio; peccat tamen grauiter Prælatus, si indigno conferat amico. Ita habetur 8. *q.* 1. *c. Moyses*. Eadem est ratio de eo, qui ex metu confert beneficium indigno.

Dare intercessori est simonia.

Dico 4. Qui dat mediatori, aut intercessori aliquod pretium, vt sibi procuret beneficium, simoniacus est. Vide Nauar. *loco citato. n.* 106. quia paria sunt dare collatori, & dare tertio, vt moueat collatorem ad conferendum. Si quis autem daret procuratori pro laboribus, quos impendit in solicitando, aut ratione gratitudinis, & amicitiæ, non est Simonia.

Pro amouenda vexatione dare non est simonia.

Dico 5. Qui habet ius acquisitum in beneficio, & est in possessione, potest offerre pecuniam, pro iniusta vexatione amouenda. Ita S. Thom. *loco citato art.* 2. *ad* 5. Quia in tali casu non emitur beneficium, sed remouetur obstaculum, quod impedit, ne quis suo iure frui possit; non est tamen licitum dare pecuniam pro redemptione vexationis, quando ius non est acquisitum, sed adhuc in incerto statu versatur.

Dico 6. Qui villam, aut castrum emit, cui annexum est Iuspatro-

Iuspatronatus non poteſt cariùs vendere, aut emere ob Iuspatronatus. *cap. Querelam de Simonia*: quia Iuspatronatus eſt res ſpiritualis, proinde non poteſt ſeparari, à Caſtro vel villa.

Iuspatronatus non poteſt vendi.

Dico 7. Qui procurat per ſeruitia apud Epiſcopum, intendendo vt conferat ſibi beneficium, non tanquam pretium ſeruitii, ſed ex gratia, & beneuolentia, cauſata ex ſeruitio, non eſſe ſimoniacum, affirmat Sanchez. *tom.* 1. *dub.* 28. *n.* 7. *&* 8. modò non intendat ſeruire principaliter ob beneficium.

Ex ſeruitio.

Dico 8. Mutuans aliquid cum pacto, vt ille qui recipit mutuum, conferat beneficium Eccleſiaſticum, eſt ſimoniacus, ſi tale pactum ſit iuſtitiæ, ſecùs ſi amicitiæ. Ita Leſsius *l.* 2. *c.* 20. *dub.* 9. *n.* 64. Malderus *in* 2. 2. *t.* 5. *c.* 3. *d.* 6.

Ex mutuo.

Dico 9. Permutatio rei ſpiritualis, cum alia re ſpirituali præciſe, ſimoniaca non eſt; ſecus ſi fiat permutatio rei ſpiritualis, cum alia ſpirituali, cui annexa eſt temporalis. Ita Bonac. (cum communi ſententia Doctorum) *diſp.* 1. *de ſimonia q.* 1. *n.* 6.

Permutatio rei ſpiritualis cum alia ſpirituali.

Dico 10. Penſio laicalis, ſeu quæ laicis tribuitur, ob cauſam merè temporalem, non eſt materia ſimoniæ, ſaltem contra ius Diuinum: penſio verò Clericalis, ſeu ſpiritualis, eſt materia ſimoniæ, contra ius humanum, & Diuinum. Hinc

Penſio quæ, eſt ſimonia.

Collige 1. Penſionarius non poteſt penſionem transferre accepto pretio, vel reſeruata fructuum parte; verumtamen eſt penſionarium habentem facultatem transferendi penſionem, poſſe illam in totum, vel in partem transferre.

Collige 2. Penſionarius non poteſt penſionem anticipatis quibusdam ſolutionibus, priuatâ authoritate extinguere, & ſi extinguat, tenetur adhuc ad penſum officii, cùm reportârit idem ſtipendium.

Penſionarii.

Collige 3. Penſionarius liberè cedere poteſt penſioni priuatâ auctoritate, cùm quilibet cedere poſsit iuri ſuo, niſi lege prohibeatur. Imò vendere, vel donare quoque poteſt fructus ſuæ penſionis, etiam ad totam vitam. Et hoc valet etiamſi penſionarius titulum penſionis ſibi retineat.

Collige 4. Reſignatio beneficii quæ non eſt pura, labem ſimoniæ

Resignationes. moniæ continet si fiat coram prælato inferiore Papa. Item resignatio beneficii, cum designatione successoris, inualida est, & illicita, si fiat corā inferiore Papa; vel cum pacto, vt collator cōferat personæ designatæ, & Prælatus admittens resignationes cum designatione futuri successoris, incidit in graues pænas.

Transactiones. Collige 5. Transactio simoniaca est, dum in ea remittitur, vel retinetur ius spirituale, pro temporali. Vnde Parochorum acta, pertinentia ad pastoralem curam, sunt materia simoniæ. Similiter Sacerdos cui datur pecunia ad tribuendam absolutionem, simoniacus est; si re ipsa non intendat absoluere; non erit tamen reus simoniæ, iniungendo pœnitenti eleemosynam in satisfactionem peccatorum; secùs si obliget ipsum sibi ad tradendam pecuniam.

Accipiens pro actibus iurisdictionis simoniacus est. Collige 6. Simoniam committit tradens, vel accipiens aliquid pro actibus iurisdictionis fori interni. V. G. pro absolutione censurarum, vel peccatorum reseruatorum, vel pro concessione indulgentiarum, vel pro facultate audiendæ confessionis.

Renuncians beneficio. Collige 7. Qui renunciat beneficium in gratiam alterius cum pacto, vt renunciatarius sibi restituat impensas, quas fecit in acquisitione beneficii, est simoniacus vterq;, si intercedat solutio, & receptio : quia in acquisitione spiritualium omnis pactio, & conuētio, quæ iure non inest, cessare debet. 1. *q.* 2. *cap. quam pio.* Sed in hoc casu conditio iure non inest, sed extrinsecùs apponitur. Ergo simonia committitur. Item incurritur simonia, si quis renunciet liti super beneficio, aut alio spirituali, dato aliquo temporali, etiam nomine expensarum. Vide Angel. Syluest. *Verbo renunciatio.*

PETES 4. *Quænam sint pœnæ latæ, contra simoniacos?*

Pœnæ Simoniacorum. Dico 1. Omnis simoniæ cùm deliberatione commissæ, pœna, est ignis inferni, nisi quis dignā pœnitentiā eam purgauerit : quia est peccatum mortale.

Dico 2. Simoniacorum hæ sunt pœnæ à iure Canonico. 1. est restitutio pretii, & resignatio rei spiritualis, cùm potest resignare. 2. Excommunicatio latæ sententiæ. 3. Suspensio ab ordine, & beneficio. 4. Infamia. 5. Inhabilitas ad beneficium simoniacè acceptum. 6. Priuatio omnium beneficiorum, etiam iustè acquisitorum.

fitorum. Ita habetur *in Decreto* 1. *c. requiruntur*. Et *in decretal. c. de hoc*, *& in Extrauag. cùm detestabilis*. Et in Concil. Constant. *Sess.* 45. Vide Nauar. *c.* 23. *n.* 14. Hinc.

Collige 1. Simoniacus in ordine, est suspensus, non qui in beneficio; nec si aliquo ignorante, aut contradicente in ordine suo commissa est Simonia.

Collige 2. Simoniacus per ignorantiam non incurrit excõmunicationem, si ignorantia talis sit quæ excuset, probabilis scilicet facti. Vide Nauar. *c.* 17. *n.* 16.

Collige 3. Dispensatio in simonia à nullo homine obtineri potest, excepto Papa, qui dispensare potest in Simonia iuris Canonici. Porrò nulla verborum forma necessaria est ad dispensandum in simonia, quia nulla talis forma in iure extat. Quis dispensat in simonia.

Collige 4. Regularis accusatus de crimine simoniæ, de quo est diffamatus, suspendi debet ab executione Ordinis, Prælationis, aut officii per simoniam adepti, vsque ad probationem facti. *c. accusatum. c. quoties de simonia*. Sed post probatum delictum, statim eliminari debet, id est cum grauissima pœna deponi, ab adeptis per simoniam, *c. Sicut de simonia*.

PETES 5. *An simonia inducat obligationem restituendi accepta simoniacè?*

Dico 1. Qui pretium accepit pro re spirituali, tenetur iure Diuino illud restituere illi, qui pretium dedit, etiamsi res spiritualis nondum tradita sit. Aduertit tamen Bonac, D. 1. *q.* 7. *p.* 3. *diff.* 1. *n.* 1. 2. 3. *&* 5. pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum, non esse obnoxium restitutioni iure naturali Diuino, secus si pretium simoniacè, & simul iniustè acceptum sit. Simoniaci obnoxii restitutioni.

Dico 2. Obligatus ex iustitia ad aliquam functionem gratis præstandam, tenetur ad restitutionem pretii accepti pro illa functione. Item vendens beneficia, vel officia, quorum non est dominus, tenetur quoque ad restitutionem pretii accepti. Item electores beneficiorum, accipientes pretium pro eligendo digno, tenentur ad restitutionem. Reliquiarum quoque pretium acceptum, restituendum est; secus dicendum de pretio accepto, pro vasis sacris, oleo

sancto, chrismate, & his similibus, si tamen pretium æquiualeat materiæ, & nihil detur pro re spirituali. Idem sentiendum si accipiens poterat tantundem exigere, titulo sustentationis. Ita Benac. *n.* 6. Item Religio pretio admittens aliquem, non tenetur iure naturali ad restitutionem, modò non plus accipiat, quàm ferat onus sustentationis. Item imaginis miraculosæ pretium acceptum ob lucrum, vel ob aliud commodum temporale, non est restituendum iure naturæ. Ita *idem ibidem n.* 15. *&* 16. Item pretium acceptum pro ingressu in religionem, restituendum non est ante sententiam iudicis; sicut neq; pretium acceptum, in collatione Ordinum, & Sacramentorum. Ita *idem n.* 20. *&* 21. Item res spiritualis simoniacè accepta, etiam iure Canonico, non est obnoxia restitutioni ante sententiam, exceptis beneficiis. Ita *idem diff.* 2. *n.* 3.

Beneficium acceptum simoniacè ligat ad restitutionẽ.

Dico 3. Qui simoniacè beneficium accepit, in foro conscientiæ tenetur beneficium relinquere, & fructus etiam consumptos restituere. Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *a.* 6. *ad* 3.

Dico 4. Collatio beneficii simoniaca nulla est; danda verò pecunia est Ecclesiæ, in cuius iniuriam facta est, post sententiam iudicis, vel pauperibus, secundùm verò aliquos ei à quo accepta est. Ita Sa *Verbo simon. n.* 10. Porrò fructus restituere tenetur ipse beneficiatus, non mediatores in simonia, dandi verò operibus piis, vel Ecclesiæ illi.

Dico 5. Simonia purè mentalis, non obligat ad restitutionem. Est communis DD.

Pœnitentia collata simoniacè irrita.

PETES 6, *An acta simoniacè, valida sunt?*

Dico 1. Actiones, seu functiones ordinis, vel iurisdictionis simoniacè factæ, validæ sunt per se loquendo, quia nullibi constat eas irritari. Aduertunt tamen hîc DD. Sacramentum pœnitentiæ simoniacè collatum, esse irritum. Item Ecclesia per pactionem cõsecrata, potiùs est execrata quàm consecrata. Porrò beneficii acquisitio simoniaca, inspecto solùm iure naturali Diuino, valida est, sicut etiam professio facta per simoniam.

Dico 2. Omnis actio iurisdictionis, vel administrationis, quæ ordinatur ad obtinendam beneficii prouisionem, si fiat per simoniam, ir-

am, irrita est iure Canonico. *cap. Matthæus, de Simonia*. Multa scripserunt Lessius *lib. 2. cap. 35. per dub. 31.* Bonacina *tom. 1. de Simonia per disput. 7.* Layman. *lib. 4. t. 10. per aliquot capita.* Nauar. *in Manuali.*

ARTICVLVS XI.

De Immunitate Ecclesiastica?

Nota De immunitate Ecclesiastica scripserunt nouissimè Bonacina *disp. 2. q. 3. p. 16. §. 1. & sequentibus.* Nauar. *cap. 25. n. 17. & 18.* Couaruuias *lib. 2. var. c. 20.* Syluester *Verbo immunitas 1. n. 2.* Sa *Verbo Ecclesiæ immunitas.*

Ecclesiarum immunitas est exemptio, seu priuilegium Ecclesiis materialibus concessum, vt ad eas confugientes, tuti sint à laica potestate: hæc autem immunitas iure humano concessa fuit Ecclesiis Christianorum, aliisq; locis religiosis de quibus infra, estq; valde conformis iuri Diuino & naturali. Ita Bonacina *loco citato.* Hinc. Quid Ecclesiæ immunitas.

Collige 1. Ecclesiastici resistere possunt magistratui, aut iudici seculari, volenti reum à loco Sacro extrahere (Existens enim in Ecclesia, capi non potest à laica potestate) deterrendo censuris, vel claudendo ianuas, vel laicorum auxilium implorando, vel etiam vtendo operá Clericorum, nondum Sacris ordinibus initiatorum; ipsis tamen Ecclesiasticis, non licet arma capere, ad magistratum secularem arcendum, ne detur occasio scandali. Ita *idem ibidem num. 3.* Existens reus in Ecclesia non potest extrahi.

Collige 2. Non potest magistratus secularis impedire, quominus reo in Ecclesia existenti deferantur vestes alimenta, &c. ad vitam necessaria; alioquin priuilegium immunitatis redderetur inutile. *Idem ibidem n. 4.* Non potest damnari.

Collige 3. Quamdiu reus in Ecclesia existit, damnari non potest ad mortem, vel ad pœnam corporalem; ad pœnam verò pecuniariam, & bonorum confiscationem, à iudice laico damnari potest, nisi compareat; imò iudex solet citare reum illumq; condemnare ad mortem, vel ad aliam pœnam pro qualitate delicti, quando licitè poterit inferri. *Ibidem num. 8. & 9.* Quòd si reus ab Ecclesia per Si extrahatur est restituendus Ecclesiæ.

sia per vim extrahatur Ecclesiæ est restituendus; tenetur enim iudex iniuriam Ecclesiæ illatam resarcire; neq; satisfacit dando cautionem de impunitate, sed tenetur re ipsa reum Ecclesiæ restituere, etiam si extractus, iuri suo cedere, & in potestate iudicis secularis permanere velit: quia hoc priuilegium concessum est loco sacro immediatè; nullus autem cedere, potest iuri alteri concesso. *Ibidem n.* 20. Porrò restituendus est reus, vel eidem Ecclesiæ vnde extractus est vel alteri, vel Episcopo, vel etiam eius Vicario, modò sit æquè tutus, ac si Ecclesiæ fuisset restitutus. *Ibidem n.* 14.

Collige 4. In dubio, an reus captus sit in loco Sacro an verò in profano; spectat ad iudicem Ecclesiasticum definire, cùm enim agatur de immunitate Ecclesiæ, eius causæ cognitio pertinet ad iudicem Ecclesiasticum.

Iudex laicus quid possit circa extractum.

Collige 5. Actus iudicis laici, iuridicè facti in delinquentem ab Ecclesia extractum, sunt irriti, & nulli, vt potè facti sine iurisdictione; Imò neq; potest illum iuridicè interrogare, consequenter reus non tenetur respondere, quia non habet ius in reum, eo modo captum *Ibidem num.* 17. *&* 18.

Quid intelligitur nomine Ecclesiæ.

Dico 2. Non solùm interius Ecclesiæ corpus, verum etiam tota Ecclesiæ fabrica, vt tectum, partes parietum exteriores, campanile, Sacristia Ecclesiæ coniuncta, & similia Ecclesiæ adiacentia, priuilegio immunitatis fruuntur: quia quæ adhærent loco sacro, concensentur sacra consequenter eadem gaudent immunitate. Item monasteria, domus religiosorum, aliaq; loca sacra, gaudent priuilegio immunitatis, quod extenditur ad totum claustrum, etiam & hortum, & viridarium, totum enim illud septum est Sacrum. Eodem priuilegio gaudet hospitale, authoritate Episcopi fundatum, & Oratoria, & cæmeteria. Domus Cardinalium, & Episcoporum, modò in eis domibus sit oratorium; vbi Diuina celebrentur. Non violatur autem Ecclesiæ immunitas, dum reus extra locum sacrũ comprehensus, ducitur ad carcerem per cæmeterium, aut Ecclesiam, etiamsi per vim trahatur, & inde recuset exire; quia hic non confugit ad Ecclesiam liber. Ita Bonacina, *t.* 3. *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 16. Hinc.

Domus Religiosorum. Hospitale.

Nota casum.

Collige

Collige 1. Committi Sacrilegium contra loci reuerentiam, & immunitatem, dum à satellitibus fori secularis capitur reus, qui effracto carcere confugit ad Ecclesiam, vel ad loca paulò ante nominata. Idem dicendum est, si reus se à satellitum manibus proripuit, etiam cùm duceretur ad mortem, seq; ad locum sacrum recepit, modò delictum sit tale, pro quo Ecclesia immunitatem concedit; alioquin capi potest pro delicto, cui loca sacra nullam præbent immunitatem. *Idem ibidem num. 6.* Nota alium.

Collige 2. Neq; loci sacri immunitas violatur, si reus blanditiis, & promissionibus, sine coactione è loco sacro eliciatur, & extra eum capiatur; si tamen ei promissa est impunitas, aut restitutio in eundem locum, illi data fides, est seruanda. *Ibidem num. 24.* 3. casus.

Collige 3. Si reus amplexetur Sacerdotem deferentem SS. Eucharistiæ Sacramentum, ob reuerentiam SS. Christi Corpori debitam, licitè capi non potest. Ita Sa *Verbo Ecclesiæ immunitas num.* 1. Bonac. *loco citato n. 22.* 4. casus.

Collige 4. Debitores in loco sacro existentes, gaudent priuilegio immunitatis. Item fures etiam Sacrilegi, qui in Ecclesia furati sunt ad Ecclesiam confugientes. Idem dicendum de homicidis, periuris, blasphemis, adulteris, Sodomitis, &c. Modò non commiserint crimen in Bulla Gregorii XIV. exceptum, hi enim casus prædicti in bulla, non exprimuntur. 5. casus.

PETES 1. *Quinam Ecclesiarum immunitate non gaudeant?*

Respondeo publici latrones, grassatores viarum, & depopulatores agrorum, ad Ecclesiam confugientes, immunitatem amittunt, sic enim expressè habetur in Bulla Gregorii XIV. Item occidentes, vel mutilantes in Ecclesiis, aut earum cæmeteriis, carent Ecclesiæ immunitate, quia æquum non videtur, vt immunitate Ecclesiæ fruatur, qui in Ecclesia deliquit, tamen qui in Ecclesia existens alium occidit sagittâ, vel plumbea glande, extra Ecclesiam existentem, priuilegium immunitatis non amittit; quia licet homicidium fuerit in Ecclesia inchoatum; fuit tamen extra Ecclesiam perfectum & consummatum; hic tamen ab Ecclesiasticis ministris capi potest, neq; amittitur immunitas ob quamlibet vulne-

Qui non gaudent immunitate.

Notanda.

vulnerationem in Ecclesia factam, nisi ex illa sequatur mors etiam extra Ecclesiam, aut nisi sit mutilatio in aliquo membro corporis. Neq; etiam amittit priuilegium huius immunitatis, qui mandat homicidium, vel mutilationem in Ecclesia fieri, quia pœna lata contra facientes, non afficit mandantẽ, nisi hoc in iure exprimatur. Ita Bonac. §. 7. *loco citato*. Item reus hæreseos, immunitatem Ecclesiæ amittit, nam crimen hæresis expresse excipitur in Bulla Gregorii XIV. Notandum tamen ob solam hæresim immunitatem amitti, non autem ob alia crimina ab hæresi distincta, quia in Bulla excipitur crimen hæresis: quare hæreticus ob homicidium commissum ad Ecclesiam confugiens, Ecclesiæ immunitate gaudet. Infidelem verò nondum Baptizatum, valde probabile est gaudere immunitate. Ita *idem ibidem* §. 10.

Hæresis non gaudet immunitate vt hæresis.

Quid nomine Principis.

Item crimen læsæ maiestatis in personam Principis, Cardinalis, priuilegio immunitatis non gaudet. Ita *in Bulla citata*. Dicitur autem Princeps qui superiorem in sua iurisdictione non agnoscit. Vnde non priuatur immunitate, qui offendit vxorem, aut filium Principis. Ita *idem ibidem* §. 11. Crimen verò læsæ maiestatis, tunc dicitur committi in personam Principis; quando fit actio in damnum, & offensam personæ Principis, vt occidendo, percutiendo, coniurando, hostiliter insequendo personam Principis, reuelando hostibus ipsius secretum, vt ab illis capiatur. Item dicendum de consulentibus, auxiliantibus, aut fauorem præstantibus. Secus de ratum habentibus, aut approbantibus crimen commissum, aut de scientibus committendum, nec reuelantibus: licet enim isti vt plurimùm censeantur rei criminis læsæ maiestatis, non tamen commiserunt vllam actionem positiuam in personam Principis. Ita *idem ibidem num.* 10.

Crimen læsæ maiestatis.

Proditoriè occidens non gaudet.

Item caret priuilegio immunitatis Ecclesiasticæ aliquem occidens proditoriè: proditoriè autem occidere dicitur, qui aliquem occidit nihil minus suspicantem, aut cum quo amicitiam simulabat. Quare qui occidit inimicum, non dicitur proditor in rigore loquendo, licet eum occidat à tergo, aut per insidias, quia occisus cauere sibi poterat ab inimico. Neq; priuatur immunitate qui ab-

orsum

orsũ procurat fœtus animati. Item Asſaſsinii reus Eccleſiæ Immunitate nõ gaudet. Asſaſsini aut nomine intelligitur, qui pecunia, aut pretio conducitur ad hominẽ incautum occidendũ ex inſidiis: qui verò ſine pretio aliquẽ interfecit, vt amico rem gratã faciat, nõ dicitur Asſaſsinus. Cooperatores, fautores, auxiliatores, & receptatores, priuãtur priuilegio imunitatis, ſunt enĩ omnes Asſaſsini rei. Hinc

Asſaſsinii reus non gaudet.

Collige 1. Prælati locorũ gaudentiũ imunitate, tenentur delinquentes ad locũ imunem confugientes conſignare curiæ ſeculari, id requirenti, ſi cognouerint delictum ab eis comiſſum, indignum eſſe priuilegio imunitatis. Ita Gregorius XIV. in ſua Bulla.

Poſſunt prodi non gaudentes immunitate.

Collige 2. Antequã reus, qui ad locũ ſacrũ confugerat, curiæ ſeculari tradatur, debet obtineri facultas ab Epiſcopo loci, vel Vicario eius, capiẽdi, & extrahendi reũ. Deinde vt non ſtatĩ ac captus eſt, tradatur laicæ poteſtati, ſed in carcerẽ nomine Epiſcopi cõiiciatur, à quo, vel Vicario eius cognoſcatur, an reus ſit delicti, cui impoſita eſt priuatio immunitatis. Ita *idem ibidem num.* 4.

Modus extrahendi reos ex loco ſacro.

PETES 2. *Quibus pœnis afficiantur Eccleſiarum immunitatem violantes?*

Reſpondeo committunt Sacrilegium, & iniuſtitiam: Sacrilegium quidem ob iniuriam loco ſacro irrogatam: iniuſtitiam verò quia ratione priuilegii non habent iuriſdictionem in reum, & ſic tenentur ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ inde paſſus eſt reus. Deinde violatores Eccleſiæ, incurrunt Excommunicationem ipſo facto Papæ reſeruatam, vt patet ex Bulla Gregorii XIV. Vnde qui hæc faciunt, aut fieri mandant, (exceptis caſibus enumeratis,) neq; Eccleſiæ reſtituere volunt ſic extractum, talem pœnam excõmunicationis incurrunt; quæ cenſura Papæ, eſt reſeruata. Aliqui probabile putant, Epiſcopum poſſe ab hac excommunicatione abſoluere, facta reſtitutione, & ſatisfactione ab eo, qui in excommunicationem inciderat, ob violatam Eccleſiæ immunitatem. Quare Epiſcopi, & alii Prælati extrahentes, vel extrahi mandantes aliquem è loco ſacro, contra formam in Bulla præſcriptam, ſi id faciant, quatenùs funguntur poteſtate laica, incurrunt excommunicationem. Ita Bonacina §. 14. *num.* 11.

Pœnæ violantium.

QVÆSTIO II.
De Virtute Theologica fidei.

Cùm fides Theologica sit fundamentum Religionis veræ, propterea in Typo veræ Religionis de ea tractandum esse arbitratus sum; fides enim vera variis actibus Religionis honorat Deum: oratione tam vocali, quàm mentali, Sacrificio diuinissimo, Decimis & primitiis, votis, & veris iuramentis, festis diebus, exterminatione eorum omnium, quæ Religioni aduersantur, qualis est idololatria, magia, &c. de quibus omnibus in hoc Tractatu actum est, de fide itaque hîc inquirendum, & sequenti Quæstione de oppositis vitiis fidei, cùm vitia quæ fidei opponũtur, etiam Virtuti Religionis mediatè opponantur.

In præsenti itaq; Quæstione hæc quæ sequuntur, examinabuntur.

1. An de credibilibus reuelatis, necesse sit ponere fidem infusam.
2. De obiecto fidei, quodnam sit materiale, & quod formale.
3. Quodnam sit subiectum fidei.

ARTICVLVS I.
An de credibilibus reuelatis, necesse sit ponere fidem infusam?

Multiplex acceptio fidei. Nota Fidem multipliciter sumi, teste S. Bonauentura *in 3. dist.* 23. & Alense 3. *p. q.* 64. Primò sumitur fides pro confidentia, & hæc non est in intellectu, sed in voluntate, & ita accipitur Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Matth. 11. *Omnia quæ petitis orantes, credite,*

credite, quia accipietis. 2. modo capitur pro fidelitate, teste Cicerone de officiis, *Fides est dictorum factorumq; conuentio, & veritas.* Et ita eam accipit S. Paul. ad Rom. 3. *Incredulitas eorum fidem Christi non euacuauit.* id est, veritas, & constantia Dei, in complendis suis promissis, non irritatur per Iudæorum incredulitatem, & hæc etiam est virtus moralis. 3. capitur pro iureiurando, & sponsione, & promissione ipsa, quâ nos alicui rei faciendæ astringimus, & sic eam accipit S. Paul. 1. ad Thimot 5. *fidem irritam fecerunt.* 4. modo sumitur fides pro credulitate, seu assensu firmo, & certo, sed ineuidenti tamen, & in hac acceptione fides est virtus intellectualis, atque ita accipitur in titulo Articuli, & est duplex altera, infusa, altera acquisita. Sensus ergo tituli est, An de credibilibus complexis supernaturaliter nobis reuelatis à Deo, immediatè vel mediatè, sit necesse suppositionis necessitate, ponere fidem infusam, hæc sequentibus Quæsitis examinabuntur.

Fides propriè sumpta.

QVÆRES PRIMO.

An de fide sit dari habitum infusum in nobis.

Videtur primò quòd non, quia ad omnem certitudinem actus credendi, quam experimur in nobis, respectu talium credibilium sufficit fides acquisita. Ergo non est necessaria fides infusa. Antecedens probatur, quia sicut firmiter inhæremus gestis, scriptis, de rebus bellicis & aliis historiis, fide acquisita, per hoc quod credimus veraces esse eos, qui talia scripserunt. Ita fide acquisita firmiter adhæremus historiæ Scripturæ Sacræ, quia firmiter credimus veraces esse eos, qui tales libros Sacræ Scripturæ scripserunt. Ergo &c.

Secundò arguitur, omnis habitus, quem non potest homo acquirere naturaliter simpliciter, est perfectior omni habitu naturaliter acquisibili. Si ergo ponitur fides infusa, erit perfectior quâ scientia conclusionum, & habitus principiorum. Ergo actus credendi fidei infusæ erit perfectior, quàm actus intelligendi prima principia, quod videtur inconueniens.

Tertiò arguitur, potest aliquis fide acquisita per falsigraphum assentire

assentire falso impossibili, nempe opposito conclusionis demonstrabilis, Ergo multo fortiùs fide acquisita, potest credere firmiter vera neutra, cuiusmodi sunt credibilia.

Habitus infusi duplices.

Nota 1. Habitus infusi sunt in duplici differentia, infusi per se, & infusi per accidens. Infusi per se sunt illi, qui viribus naturæ comparari nequeunt, quorum acquisitio est supernaturalis infusio, vt est fides, spes, charitas. Infusi per accidens illi sunt, qui viribus naturæ comparari possunt, sed ex dono Dei dantur hominibus, vt scientia infusa Adamo, & Salomoni. Porrò habitus Theologicus appellatur ille, qui habet directè, & immediatè pro obiecto Deum ipsum, & talis est fides.

Habitus Theologici.

Nota 2. Habitus Theologicos dari, omnes Theologi concedunt, quia vt habitus morales necessarii sunt ad finem naturalem, hoc est ad beatitudinem naturalem assequendam, ita & habitus Theologici ad supernaturalem adipiscendam sunt necessarii.

Fides infusa datur

Dico 1. De fide est fidem infusam esse, sicut & spem, & charitatem. Probatur ex S. Paulo ad Ephes. 1. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis*, donum enim Dei est. Et 1. ad Thimoth. 1. *Misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis*. Et Ioan. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum*. Et ad hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Et de charitate constat ad Romanos 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum*. Et Concil. Trident. *Sess. 6. c. 7.* docet, *Iustitiam Dei esse causam formalem nostræ iustificationis, non quâ ipse Deus iustus est, sed quâ nos iusti sumus*. Eandem conclusionem probat D. Subt. *in 3. dist. 23. q. vnica. n.* 14. Præterea si puer non baptisatus, nutriretur inter Christianos, ex auditu crederet, & adhæreret omnibus, sicut & nos. Deinde si baptisatus erat circa vnum, puta circa Trinitatem Personarum, & tamen crederet alia credibilia, talis non haberet fidem infusam, quia corrumperetur in eo per hæresim, non quidem effectiuè, sed demeritoriè. Ergo fides infusa est necessaria.

Fides infusa infunditur in Baptismo.

Dico 2. Veritas fidei Catholicæ est, quòd ablutis Sacro baptismo infunditur gratia, seu charitas, fides, & spes. Patet ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*. Et ex illo ad Titum 3. *Per lauacrum regenerationis & renouationis*.

Dico 3.

Dico 3. Secundùm fidem Catholicam aſſerendum eſt nobis diuinitus concedi Dei adiutorium, vt credamus, velimus, diligamus, id eſt, per inſpirationem, & infuſionem Spiritus Sancti hæc omnia in nobis fieri. Ita definitum eſt, *in Concilio Arauſ. c. 6.* Et probatur ex 1. ad Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* Et Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Et ex illo, *ſine me nihil poteſtis facere.*

Dico 4. De Potentia Dei abſoluta, poſſet mouere Deus hominem, ad actus ſupernaturales, fidei, & charitatis, ſine habitibus infuſis. Ita D. Subt. *in 1. d. 17. q. 1.* Et *in tertio. d. 27.* contra multos Thomiſtas qui cenſent, planè impoſsibile eſſe actus ſupernaturales, potentias noſtras elicere, ſine habitibus ſupernaturalibus. Sed probatur concluſio, quia habitus concurrit ad actum, in genere cauſæ efficientis. Sed quidquid Deus poteſt facere cum cauſa ſecunda efficiente, poteſt facere ſe ſolo, vt commune eſt axioma Theologorum. Ergo poteſt Deus hominem ſine iſtis habitibus mouere ad operandum,

De potentia abſoluta non eſſent neceſſarii habitus infuſi.

Dico 5. His temporibus eſſet temerarium, & periculoſum, de facto, negare habitus infuſos. Probatur nam licet ſub nomine habitus, non fiat mentio de illis in Scriptura, & Concilio, tamen illa quæ dicuntur de his virtutibus, non poſſunt bene intelligi, niſi habitus eſſe concedantur: nam infundi, inhærere; inhabitare, & eſſe ſignum in anima, non poſſent rectè intelligi, niſi dicamus quod ſunt habitus, quod conſtat ex cap. 15. Lucæ. *Proferte illi ſtollam primam.* Stolla namque hæret habenti, eſtque aliquid habentis, ſicut & habitus aliquid ſunt habentis. Colligitur ex Trident. *Seſs. 6.* Quòd charitas ſit aliquid inhærens & creatũ in animis eorum, qui iuſtificantur; ſed non eſt actus, vt patet in paruulis iuſtificatis. Ergo eſt habitus. Hoc idem de fide conſtat infuſa, ex Sancto Paulo ad Hebræos. 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* At paruuli baptiſati Deo placent, etſi in eis non ſit actus fidei. Ergo erit in eis fidei habitus. Et Marci vltimò dicitur. *Qui non crediderit condemnabitur*; paruuli autem baptiſati non credunt actu. Ergo ſi neque habitu crederent, condemnarentur, dum morerentur ante vſum ra-

Cur fides infusa necessaria.

tionis, & inefficax in eis esset baptismus. Ad primum in oppositum, negandum est antecedens: licet enim fides acquisita sufficiat ad assensum, & certitudinem actus, prout credere opponitur opinari: tamen non est ita perfectè certus actus, nec ita intensus, sicut cum fide infusa, nec etiam fides illa ita perfectè perficit animam in esse primo, sicut infusa.

Fides infusa est perfectior omni habitu acquisito.

Ad secundum concedit Doctor. Subt. quòd fides infusa, est perfectior quocunque habitu acquisito. Et cum infertur de actu credendi. Dicendũ est, quod est loqui de actibus istis in se: & sic actus credendi est perfectior, quia à perfectiori principio elicitur, & in perfectius obiectum tendit. Et est loqui de eis, secundùm quod plus vel minùs attingunt obiectum, in quod tendunt, & sic actus intelligendi principia, est perfectior, quia eius obiectum, non tantùm excedit ipsum in intelligibilitate non intellecta, quantùm Deus excedit actum credendi in intelligibilitate, non intellecta per actum fidei.

Ad Tertium. Dicit Doctor Subt. quòd licet per falsigraphũ, possit quis assentire opposito conclusionis demonstrabilis, non tamen firmiter.

PETES 1. *An fides Theologica sit prior, aliis virtutibus Theologicis?*

Fides est prior origine.

Respondeo. Fides est prior cæteris virtutibus ordine originis, seu via generationis. Tum quia Apostolus 1. ad Corinth. 13. fidem primo loco numerat, tanquam originem reliquarum virtutũ. Et ad Hebræos 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est &c.* Et Trident. Sess 6. *cap.* 8. Docet fidem esse humanæ salutis initium, & radicem totius iustificationis. Fides licet sit prior origine cæteris non est tamẽ prior prioritate dignitatis, teste Apostolo ad Corinth. loco citato dicente. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* Et ad *Colossen.* 3. inquit *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, consequenter charitas est prior, & excellentior omnibus virtutibus, quia tam fides, quàm spes formantur à charitate.

Charitas prior perfectione.

PETES 2. *An sit necessarius habitus fidei infusus ad causandum assensum de credibilibus reuelatis?*

Nota

Nota Fidem tripliciter considerari posse: primò quoad eius assensum. 2. quoad suum obiectum; & 3. vt est quidam habitus virtutis Theologicæ supernaturalis. Accipiendo fidem in prima significatione, non est dubium quin sit donum Dei. Fides tripliciter consideratur.

Dico 1. Non est euidens argumentum, aut ratio naturalis, probans fidei infusæ necessitatem: de fide tamen est, quòd fides infusa sit necessaria ad salutem. Prima pars est Doctoris Subt. *in* 3. *d.* 23. *q.* 1. *n.* 14. Et probatur sic. Ex fide acquisita possumus credere omnibus articulis fidei, vt patet de puero, non baptisato, & inter Christianos nutrito; qui sine fide infusa crederet omnibus articulis quibus & fideles credunt. Ergo &c. 2. pars est etiam D. Subt. *loco citato*, dicentis. *Oportet ponere fidem infusam propter authoritatem scripturæ, & Sanctorum*. Vbi docet quòd probabile sit infundi simul fidem, spem, & charitatem; quod confirmat Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 7. Non est demonstrabilis fides infusa ratione. De fide certum.

Quos enim Deus sanat perfectè sanat; Ergo non solùm sanat voluntatem per habitum spei, & charitatis infusæ, sed etiam intellectum per habitum fidei; ergo ponendus est talis habitus.

Dico 2. Fides infusa est necessaria ad substantiam actus credendi supernaturalibus fidei mysteriis; ita vt sine illa non possimus vt oportet credere. Hæc conclusio habet duas partes prima est quòd fides infusa est necessaria ad substantiam actus credendi: 2. est quòd sine ipsa non possumus credere vt oportet. Prima pars patet, quia fides infusa specialiter ponitur, vt perficiat intellectum in actu primo, sicut charitas perficit voluntatem in actu primo; perficere autem potentiam in actu primo, est pertinere saltem partialiter ad actum primum, sicut dicimus speciem intelligibilem perficere intellectum in actu primo; quia vnà cum intellectu, est partialis causa intellectionis, Vt docet D. Subt. *in primo. d.* 3. *q.* 3. *&* 8. Ponitur itaq; fides infusa, & propter perfectionem actus primi, & secundi, id est propter perfectiorem assensum, quia potentia habituata æquali conatu operans perfectiorem actum producit, quàm non habituata, vt docet *D. in* 1. *d.* 17. Secunda pars constat ex sequentibus. Ad quid necessaria fides infusa.

Dico 3.

Propter assensum ponitur fides infusa.

Dico 3. Fides infusa nedum ponitur vt intellectus perficiatur illo. nedum propter gradum in actu, sed etiam vt simpliciter assentiatur intellectus articulis fidei, adiutus per habitum infusum, tanquam per causam partialem. Probatur, quia neq; imperium voluntatis, neque intellectus sunt causa totalis assensus. Ergo necesse est ponere habitum fidei infusæ. Antecedens patet, quia Apostoli petebant. *Luc.* 17. *Adauge nobis fidem*. Quare assensus causatur ab intellectu habituato fide infusa, fide enim acquisita, non potest haberi firmus assensus. Hinc

Propter certitudinem ponitur fides infusa.

Dico 4. Fides infusa, nedum propter assensum, sed etiam propter certitudinem, vt s. per eam certior habeatur, & firmior actus credendi, quàm habeatur per solam fidem acquisitam. Ita D. Subt. in 3. d. 23. n.8. & quodl. 14. art. 1. Probatur quia fide acquisita nullus credit alicui, nisi quem scit posse falli, & fallere, nisi credat ipsum non velle fallere, quia fides acquisita, innititur veracitati testis creati, innititur enim assensioni hominis, vel Angeli, quibus non omnia sunt nota, atq; ita potest assentiri mentienti. Sed nemo potest perfectè assentiri dictis eius, quem nouit posse fallere, & falli, in his quæ dicit. Ergo fide acquisita non potest haberi firmus assensus. Ergo fides infusa, ponenda propter assensum, quæ respiciat Deum pro obiecto primo.

QVÆRES SECVNDO.

Quænam sit definitio fidei, explicans naturam fidei.

Hæreticorum error circa definitionem fidei.

Nota Hæretici, vt est Erasmus in Annotationibus Pauli dicit, (illam definitionem fidei ad hebr. 11. S. Pauli. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*) non esse definitionem fidei, sed solùm encomium, & fidei laudem, quia inquit hæc definitio conuenit spei, quæ est substantia sperandarum rerum, id est expectatio sperandorum, reddens nos certos de rebus non visis. Tùm quia fides est etiam cognitio mediorum, quibus ad vitam æternam perducimur. Ergo non solùm est eorum quæ speramus. Contra, Erasmi dictum est falsum, & temerarium, eo loco non definiri fidem, cum omnes SS. Patres, omnesq; Theologi quos mox citabo, dicant ibidem fidem definiri.

Dico

Explicatur definitio fidei.

Dico 1. Istis verbis *fides est sperandarum &c.* continetur propria fidei definitio explicatur. Dicitur *substantia sperandarum rerum*, hic intelligitur beatitudo, quæ est præmium iustorum, & pœna inferni, quæ est stipendium impiorum pro suis peccatis: nam licet per fidem non solùm credamus futura, sed etiam præsentia, & præterita, definitur tamẽ fides, per futuram beatitudinem; quia instrumentum aptè definitur, per suum finem; fides verò est instrumentum consequendæ beatitudinis, & reliqua omnia creduntur, veluti media futuræ beatitudinis: & ponitur in numero plurali sperandarum rerum, quia incarnationem quam credimus præteritam, speramus visuros in beatitudine, & multa alia speramus videre, ideò in numero plurali dicitur sperandarum, &c. & quia oppositorum eadem est ratio, ideò in hac particula, intelligimus finem malorum & pœnas eorum. Dicitur *argumentum*, significat conuictionem; quia intellectus conuincitur authoritate Diuina, seu eius dictis ab ea reuelatis, ita certus assentit, ac si oculo corporis videret ea, quæ credit: fides enim duo habet, primum, facere nos certos de rebus inevidentibus: secundum firmare, & fundare spem, & ideò dicitur substantia sperandarum, rerum, propter hoc secundum, & propter primum, ponitur argumentum; argumentum enim non solùm suadet, sed etiam conuincit, & cogit intellectum ad assensum. Dicitur *non apparentium*: quia res fidei modò non videntur, sed latent. His explicatis, probatur conclusio. Tùm quia de ea fide Apostolus ibi tractat, quâ superiori *capite* 10. ex Abacuc affirmauerat, iustum viuere, hanc autem constat esse fidem, quæ est virtus Theologica, non in voluntate, sed in intellectu existens. Tùm quia manifestè Apostolus ibi, fidem distinguit à fiducia, siue spe, cùm eam vocet *argumentum*, quæ facit assensum firmum, quod non conuenit spei. Hanc conclusionem SS. PP. omnes recipiunt, & dicunt, *loco citato*. fidei definitionem tradidisse Apostolum. Ita Sanctus August. *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 21. Fides* inquit *ita definita est, fides est sperandarum rerum substantia, & conuictio rerum, quæ non videntur.* S. Hieronymus super *Epist. ad Galat. c. 5.* expressè dicit, quòd fidẽ ibi ad Hebræos Apostolus definiat. S. Bernar. planè temeritatem

Fides instrumentum beatitudinis.

Duo fides habet.

Probatio conclusionis.

Omnes Theologi asserunt.

Erasmi redarguit dicens. *Ego inquit securus in magistri gentium sententiam pergo, & scio quoniam non confundar: placet mihi fateor illius de fide definitio, fides est substantia. &c.* S, Chrysost. *homil. 21. ad hebr. & alii* Præterea omnes Theologi conclusionem prædictam amplectuntur S. Thomas 2. 2. *q.* 4. *a.* 1. S. Bonauentura *in 3. d.* 23. *art.* 1. *q.* 6.

Ratio S. Bonauenturæ.

Ita probat. Definitio illa est rectè, assignata, quando nihil continetur in ea superfluum, nihil diminutum, & cùm per ipsam notificatur definiti essentia. Sed talis est definitio prædicta. Quoniam ergo habitus virtutis dupliciter notificari habet, scilicet per finem vltimum, & per suum obiectum; finis autem ipsius fidei, consistit in æterna beatitudine, quā speramus, & ita in rebus sperādis: obiectū autē cōsistit in veritate non visa, & ideò in rebus non apparentib9, ideò oportuit fidē definiri per res sperādas, et nō apparētes, vt sic notificatio fidei, non solùm essentiam definiti explicaret plenè per intellectum, & affectum. Probatur deniq; ratione, hæc definitio

Duo officia fidei.

describit officium, & proprietatem fidei. Ergo est optimè assignata. Antecedens patet, quia fides inter alia, hæc duo habet officia: primum vt sit fundamentum, & sustentatio eorum, quæ speramus, tam certos & firmos nos reddens per assensum earum rerum, acsi iam essent, & possiderentur à nobis. Secundum, quòd fides per authoritatem Dei reuelantis ostendit, & manifestat nobis res non apparentes, acsi cernerentur à nobis. Ergo. Confirmatur, illa est optima definitio, per quam definitum secernitur ab omnibus aliis. Sed per hanc definitionem fides secernitur ab omnibus habitibus ad intellectum pertinentibus. Ergo, &c. Minor patet, quia per particulam *argumentum* secernitur ab opinione, & suspicione, quæ non important firmam adhæsionem intellectus, respectu alicuius obiecti. Deinde per particulam *non apparentium*, secernitur fides à scientia, & intellectu, qui & habent firmam adhæsionem, & simul euidentiā. Et per istā particulā *sperandarum* rerū, separatur fides infusa, & diuina, ab humana, quæ non ordinatur ad beatitudinē speratā.

Fidei definitio.

Dico 2. Fides est habitus certus, & ineuidens, quo veritatibus supernaturalibus assentimur, ob diuinam reuelationem. Vel vt definit eam Richardus *in 3. dist.* 23. *a.* 4. *q.* 1. Fides est habitus bonus cer-

nus totius ædificii spiritualis existens fundamentum, ad res sperandas ordinatus, manifestatiuus veritatis, transcendentis facultatem nostræ naturalis cognitionis, qui innititur primæ veritati reuelanti, quæ nec fallere potest, nec falli. Ex dictis patet, quòd definitio S. Pauli fidei, sit bona, neq; conuenit spei, vt vult Erasmus, quia spes, non est argumentum non apparentium, neq; est substantia sperandorum, id est primum fundamentum, & inchoatio totius spiritualis ædificii, hoc enim soli fidei conuenit.

Definitio S. Pauli non conuenit speî.

PETES 1. *An hæc definitio S. Pauli conueniat tam fidei formatæ, quàm informi.*

Nota 1. Hæretici negant diuisionem fidei esse bonam in formatam, & in informem, vt refert Vega *lib.* 14. *super concilium c.* 8. & Valent. *t.* 3. *d.* 1. *q.* 4. *p.* 4. Quam distinctionem ab omnibus Theologis receptam, *in* 3. *d.* 24. Caluinus *in* 4. *cap. lib. de instit.* appellat nugatoriam, & insulsam; Et *in c.* 7. *in Antidoto contra Concil. Trident.* fidem charitate vacuam, somnium & inane hominis figmentum dicit.

Blasphemiæ Caluini.

Nota 2. Inter omnes actus fidei ille est optimus, quo tendimus in Deum per fidem, & dilectionem simul, Credere enim est actus intellectus, assentientis articulis fidei ex imperio voluntatis. Sicut ergo ad hoc, quòd credere sit actus perfectus, requiritur perfectio ex parte intellectus, vt tendat infallibiliter in suum bonum, quod est verum, ita requiritur perfectio ex parte voluntatis imperantis, vt ipsa referat illum actum in vltimum finem, quod efficit mediante charitate. Porrò fides absolutè appellatur virtus, vt constat ex Clementina *de Summa Trinit.* §. *Rerum.* quia ibi Clemens V. absolutè appellat fidem, spem, & charitatem, nam fides informis est propriè virtus, quod constat ex supposita definitione virtutis tradita ab Arist. 2. *Ethic. c.* 2. Vbi dicit. *Virtus est, quæ bonum facit habentem. & opus eius bonum reddit,* quando dicit, *facit bonum habentem, & opus eius reddit bonum,* intelligit in suo genere. Sed talis est fides absq; charitate. Ergo de se absq; charitate, est propriè virtus: nam licet fides informis, non faciat habentem illam simpliciter bonum, facit tamen in suo genere, id est, in genere cognitionis di-

Optimus actus fidei

Fides absolutè est virtus.

Definitio virtutis.

onis diuinorum, quia facit fidelem, hoc est credentem diuinis sermonibus, & omnes hæreses refutantem. Porrò fides formata, est vera virtus, habens perfectum statum virtutis: facit enim bonum habentem per inclinationem ad rectè, & laudabiliter operandum; est enim dispositio perfecti, ad optimum actum posibilem viatori; actus enim fidei formatæ, est elicitus ab intellectu perfecto fide, & imperatus à voluntate perfecta charitate. Item est laudabilis, & circa difficile, & productus promptè, facilè, & delectabiliter, & firmiter fertur in verum inuisibile, & propter vltimum finem supernaturalem.

Fides formata est perfecta virtus.

Nota 3. Virtus iuxta Aristotelem, *est dispositio perfecti ad optimum*, cuius definitionis, sensus est, quòd virtus sit habitus disponens potentiam, ad optimum actum eliciendum, non absolutè optimum posibilem viatori. Sic charitas nostra virtus est, quia disponit ad optimam Dei dilectionem, melior enim est dilectio comprehensoris. Atq; inter omnes actus fidei ille est optimus, quo tendimus in Deum, per fidem & dilectionem simul.

Alia definitio virtutis.

Dico 1. Diuisio fidei in fidem informem, & formatam, esse ab Apostolis traditam, & perpetuò retentam in Ecclesia. Conclusio hæc ex sacris literis patet, Matth. 7. *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam*. Potest igitur quis audire verba Christi, & eis credere, & tamē non esse in gratia, Et Ioannis 13. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea*. Ex quo constat posse aliquem habere fidem, & scire mandata, & tamen ea non facere. Et c. 12. testatur multos ex Iudæis credidisse in Christum, non tamen fuisse confessos propter metum. Et Apostolus 1. ad Corinth. 13. inquit. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Quibus verbis indicat posse haberi fidem, absq; charitate. Sicut potest haberi prophetia, & cognitio mysteriorum, & collatio Eleemosynarum, absque charitate. Et S. Iacobus *in sua Canonica Epistola c. 2.* affirmat, fidem quandoq; esse sine operibus, talem autem non posse saluare. Ergo diuisio fidei, in fidem informem, & formatam, est optima diuisio.

Definitio fidei in fidem informem, & formatam optima.

Dico 2. Definitio fidei tradita à S. Paulo conuenit fidei, prout abstrahit, à fide formata, & informi. Probatur 1. ex SS. Patribus exponentibus illud Psalmi 136. *Exinanite, exinanite vsq; ad fundamentum in ea.* vbi dicitur, quòd fundamentum sumitur ibi pro fide peccatorum. Ergo secundùm eos, fides informis est fundamétũ, quod manet destructo ædificio, vt super ipsũ possit iterũ reædificari, ita destructa charitate per peccatum mortale, manet fides tanquam fundamentum, vt mediantè eâ, possit iterum peccator charitatẽ adipisci. Secũdò quia fides informis, & formata, sunt idem habitus numero, vt patebit infra. Ergo habent eandem essentiam, & definitionem. Item omnes particulæ definitionis conueniunt etiam fidei informi. Ergo & definitio tota. Antecedens patet, quia hæ particulæ *substantia sperandarum rerum*, conueniunt ei, nam hæ particulæ significant fundamentum, & inchoationem vitæ æternæ. At fides absq; charitate, est inchoatio vitæ æternæ, & fundamentum spiritualis ædificii. Ergo fidei informi, conuenit definitio præfata. Minor habetur in Trident. *Sess. 6. c. 8.* vbi illa verba Apostoli. *Credimus iustificari hominem per fidem*, sic intelliguntur, quia fides est nostræ iustificationis, & salutis initium: Sed fides informis est talis. Ergo. Nam fides cum charitate, non est nostræ iustificationis initium, sed ipsa hominis iustificatio consũmata. Ergo fides informis est fundamentum, & initium nostræ iustificationis, & per consequens est substantia sperandarum rerum. Istæ etiam particulæ *argumentum non apparentium*, conueniunt fidei informi, quia ipsa efficit, vt firmiter assentiamur obiectis non apparentibus.

Cui conuenit definitio S. Pauli.

Fidei informi conuenit definitio.

PETES 2. *An charitas sit forma fidei?*

Nota 1. Forma, alia est Physica, alia moralis, hîc quæstio est de morali, & extrinseca, quæ non inhæret, sed dat rei speciem, & est principium operatiuum, vt finis operantis est forma cuiuscunq; actus moralis, quia dat illi speciem, præsens difficultas procedit de charitate, an sit finis propter quem credimus, & moueat nos ad credendum.

Forma moralis.

Nota 2. Sicut in naturalibus, id quod dat speciem, se habet vt forma, vt anima rationalis constituit hominem in specie huma-

na, & est eius forma, ita in moralibus, quod dat speciem actui humano, dicitur eius forma, ex quibus sequitur, finem actus humani vocari eius formam, siquidem ab eo sortitur speciem.

Charitas est forma fidei.

Dico 1. Charitas est forma fidei. Patet Iacobi 2. Vbi dicitur *fidem sine operibus esse mortuam, sicut corpus sine anima*, sed opera sunt viua per charitatem. Ergo charitas est anima fidei. Et ad Galat. 2. dicitur. *Fides per dilectionem operatur*. Ergo idem Sanctus August. de Cognit. veræ vitæ c. 17. dicit. *Fides spe nutritur, & charitate animatur*. Item charitas perficit fidem; Ergo habet se vt forma eius. Item fides moritur: Ergo perdit animam, non autem perdit, nisi charitatem. Ergo charitas est anima fidei, & sic eam perficit, & est eius forma.

Charitas qualis forma fidei.

Dico 2. Charitas est forma fidei extrinseca, sicut finis est forma actuum moralium. Prima pars patet. Charitas enim est in voluntate, vt in subiecto, fides autem in intellectu. Ergo charitas extrinsecè se habet ad fidem. 2. pars Probatur. Tùm quia finis credendi est dilectio Dei. Ergo charitas est forma fidei. Tùm quia *finis legis est dilectio*. Tùm quia ideo credimus, vt Deo placeamus; nam sine fide impossibile est placere Deo. Tùm quia charitas est principium operationum credendi; nam fides per charitatem valet ad beatitudinem consequendam, hoc est ad meritum, & per charitatis imperium, refertur ad vltimum finem. Ergo est forma fidei.

Multis modis charitas dicitur forma fidei.

Dico 3. Charitas dicitur forma fidei multis modis. Primò quia tribuit illi pulchritudinem, tribuendo meritum ei, & pulchritudo est à forma. 2. Quia tribuit illi robur, & firmitatem, contra tentationem. 3. Quia tribuit illi perfectionem, quæ ordinat illam in vitam æternam. 4. Quia tribuit illi operationem, & consequenter vitam; nam vita in motu, & actione consistit: illa enim quæ otiosa sunt, cùm possint operari mortua dicuntur. Sicut species quædam metalli appellatur argentum viuum, quasi continuè motum, & aquæ semper fluentes dicuntur viuæ, ita fides, quia cum charitate operatur meritoriè.

Fidei charitas est forma extrinseca.

Dico 4. Fides si sumatur pro habitu, extrinseca est illi charitas. Si verò sumatur pro actu, adhuc dupliciter potest sumi: primò se-

mò se-

mò secundùm esse naturale, & substantiale actus, & sic extrinseca est ipsi charitas, vel actus charitatis: quia actus fidei est subiectiuè in intellectu, à quo elicitur, & sicut idem actus exterior. V, G. deambulatio manens secundùm esse naturale, & substantiale, idem numero potest benè, vel malè operari à voluntate, quod imperium est illi intrinsecum, sic etiam idem actus fidei, idem numero manens secundùm substantiam, potest modò imperari à voluntate cū charitate, modò non cum charitate: quia actus credendi est liber, & voluntarius, atq; adeò pertinet ad voluntatem secundùm imperium, ideò actus charitatis, est quid extrinsecum illi: sicut & imperium voluntatis. Secundo modo potest sumi actus fidei, secundùm esse morale, quod esse habet, vt est coniunctus imperio charitatis, & tunc imperium charitatis, intrinsecum quid est, ipsi actui fidei, vnde variato imperio charitatis, variatur actus fidei, non secundùm substantiam, & naturam, sed vt imperatus est à voluntate: quia variato fine, per quem voluntas imperat, variatur obiectū voluntatis,& variato obiecto voluntatis,variatur eius actus, & consequenter variatur actus fidei,vt imperatus à voluntate. Hinc

Collige Eundem esse habitum specie, & numero, fidei informis, & sine charitate,qui est cum charitate, seu fidei formatæ: quia eadem ratio formalis asentiendi, est in vtraq; fide, nimirum authoritas fidei reuelantis. Tùm quia illa, quæ non pertinent ad essentiam rei, sed accidunt rei, non multiplicant ipsam, cùm possit eadem res variis accidentibus subesse; sed quod fides per charitatem sit formata, aut non sit, accidit ipsi, nec ad eius essentiam per se pertinet. Ergo eadem fides potest esse, tùm formata per charitatem, tum etiam informis. Idem est habitus fidei informis, & formatæ.

Dices 1. Fides est in intellectu. Ergo charitas, non est eius forma, quia ista est in voluntate. Respondeo quod concludat de forma propria & intrinseca, non autem de extrinseca.

Dices 2. Gratia est forma fidei, & omnium virtutum, etiam & charitatis. Ergo charitas non est forma fidei. Antecedens patet, quia per solam gratiam absq; charitate esset fides viua. Respondeo in via D. Subt. facilis est responsio, qui tenet *in 2. d. 27. q. vnica.* Gratia & charitas idem.

q. vnica, gratiam, & charitatem esse idem. Dices 3. Fides perfectior est charitate. Ergo ipsam perficit, & est forma eius, ad Rom. 4. dicitur. *Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam.* Et ad Ephes. 2. *Gratia saluati estis per fidem.* Respondeo, negando fidem esse perfectiorem charitate; nam fides ex natura sua ordinatur ad charitatem, tanquam ad finem. Præterea authoritates citatæ, intelliguntur de fide formata, quæ iustificat hominem.

Fides non est perfectior charitate.

QVÆRES TERTIO.

Vtrum sit certum in nobis esse fidem acquisitam de rebus reuelatis?

Nota 1. Fides alia est acquisita, quam per doctrinam assequimur, cùm edocemur articulos fidei, aut audientes verbum Dei, discimus, quæ nobis credenda proponuntur, iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Ergo fides ex auditu est, auditus autem per verbum Christi: & talis fides debet comprobari bonis operibus, iuxta illud ad Titum c. 2. *Qui dicunt se nosse Deum, factis autem negant.* Alia est fides infusa. quæ infunditur iis, qui baptisma suscipiunt per Spiritum Sanctum.

Fides alia acquisita, alia infusa.

Nota 2. Quòd fides acquisita, & infusa, iuxta Doctorem Subt. differunt quadrupliciter *Quodlib. 24. art. 1.* Primò quia fides acquisita, est habitus naturaliter acquisitus ex actibus credendi frequentatis: fides autem infusa, est habitus supernaturaliter infusus. Secundò differunt, quia fides acquisita immediatè inclinat ad actū credendi, coexigendo apprehensionem credibilis: nam credens docentem aliquod credibile, esse veracem, statim credibili reuelato assentit; sed fides infusa nunquam inclinat ad actum credendi immediatè, respectu cuiuscunq; credibilis sine habitu fidei acquisitæ: nam si puer baptisatus nutriatur inter infideles, & non informaretur de his, quæ sunt fidei, haberet quidem fidem infusam respectu huius V. G. credibilis. *Deus est Trinus, & Vnus.* Vel *Deus factus est homo*, & tamen non potest aliquem actum circa illud credibile elicere, secluso miraculo diuinæ reuelationis, & illuminationis, nisi in-

Fides acquisita & fides infusa differūt Primò

Secundò.

ſtruatur, & credat, per fidem acquiſitam, & per inſtructioné. Ter- *diffe- runt.*
tiò differunt, quia fides infuſa, eſt vnica circa omnes articulos cre-
dendos, non ſic fides acquiſita; quia licet fides infuſa, & acquiſita,
ſint de iiſdem articulis, & credibilibus, imò de quocunq; articulo
credibili, habetur fides acquiſita, de eodem habetur fides infuſa,
tamen non omniũ credibilium fides eſt acquiſita, ſicut eſt vna fides
infuſa, ſed tot ſunt fides acquiſitæ, quot credibilia.. Quartò diffe- *4. differunt.*
runt, quia fides infuſa corrumpitur per quemcunq; errorem, circa
quemcunq; articulum, fides autem acquiſita vnius articuli ſtat cum
errore reſpectu alterius articuli.

Dico Itaq;, certum eſt quòd in nobis eſt fides acquiſita re-
uelatorum credibilium. Patet ex Epiſt. S. Auguſt. contra Epiſto- *Eſt in nobis fides acquiſita.*
lam Mariodei. *Euangelio* inquit *non crederem, niſi Eccleſiæ me moneret auctoritas.* Ergo ſecundùm S. Auguſt. non eſſe credendum libris Sa-
cris, niſi quia Eccleſia docet credendum eſſe illis, & ita inquit S.
Auguſt. *Non credimus Euangelio Nazarenorum, ſed quatuor Euangeliis, quia hæc approbat Eccleſia, illud verò reprobat.* Ex quo dicto S. Auguſt. ſic
arguitur. Sicut hiſtoriis famoſis credimus fide acquiſita, aut audi-
endo eas ab hominibus fide dignis, propter authoritatem illorum.
Ita fide acquiſita credimus hiſtoriis Sacrorum librorum, narrante
Eccleſia, & eius prædicatoribus, propter authoritatem Eccleſiæ,
approbantis illos libros, & nobis proponentis; Ergo certũ eſt, quòd
in nobis eſt fides acquiſita de rebus reuelatis.

Confirmatur Si puer Iudæus non baptiſatus, educaretur ab
infantia inter Chriſtianos audiendo prædicatores, haberet fidem de
rebus, quas nos Chriſtiani credimus, & non haberet fidem infuſam,
quia non eſſet baptiſatus. Ergo talis crederet per fidem acquiſitam.
Sicut ergo fide acquiſita ex auditu aliorum, credo multa credibilia,
ſicut V. G, Neapolim eſse, quam non vidi, ex relatu fide dignorũ;
ſic & reuelatis in ſcriptura, per fidem acquiſitam, ex auditu, firmi-
ter adhæreo credendo Eccleſiæ approbanti veritatem authorum il- *Dupliciter aliquis poteſt aſſentire credibili.*
lorum. Pro pleniori intelligentia concluſionis.

Nota Quòd credibili reuelato, poteſt quis dupliciter aſſen-
tire. Vno modo quia credit reuelantem eſse veracem, & nolle men-
tiri. Alio

tiri. Alio modo propter authoritatem approbātis illud credibile fuisse reuelatum ab homine veraci, & nolente mentiri. Et sic assentimur articulis fidei propter reuelantem veracem, & propter Ecclesiam approbantem libros Sacros esse veraces. Ex his collige assensum fidei, esse assensum verum, firmum, sine formidine, sed non ex euidentia obiecti: per assensum enim fidei, eleuatur homo supra suam naturam, est enim actus supernaturalis, & sic non potest homo præstare talem assensum, cum solo libero arbitrio, & auxilio generali, quod inter naturalia computatur.

PETES *An ad credendum necessarium sit auxilium Dei speciale?*

Nota Malè quidam vt Sotus, & alii Doctorem Subt. referunt, tria ad fidem esse necessaria, ipsum docuisse. 1. quòd fides infusa semper sit donum Dei; 2. quòd necessarium fuit Deum reuelare mysteria fidei. 3. quòd ad credendum sufficit audire prædicationem cum generali concursu Dei, nec opus est fidei habitu infusæ, nec speciali auxilio Dei. Primum & secundū docet D. Subt. de tertio nec cogitauit, imò contrarium docet. *in 4. d. 23. q. vnica n.* 14. nam licet in citata Quæstione *n.* 8. videatur fidem infusam nō esse necessariam ad assensum, loquitur de necessitate absoluta, & simpliciter, & de fide humana atq; morali & non loquitur de facto, & de fide diuina, quæ est iustificationis initium: neq; absolutè negat auxilium speciale esse necessarium ad assensum, vt docet D. Subt. *Quodl.* 17. §. *Contra Conclusionem.*

Ad credendum requiritur auxilium Dei.

Respondeo Ad credendum sicut oportet, requiritur præcisè auxilium Dei speciale. Probatur Tùm ex SS. literis, ad Eph. 2. dicitur. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis donum enim Dei est.* & eodem capite *Charitas cum fide à Deo Patre &c.* Tum ex Conc. Trident. *Sess. 6. Can.* 3. vbi ita hæc veritas definita est. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atq; eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Circa particulam *sicut oportet*, notandū est, non esse negandum, quin fide alterius generis s. acquisita, possit aliquis veritatibus reuelatis assentiri, sine supernaturali, seu speciali auxilio, solùm ergo definiuit Concilium, requiri huiusmodi

auxilium

auxilium ad credendum fide Theologica, quæ eſt noſtræ iuſtificationis initium, quam definit Apoſtolus *ad hebr.* 11. Tum quia Sancti PP. docent S. Ambr. *l.* 1. *de Pœnit. c.* 10. inquit. *Fides Dei donum eſt, ſicut habes ſcriptum.* S. Auguſt. Epiſt. 105. ait. *Fides inquit ad Christum nos trahit, quæ niſi de ſuper gratuito munere nobis daretur, non ipſe diceret. Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me traxerit eum.* Ioan. 6. Tum quia omnes Theologi id docent *in* 3. *d.* 23. Vide Aretinum *in* 23. *d. q. vnica art.* 10. Tum quia rationibus confirmari poteſt. Non enim oramus Deum pro illis rebus obtinendis, quæ auxilio generali: fiunt, ſed pro illis ad quæ requiritur auxilium ſpeciale. Et oramus pro fide obtinenda, orabant enim Apoſtoli. *Domine adauge nobis fidem.* Et Eccleſia orat. *Da nobis Domine fidei, ſpei, & charitatis augmentum.* Ergo ad fidem requiritur ſpeciale Dei auxilium: fides enim noſtra eſt ſupra naturam, atq; adeò requiritur auxiliũ ſpeciale, quo noſter intellectus eleuetur ſupra ſe. Nõ enim poſſumus credere, ſolo auxilio generali, articulis Fidei, vt oportet, non enim firmiter poſſumus credere etiam propter Diuinam authoritatem, ſine lumine ſupernaturali. Vide Aretinum *loco citato.*

Speciale auxilium requiritur

QVÆRES QVARTO.

An Chriſtianus poſsit habere ex actibus credendi notitiam experimentalem, de habitu fidei infuſo?

Nota 1. Quòd potentia habituata, & agens, vel ſecundùm ſolam inclinationem actus, vel etiam ponendo habitum concurrere partialiter ad actum iuxta D. Subt. *in* 1. *d.* 17. *& in* 3. *d.* 27. ſemper potentia eſt principale agens, ita vt ipſa non agente, vel actum non eliciente, nullus habitus, quantumcunq; perfectus, poſſet elicere actum, ſed potentia agens poteſt vti habitu ad agendum, vt ſequendo præciſè eius inclinationem, id eſt eliciendo actum ad quem talis habitus inclinat, vel etiam vltra inclinationem vtendo illo habitu, vt cauſa partiali reſpectu actus.

Potentia eſt principale agens

Actus eſt licitus. iuxta fidẽ infuſam.

Nota 2. D. Subt. *Quodl.* 14. *a.* 1. dicit, quòd intellectus habens tantùm habitum infuſum, non eliceret communiter actum credendi, ſecundùm inclinationem illius, quia nunquam aſſentiret huic

rer huic complexo, Deus est trinus, & vnus, quia fides infusa non inclinat ad illa complexa, quæ habent euidentiam ex terminis, pro quanto s. assentio illi complexo affirmato ab aliquo cui indubitanter credo; pro quanto ego testis fide dignus asserit, istud complexum esse verum, pro tanto assentio illi complexo. Porrò habens fidem acquisitam & infusam, quando elicit actum fidei circa complexum verum, elicit secundùm inclinationem vtriusque; quando verò elicit secundùm fidem acquisitam, experitur se elicere secundùm illam, quia experitur se habere talem habitum fidei acquisitũ; quando verò elicit secundùm inclinationem fidei infusæ, nullo modo experitur se elicere secundùm inclinationem eius, sed tantũ credit in vniuersali, quòd habens fidem infusam, quando elicit actum credendi, quòd semper eliciat secundùm inclinationem eius.

Dico 1. Omnis qui credit, videt se credere, hoc enim experitur in se. Est Doctor. Subtilis locis citatis, estque communis DD. Patet ex S. August. *lib. 13. de Trinit. c. 1.* vbi ait, fidem porrò ipsam, quam videt quisquam in corde suo esse, si credit, vel non esse, si nõ credit.

Nulli est certum an habeat fidem infusam.

Dico 2. Nemini potest esse certum per fidem, quòd habeat fidem infusam, & sic nemini est euidens, vtrum credat fide diuina. Est D. Subt. *in 3. dist.* 23. Gabrielis *ibidem q. 2. a. 2.* Soti in Apologia contra Catharinum. Valentiæ. Vegæ. Aretini loco citato a. 12. Probatur 1. Nemo potest scire se habere gratiam Dei. Ergo neque infusam fidem. Antecedens patet ex cap. 9. Ecclesiastis *Nescit homo an odio, vel amore Dei dignus sit.* Definitum est in Tridentino Sess. 6. c. 9. contra Lutherum, & alios hæreticos. *Quilibet de sua gratia formidare, & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* D. Subt. *in* 1. *d.* 17. *q.* 3. *n.* 25. docet fidei dogma esse, hominem sine speciali reuelatione diuina non posse certò scire se habere gratiã Dei, vel Deo gratum esse, maximè in ordine ad consequendam vitam æternam, cùm id ex nullo actu quem experimur in nobis, nec ex substantia eius, nec ex intensione, delectatione, facilitate, nec ex morali bonitate, vel rectitudine eius, constet: per quædam tamen signa coniecturalia.

Nemo scit se esse in gratia Dei

iecturalia posse hominem scire se habere gratiam Dei, quod probat D. Subt. *in 3. d 27. q, vnica n.* 19. Consequentia à pari nota, eadem enim est ratio habitus fidei, & gratiæ. Probatur 2. Omnes actus fidei quos in nobis experimur, possunt esse ab intellectu nostro cùm habitibus acquisitis, & auxilio Dei speciali, cùm autem aliquis effectus, à qualibet duarum causarum ex æquo potest procedere neutra illarum ex eo potest conuinci. Substantiam quidem fateor nos certò cognoscere, & videre per sua accidentia: & Magistratum videre cùm intuemur eius fasces, id est eorum insignia; & si licet parua componere magnis, corpus, & Sanguinem Domini, verè dicit populus Christianus se videre, cùm videt species Sacramentales, quibus ex lege Dei inseparabiliter sunt coniuncta.

PETES *An fides, sit certior, quàm alii habitus intellectuales?*

Nota 1. Certitudo bifariam consideratur alicuius veritatis. Primò consideratur ex parte causæ mouentis intellectum ad assentiendum, quomodò illud est certiùs, quod causatur ab infallibiliori causa. Secundò ex parte subiecti assentientis, scilicet intellectus, sicut illud est certius, quod magis intellectus apprehendit, estq; sibi euidentius, & clarius, suæq; naturæ proportionatum. Vnde certitudo.

Nota 2. Subiectum fidei est duplex, scilicet quo, & quod, subiectum quo, est intellectus, subiectum quod; est fidelis, vel ipse credens: nam credens est suppositum, quo credit intellectus cũ habitu fidei. Vnde intellectus est subiectũ inhæsionis, fidelis verò subiectum denominationis. Subiectum quo & quod.

Dico 1. Habitus & actus fidei infusæ, quoad perfectionem essentialem, & quidditatiuam, sunt perfectiores, quàm sint habitus intellectuales acquisiti. Ita D. Subt. *in 3. d. 23. ad vltimum*. Probatur Ille habitus ad quem non potest homo naturaliter attingere, est perfectior illo, ad quem potest naturaliter attingere; Sed homo ex tota ordinatione virium naturalium, & earum actibus, & obiectorum, non potest generare in se fidem infusam. Ergo fides infusa est perfectior. Fides infusa perfectior acquisita.

Dico 2. Fides ex suo fundamento; id est, considerando certitudinem ex parte causæ, superat in certitudine, & veritate, humanas scien- Superat fides scientias.

nas ſcientias, & artes, atq; adeo omnes habitus naturales. Eſt Sancti Thom. 2. 2. q. 4. a. 8. D. Subt. *loco citato.* Probatur Fundamentum fidei, eſt reuelatio Dei, fundamentum ſcientiarum naturalium, eſt ipſa natura rerum, & operatio naturalis. Sed reuelatio Dei eſt certior, & verior, quàm operatio naturæ, iuxta illud Lucæ 12. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ergo ſi natura deficere poteſt, reuelatio Diuina non deficiet. Tùm quia lumen naturale eſt fallibile, lumen verò ſupernaturale non eſt fallibile.

Ex parte ſubiecti quis certior habitus.

Dico 3. Conſiderando certitudinem ex parte ſubiecti, certior eſt aſsenſus habituum intellectualium, quàm fidei, id eſt, ſubiectum quo fidei, minus certum eſt eorum, quæ fides credit, quàm illorum quæ ſcientia nouit. Probatur, quia intellectus noſter pleniùs apprehendit, veritates naturales, quàm veritates fidei, illæ enī ſunt ſibi euidentes, & iuxta eius capacitatem, iſtæ verò ſunt obſcuræ: & ſupra eius capacitatem.

Certior eſt aſsenſus fidei.

Dico 4. Aſsenſus fidei in intellectu credentis, certior eſt aſſenſu ſcientifico, ita vt credens certior ſit de eo quod credit, quàm de eo, quod ſcit, hoc eſt ſubiectum fidei quod, eſt magis certum eorum, quæ fides nouit, quàm eorum, quæ ſcientia. Ita S. Aug. *lib. 7. Confeſs. c.* 10. inquit, *Potiùs dubitarem me videre, quàm eorum quæ credo.*

Simpliciter certior fides habitu intellectuali.

Dico 5. Abſolutè loquendo certior eſt aſſenſus fidei, quàm aſſenſus cuiuſcunque habitus intellectualis, licet ſecundùm quid, id eſt ex parte ſubiecti, quo, ſcientia poſsit dici certior fide. Probatur, quia quod conuenit alicui ex parte cauſæ, abſolutè ei conuenit, quod verò conuenit ex parte ſubiecti, conuenit ei ſecundùm quid, vt riſibilitas conuenit homini, quia illi conuenit ex parte cauſæ. ſ. rationabilitatis, intelligere autem mediante ſenſu conuenit intellectui noſtro, ſecundùm quid ſ. pro hoc ſtatu, ita in propoſito.

Fides augetur intenſiuè & extenſiuè.

QVÆRES QVINTO.

An fides infuſa augeatur actibus ſuis?

Nota 1. Fidem augeri intelligitur, vel intenſiuè, vel extenſiuè, in-

uè; intensiuè augetur habitus in quo est latitudo perfectionis, quàm paulatim acquirit, siue hæc successiua acquisitio, fiat per additionẽ gradus ad gradum, iuxta D. Subt. *in* 1. *d.* 17. *q.* 3. siue iuxta Thomistarum placitum, per maiorem radicationem in subiecto. Extensiuè verò augetur ratione obiecti materialis, de intensiua maximè procedit difficultas.

Nota 2. Habitum fidei infusæ, nõ augeri per actus suos physicè, sed meritoriè, & dispositiuè; nam licet peccator non possit mereri de condigno tale augmentum, cùm tale augmentum exigat in merente charitatem, potest tamen de congruo. Fides augetur per actus meritoriè.

Dico 1. Habitus fidei infusæ, potest augeri secundùm maiorem intensionem factam in subiecto, per quoscunq; actus meritorios tam elicitos à fide, quàm etiam imperatos. Probatur fides à nobis augetur meritoriè, & effectiuè à Deo. Sed non solùm actus fidei elicitus, sed etiam imperatus potest esse meritorius, si fiat cum charitate. Ergo fides augetur per huiusmodi actus. Tùm quia charitas augetur per omnem actum meritorium. Ergo & fides. A Deo effectiuè.

Dico 2. Fides augetur per suos actus etiam informes. Probatur, quia fides non pendet à charitate, quantùm ad sui infusionem, & conseruationem. Ergo nec quantùm ad augmentum. Consequentia patet, quia habitus intensus, & remissus sunt idem numero. Tùm quia peccatores possunt habere actus intensissimos fidei. Ergo per illos augebitur eorum fides. Antecedens patet *ex cap.* 7. *Matth.* vbi legitur peccatores multa signa, & miracula fecisse, quæ sine magna fide fieri non poterant. Tùm quia eodem modo augetur fides formata, & informis, sunt enim in ratione fidei eiusdem rationis imò eadem fides numero. Augetur etiam per actus informes.

Dices Axioma est Theologorum, quod habitus infusi solũ augeantur meritoriè.

Respondeo Ita hoc axioma est intelligendum, vt illa exclusiua *solùm* tantùm excludat augmentum effectiuè, vt sit sensus, habitus infusi non augentur effectiuè à suis actibus, sed meritoriè, & dispositiuè. Axioma explicatur.

Dico 3. Habitus fidei infusæ, tam secundùm se; quàm vt est in sub-

Habitus in se augetur, & in subiecto.

in subiecto puta homine, & Angelo, potest augeri. Prima pars definita est in Tridentino *Sess. 6. c. 7.* vbi iustitiam quam docet consistere in fide, spe, & charitate, cap. 10. docet augeri. Secunda pars colligitur ex SS. literis, vbi dicitur fides parua, vel magna. *Matth.* 14. *Modicæ fidei, & Magna est fides tua.* Et patet ex experientia; nam fideles ex frequentia actuum fidei, redduntur promptiores ad credendum. Tùm quia habitus infusi recipiunt augmentum, & non extra subiectum. Ergo in subiecto, & non repugnat magis recipi in vno, quàm in altero.

Quomodò augetur fides.

Dico 4. Habitus fidei augetur secundùm excessum gradus vel secundùm totam latitudinem graduum. V. G. si quis habeat habitum fidei infusum vt sex, habitus præexistens potest augeri per talem actum secundùm duos gradus, in quibus superatur ab actu, aut potest augeri secundùm omnes gradus actus, atque ita habitus præexistens fiet intensus vt decem. 1. Pars probatur tales habitus infusi augentur à Deo, ad modum habituum acquisitorum. Sed habitus acquisiti solùm augentur secundùm excessum graduum actus. Ergo & infusi. 2. pars patet, habitus infusi augentur meritoriè vel dispositiuè per actus nostros. Sed in tota latitudine graduum actus est meritum, vel dispositio ad augmentum. Ergo augetur. secundùm illam.

Per actus habitus producuntur.

Dico 5. Per actus fidei infusæ producitur in intellectu habitus fidei acquisitus, & idem iudicandum est de spe, & charitate. Est D. Subt. *in 3. d. 23.* & *in Quodl.* 14. *a.* 3. estque multorum Theologorum, quos citat Aretinus *in 3. d. 23. a.* 14. *Concl. 6.* Probatur. In fidelibus Christianis est fides acquisita genita ex actibus. Sed illi actus procedunt à fide infusa. Ergo per actus fidei infusæ producitur habitus fidei acquisitæ. Maior patet, quia fidelis factus hæreticus circa vnum articulum, amittit fidem infusam, qui nihilominus credit alios articulos, quoniam hæreses, vt inquit D. Subt. *in 3. d. 23. q. vnica.* non sunt necessariò connexæ, neque in illo instant in quo amittitur fides infusa, generatur habitus acquisitus. Ergo priùs habebat fidem acquisitam. Minor patet, quia fides acquisita, & fides infusa, concurrunt simul ad eundem actum numero pro-

ro producendum: nam si illi actus per quos genita est fides acquisita, non processissent à fide infusa pari ratione, neq; alius actus ab ea procedet, atq; ita erit otiosa, quod non debet dici. Ergo potiùs dicendum est, quòd illi actus per quos fides acquisita est genita, sũt à fide infusa. Confirmatur Si quis per charitatem infusam exerceat se diu in actibus charitatis, diligendo Deum, & proximum, & deinde peccet mortaliter, & perdat habitum charitatis infusum, adhuc remanet promptus, & facilis in operibus charitatis, erga proximum, & non per charitatem infusam. Ergo per habitum charitatis acquisitum, quem acquisiuerat per actus charitatis infusæ. Aduerte tamen hic, quòd actus habitus infusi, non secundùm quod supernaturalis causat, & gignit habitum acquisitum, sed secundùm quod per illum facilitatur potentia. Nota.

QVÆRES SEXTO.

Vtrum fides sit vna, & quo pacto?

Nota 1. Vnitatem habitus esse duplicem: alteram intrinsecam, quam sumit habitus à sua differentia formali, ab eodem enim sumit habitus suam vnitatem, à quo sumit suam entitatem. At intrinsecè à sua differentia formali, habitus habet suam quidditatem, & entitatem. Ergo ab eadem differentia formali, habet intrinsecè vnitatem. A quo autem habitus extrinsecè, & effectiuè habeat suam vnitatem, dicendum est, quoad specificationem, habere illam ab obiecto, nam licet effectiuè producatur etiam ab intellectu, specificatur tamen habitus ab obiecto. Quare si obiectum habet vnitatem specificam, habitus est vnus vnitate specifica, si genericam, habitus similiter habet vnitatem genericam, obiectum enim virtualiter continet habitum, nam vna cum intellectu producit habitum. Sicut Geometria dicitur vnus habitus, ex vnitate lineæ, in qua linea omnia alia quæ deducũtur in sciẽtia illa, virtualiter mediatiùs, vel imediatiùs, continẽtur secundũ quòd se habẽt ad illã: nã supponẽdo quòd linea sit vna species specialissima, continet mediatè conclusiones Geometricas; & immediatè principia: sicut in scientia de homine, si de eo esset aliqua specialis scientia, homo immediatè cõ- Vnitas duplex.

tineret principia illius scientiæ, & mediatè conclusiones, vt si de homine habeatur scientia, quòd sit disciplinæ capax, homo immediatè continet hæc principia, Omne animal rationale est disciplinæ capax. Omnis homo est animal rationale. Ergo omnis homo est disciplinæ capax.

Propositiones duplices.

Nota 2. Quòd propositiones in scientia, sunt in duplici genere, Quædam sunt notæ ex terminis, vt omnes propositiones per se notæ: & quædam sunt notæ præcisè, propter propositiones per se notas; primæ dicuntur contineri in subiecto, non præcisè virtualiter, sed etiam essentialiter: nam subiectum continet formaliter & essentialiter definitionem, & virtualiter propriam passionem, atque adeò quia subiectum essentialiter continet definitionem, continet hanc propositionem immediatam. Omnis homo est animal rationale, & quia definitio est adæquata, & immediata causa propriæ passionis, de subiecto demonstrandæ, quæ in subiecto virtualiter continetur: ideò etiam continet hanc immediatam. Omne animal rationale est disciplinæ capax, atque ita subiectum vt comparatur ad definitionem, continet immediatè, formaliter & essentialiter hanc propositionem immediatam. Omnis homo est animal rationale, ratione alterius extremi nempe definitionis, quam formaliter continet, prout verò comparatur ad passionem, quam continet virtualiter immediatè, continet alteram propositionem immediatã. s. hanc. Omne animal rationale, est disciplinæ capax, & hoc virtuali cõtinẽtia ratione passionis. Dicitur ergo habitus scientificus, virtualiter contineri in obiecto, quia subiectum includit essentialiter causam præcisam, & immediatam passionis demonstrabilis, atque adeò virtualiter continet, licet remotè scientiam conclusionis demonstratæ, & omnium Conclusionum, quæ per eandem rationem formalem de subiecto demonstrantur. Et subdit D. Subtilis *in 3. dist. 25. q. 2. n. 2.* Quòd si alia explicita in scientia considerentur sub propriis rationibus in se, non autem vt continentur in aliquo vno primo subiecto, ferè tot sunt habitus, quot conclusiones distinctæ specie sunt demonstratæ. Quibus verbis innuit D. Subt. distinctionẽ Conclusionum, quæ in scientia demonstrantur, possunt: enim omnes Con-

omnes Cõclusiones, quæ demonstrantur in aliqua scientia dupliciter considerari. Vno modo secundùm earum proprias rationes; altero modo, quatenùs in subiecto, de quo demonstrantur, virtualiter cõtinentur: si priori modo considerentur, tot sunt habitus, seu scientiæ formales, quot sunt Conclusiones demonstratæ termino, vel terminis differentes. Si considerentur posteriori modo, sic omnium conclusionum, est vnus habitus, qui dicitur vnus ab vnitate obiecti, & ratione formali eius.

Dico 1. Habitus fidei infusæ, sumit suam vnitatem intrinsecam, à propria ratione formali. Ita D. *loco citato num. 3. in fine.* Habitus infusus à quo sumit vnitatem

Dico 2. Fides infusa non habet suam vnitatem à Deo, in ratione obiecti. Probatur, quia Deus non mouet in ratione obiecti ad cognitionem omnium credibilium, nec in Deo vt in obiecto, concipiuntur omnia credibilia, vt ex illo deduci posſint, quia licet Deus contineat virtualiter omnia credibilia necessaria, & Deus volens omnia credibilia contingentia: quia tamen Deus, non videtur à nobis intuitiuè, & in particulari, pro statu isto, qui est status fidei, ideò nec credibilia concipiuntur in Deo, vt in obiecto primo in particulari, licet contineat omnia, vt causa effectiua omnium; ideò oportet dicere, quòd habitus fidei habeat vnitatem, vel ab vnitate reuelantis credibilia, quia omnia respiciuntur à fide, vt reuelata à Deo, & reuelatio est ratio obiecti fidei sub qua, quæ est vna in omnibus, vel quòd habeat vnitatem in se formaliter ex seipsa, quamuis illam habeat effectiuè à Deo, & non habeat vnitatem ex aliquo vt obiecto, sicut habent scientiæ causatæ ab obiecto, in ratione obiecti.

Dico 3. Fides infusa sumit suam vnitatem extrinsecè à Deo efficiente, & producente illam: quia ab eodem habet vnitatem, à quo habet entitatem. Sed hanc habet à Deo, illam producente. Ergo & istam. Habet ergo fides infusa vnitatem à Deo efficiente, nõ autem à Deo dante ipsi euidentiam. Sed qualitercunque sit, fides est vna, Patet *ad Ephes.* 4. dicitur. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* non est autem vna vnitate obiecti materialis circa quod, quia obiecta materialia fidei sunt multa, sed dicitur vna vnitate obiecti, de quo, &

Fides qualiter sumit vnitatem à Deo.

Fides vna

quo, & propter vnam rationem formalem obiecti sub qua: omnia enim quæ creduntur de Deo sub hac ratione formali credũtur, quia sunt reuelata à Deo. Ita D. Subt. *in 3. d. 25. q. 2. n. 3.*

QVÆRES SEPTIMO.

An detur fides iustificans?

Lutheranorum errores de fide.

Nota Circa hanc fidem iustificantem, Lutherani tria docent. Primò solam fidem iustificare. 2. Hanc fidem iustificantem in eo consistere, vt certò credas peccata tua tibi remitti, propter merita Christi. 3. Eam distingui à fide historica, & miraculorum; Porrò Caluinistæ addunt de fide iustificante tres alios errores. I. fidem iustificantem donari solis prædestinatis. 2. Fidem hanc semel habitam amitti non posse. 3. Facere hominem certum ac securum de sua iustitia, perseuerantia, prædestinatione, & vita æterna: quæ omnia refutabuntur per 6. conclusiones.

Caluinistarum.

Fides sola non iustificat.

Dico 1. Sola fides non iustificat formaliter. Probatur, quia forma à qua homo dicitur iustus, non est fides, sed iustitia; secundùm Catholicos iustitia inhærens, secundùm aduersarios iustitia imputatiua. Deinde certum est, non solam fidem iustificare dispositiuè, sed etiam timorem, spem, & pœnitentiam, quia sicut de fide scriptum est ad Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem*, ita de aliis. Eccl. 28. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Et Prouerb. 28. *Qui sperat in Domino sanabitur.* & Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum, in remissionem peccatorum.* Quare licet verum sit solam fidem apprehendere iustitiam Christi, tamen falsum est, nos iustificari per solam iustitiam Christi, fide apprehensam, ac proinde falsum, solam fidem in hoc sensu iustificare.

Quæ opera excludit S. Paulus.

Dices 1. Ad Rom. 3. dicitur. *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Et ad Eph. 2. *Saluati estis per fidem sine operibus.* Ergo sola fide homines iustificantur, quia Apostolus opponit fidem operibus. Ergo etiam excludit actum timoris, & pœnitentiæ. Respondeo Quòd Apostolus excludat opera præcedentia fidem, non autem subsequentia, quia locis citatis vult ostendere, nec Iudæos

ex nuda

ex nuda operatione legis Mosaicæ, nec gentiles propter bona opera ante fidem susceptam facta, iustitiam à Deo consequi potuisse, aut consecutos esse, sed ex fide in Christum, fides enim est initium salutis, & iustificationis, nec datur ex præcedentibus operibus, sed est donum Dei.

Dices 2. Homines iustificantur gratis, ad Rom. 3. *Iustificati gratis, per gratiam ipsius*, ac proinde solâ fide. Respondeo Iustificatio dicitur gratuita, non quia fiat solâ fide, sed quia non meremur illam per vlla opera, siue fidei, siue fidem præcedentia. Vide Trident. *Sess. 6. c. 8.*

Iustificatio cur gratuita.

Dices 3. Scriptura solius fidei mentionem facit, quomodo ait de remissione peccatorum. Luc. 5. *Fides tua te saluam fecit.* Et Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Et Ioan. 3. *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Respondeo Etiam tribuit charitati soli, remissionem peccatorum. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm* Luc. 7. Loca itaq; citata loquuntur de fide, vt est initium, & radix iustificationis.

Dico 2. Fides iustificans, non consistit in eo, vt quis certò credat peccata omnia, sibi remissa esse, propter merita Christi Domini, vt volunt hæretici. Probatur, Tùm quia ipsi docent, nihil fide credendum esse, nisi quod habetur in Sacris literis. Sed non habetur hoc, quòd Lutheranis, & Caluinistis peccata sint remissa. Ergo id fide non est credendum. Tùm quia si certò credũt sibi peccata esse remissa, frustra orant, *Dimitte nobis debita nostra.* Tùm quia loca Scripturæ, quæ afferunt pro fide iustificante, vt est Matth. 9. *Videns Iesus fidem illorum dixit paralytico; Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Et ibidem *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Et Luc. 17. *Vade, quia fides tua te saluum fecit.* Hæc loca nullo modo possunt intelligi de fide, quâ quis credat peccata sibi esse remissa, sed de fide, quâ paralyticus, & alii ægroti credebant se à Christo Domino sanari, vt textus indicat. Neq; illud vrget ex Symbolo, *Credo remissionem peccatorum.* quia sensus est, credo, & confiteor in Ecclesia Catholica esse donũ remissionis peccatorũ, per Baptismũ & pœnitentiã, nõ autem sensus est horum verborũ, Credo mihi remissa esse peccata.

Fides non consistit in eo, vt quis credat pec cata sibi re missa.

Sensus credo remissionem peccatorum.

Triplex fides hæreticorum falsa.

Dico 3. Triplex fides quam hæretici ponunt, s. historica, miraculorum, & promissionum, figmentum, & somnium est. Probatur fides promissionum, quâ quis credat veras esse promissiones Dei, de gratuita peccatorum remissione per merita Christi, falsa est, vt dixi præcedenti conclusione, nullus enim potest certò scire sibi peccata esse remissa, nisi id specialiter alicui Deus reuelet. Deinde fides miraculorum etiam iustificat: nam fides illa, de qua habetur Marci 6: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*. fides est iustificans, & tamen est fides miraculorum, vt sequentia verba indicant. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, &c.* Falsum quoque est fidem historicam non iustificare; nam fides historica est Christum Dominum esse crucifixum, mortuum &c. nullus est qui dubitet, & tamē fides hæc est iustificās, ad Rom. 10. *Si in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Et 1. Corinth. 15. *Notum facio vobis Euangelium per quod saluamini, quoniam Christus mortuus est &c.*

Non soli prædestinati habent fidem.

Dico 4. Non solis prædestinatis datur fides. Est cōtra Caluinum. *l. 3. Instit. c. 22.* §. 10. Probatur, quia Iudas proditor *Ioan. 6.* credidit, & habuit fidē, Et Simō Magus Act. 5. *Cū verò credidissent Philippo Euangelizanti &c. tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset adhærebat Philippo.* Sed isti non erant prædestinati. Ergo.

Fides potest amitti

Dico 5. Fides potest amitti. Est contra Caluinum. *loco citata* §. 11. Probatur. 1. ad Timoth. 1. dicitur *Quidam circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus, & Alexander.* Et c. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris.* Ratio est, quia si fides amitti non posset, vnde tot hæretici sunt in mūdo? *Oportet hæreses esse*, inquit Apostolus 1. *ad Corinth.* 11. id est, spectata humana inconstantia, superbia, nouitate, & pronitate ad malum Deo permittente, ad suorum probationem, tempore enim hæresis, & Schismatis manifestatur, fides, pietas, & constantia fidelium. Ita S. Ambr. & S. Chrysost.

Fides non facit hominem certum de salute.

Dico 6. Fides non facit hominem certum, de sua iustitia, perseuerantia, & prædestinatione. Est contra Caluinum in Antidoto Concilii Trident. Sess. 6. cap. 10. 13. 14. Et ex ipsius fundamento,

mento, apertè sequitur; nam ipse docet fidem dari solis prædestinatis; 2. eam non amitti. 3. Qui fidem habet, certus est de sua iustitia: duo priora ipsius dicta, refutata; tertium non est verum, quia etsi is, qui fidem habet, certus esset de sua fide, non tamen certus esset de sua iustitia, si sola fides non iustificat: nec certus de perseuerantia, si fides amitti potest: nec certus de prædestinatione, si fides communis est reprobis, & prædestinatis.

ARTICVLVS II.

De Obiecto Fidei.

Nota 1. Fidem multipliciter sumi. 1. pro obiecto credibili, atque ita sumitur in Symbolo Athanasii. *Fides autem Catholica hæc est &c.* 2. pro actu credendi, & in hac significatione accipit fidem S. August. *l.* 4. QQ. Euang. cap. 39. *Fides est credere quod non vides.* 3. pro habitu inclinante ad assensum credibilium reuelatorum, & in prima significatione sumitur in proposito. Fides varie sumitur.

Nota 2. Duplex esse obiectum. Vnum incomplexum, cum res habet vnum conceptum, vt Deus, homo, lapis &c. Aliud est complexum, vt propositio, mentalis, vocalis, & scripta. V. G. Deus est trinus, & vnus. Deus factus est homo, &c. Obiectum complexum, & incomplexum.

QVÆRES PRIMO.

An Deus, & ea quæ reuelantur à Deo pertineant ad fidem, vt ad obiectum materiale fidei?

Nota 1. Quærere quid sit obiectum fidei, nihil aliud est, nisi quærere circa quod versetur fides; obiectum autem habituum duplex est, materiale & formale; hæc diuisio aliis verbis effertur: obiectum aliud est vt res, siue quod, alterum vt quo; vt res, est obiectum materiale, vt quo est obiectum formale. Obiectum fidei quid. Materiale, Formale.

Nota 2. Omnis intellectio fit virtute luminis, ad Eph. 5. *Omnia quæ aguntur lumine manifestantur*, Omne enim quod manifestatur lumen est quasi dicat: Omne quod intelligitur in virtute luminis intelligitur; duæ enim causæ ad intellectionem concurrunt: Omnis intellectio fit virtute luminis.

vna est

vna est causa efficiens intellectus s. pasibilis informatus specie intelligibili, hæc causa lumen est intellectionis: alia causa est obiectum, quia obiecto, & potentia, paritur notitia; obiectum verò est res, quæ intelligitur illustrata lumine intellectus agentis.

Obiectum fidei est Deus.

Dico 1. Habitus fidei obiectum materiale attributionis est Deus. Hæc Conclusio est communis Theologorum, S. Bonauenturæ *in 3. d. 24. a. 1. q. 1.* D. Subtilis *ibidem.* S. Thomæ *2. 2. q. 1. a. 1.* Probatur, Sacra Sciptura sæpè declarat præcipuum obiectum, & velut scopum fidei esse Deum. Marci 11. *Habete fidem Dei.* Et Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et ad Eph. 4. *vnus Dominus, vna fides.* vbi ex vnitate principali obiecti fidei, nempe Dei, vult intelligi vnam, & eandem, apud omnes oportere esse fidem. Deinde in Symbolo primus articulus est. *Credo in Deum Patrem &c.* quia Deus est primarium obiectum fidei, quo reliqua omnia credibilia referuntur. Et S. Aug. *l. 4. de Ciuit. c. 20. Fidei primum & maximum officium est, vt in verum credatur Deum.* Ratio est, Tùm quia illud est primarium, & attributionis obiectum habitus cognoscitiui, atq; adeò habitus fidei, ad cuius pleniorem cognitionem, referuntur omnia alia credibilia. Sed omnia quæ cognoscuntur, & creduntur per fidem spectant eò, vt pleniorem de ipso Deo cognitionem habeamus in hac vita. Ergo Deus est primarium materiale, & attributionis obiectum fidei. Tùm quia Deus est finis, ad quem habent attributionem omnia, quæ credimus ex fide; tale est obiectum materiale attributionis. Ergo &c.

Quæ pertinent ad obiectum materiale.

Dico 2. Ad habitum fidei Christianæ pertinent, tanquam obiecta materialia, quæ sunt reuelata à Deo in Scriptura: imò & illa quæ per traditionem tradita ad credendum. Prima pars patet, quia illa quæ sunt vniuersaliter proposita omnibus ad credendum, vt est incarnatio, virtus Sacramentorum, tota historia Sacra, leges, & præcepta Scripturæ, & quæcunq; alia, sunt obiecta materialia fidei. Ergo. Secunda pars probatur, quia extant quædam traditiones Apostolicæ, quæ expresè in Scriptura non habentur, parem tamen cum Scriptura authoritatem habent, quod definitum est in Trident. *Sess. 4.* Et habetur 2. Thes. 2. *Itaq; Fratres state, & tenete tradi-*

Scriptura.

Traditiones Apostolicæ.

ite traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Circa quod S. Chrysostomus inquit. *Hinc patet, quòd non omnia per Epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis; eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista.* Confirmatur, quia tria sunt principia fidei maximè necessaria. Primum est, quòd tota S. Scriptura, veteris ac noui testamenti simul sumpta, sit verbum Dei. Alterum quòd tota illa Scriptura, præsertim in iis, quæ ad fidem, & salutem necessaria sűt, manet nobis salua, & incorrupta. Tertium quòd habeamus verum ac legitimum sensum illius. Admissis his tribus principiis fidei, necessariò admittendæ sunt traditiones, per quas ista accepimus. Si non admittantur, vana est fides nostra. Præter hæc tria sunt & alia quæ etiam per traditionem habentur. Primum est, quòd fidei Symbolum sit Apostolicum. De quo S. Basil. l. de Spiritu S. c. 27. inquit. *Omitto cætera, ipsam fidei professionem, quâ credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, é quibus scripturis habemus?* quasi dicat, non habemus ex Scriptura, sed ex traditione. Secundum est, quòd infantes sint baptizandi. 3. quòd hæretici, qui in nomine SS. Trinitatis sunt baptizati, non sunt rebaptizandi. 4. Quòd in baptismo hæc verba adhibenda, Ego te baptizo, in nomine Patris &c. hæc nonnisi ex traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ probari possunt.

Quomodo credendum traditionibus.

Dico 3. Deus sub ratione Deitatis, est obiectum formale fidei, loquendo de ratione formali, vt quæ: formale verò obiectum quo, seu ratio formalis fidei sub qua, est prima, & summa veritas Dei reuelantis. Prima pars est D. Subt. *q. 3. Prologi.* & *in 3. d. 23.* estq; communis; & patet, nam roganti cur credis Deum esse vnum & Trinum, respondendum est, quia prima veritas, hoc reuelauit. Secunda pars probatur à D. Subtili. *in Quodl.* 14. *a.* 1. docens, Fideles assentire fide infusa credibilibus propter veracitatem Dei reuelantis; credimus enim Deo, quia est veritas prima.

Deus est obiectum formale sub ratione Deitatis.

QVÆRES SECVNDO.

vtrum de credibilibus possit quis habere scientiam, & fidem?

Videtur quòd sic. 1. Ioan. 20. dicitur. *Quia vidisti me Thoma credidisti.* Ergo Thomas habuit de Christo simul fidé, & notitiam intuitiuam.

intuitiuam. 2. Quia de eodem simul potest esse opinio, & scientia; potest enim aliquis cognoscere conclusionem aliquam per demonstrationem, & syllogismum dialecticum. Sed scientia & fides, minùs repugnare videntur, quàm scientia, & opinio. Ergo. 3. Apostolus 1. ad Corinth. 12. dicit, quòd alii datur scientia, alii fides, vbi nomine scientiæ intelligitur notitia.

Opinio S. Thomæ refertur.

Nota 1. Refert D. Subt. *in 3. d. 24. q. vnica.* Opinionem S. Thomæ asserentis, scientiam subalternatam posse esse simul cum fide de eodem obiecto, & in eodem subiecto. Primò quia Theologia, quæ est scientia subalternata Theologiæ beatorum, stat cum fide. Tùm quia scientia perspectiua, cum fide stare potest de eodem. Tùm quia ex authoritate *Aristot.* sufficit ad scientiam principia aliqualiter esse nota.

Acceptio scientiæ.

Nota 2. D. Subt. ponit *loco citato n. 13.* Varias acceptiones scientiæ; vno modo pro notitia aliqua cum adhæsione firma, & tali modo fides, est scientia. Alio modo, pro notitia certa, & euidenti de obiecto necessario, habita per causam necessariam, applicatam ad Conclusionem per discursum syllogisticum.

Non est scientia propriè dicta, & fides de eodem.

Dico 1. De credibilibus reuelatis impossibile est simul habere fidem, & scientiam propriè dictam. Est D. Subt, *loco citato* contra S. Thomam. *1. p. q. 1. a. 7.* Probatur 1. quia S. Thom. contrarium docet. *2. 2. q. 1. a. 5.* repugnare aliquid esse simul scitum, & creditum. Sed si Theologia in quantùm est subalternata scientiæ beatorum est vera scientia, sequitur, quòd idem ab eodem, est simul scitum, & creditum. Respondent Thomistæ, quod S. Thomas *in 2. Secundæ* loquatur de scientia subalternante, quæ stare non potest cum fide, at verò in prima parte loquitur de scientia subalternata, quæ stat cum fide. Contra Perspectiuus non dicitur verè sciens nisi sciat resoluere suas Conclusiones in propria principia, atque ita habet scientiam subalternantem, fusiùs respondet Aretinus ad solutiones Thomistarum *in 3. d. 24. q. vnica art. 4.* Probatur 2. Quia Theologia nostra non est subalternata Theologiæ beatorum, quia in nullo genere causæ ab ea dependet. Tum quia habens subalternatam, potest habere subalternantem. Sed Theologi viatores, non pos-

non possunt habere Theologiam beatorum. Ergo. Ad rationes relatas S. Thomae in Notando 1. patet, quid sit dicendum. Et Aristoteles citatus, si alibi loquitur, quòd sufficit ad scientiam, vt aliqualiter sint sibi principia nota, loquitur de scientia impropriè dicta; nam in multis locis exposcit in scientia euidentiam, & certitudinem, non quamcunque, sed eam quae ex euidentia rei nascitur, & dimanat. Ergo de eodem non potest haberi scientia euidens, & non euidens. Praeterea talis habitus esset mixtus, quia nec esset acquisitus nec infusus. Insuper iste actus esset, naturalis, & supernaturalis simul, quod est falsum.

Mens Aristotelis exponitur.

Dico 2. Potest haberi aliquis habitus, cum fide. Pro intelligentia. Nota ex D. Subt. *in 3. d. 24. q. vnica. n.* 14. Habitum esse triplicem qui potest stare cum fide. Vnus est quem habet aliquis de sensu literae. Alius versatur circa Scripturae expositionem, conclusionum ex ea deductionem, & argumentorum solutionem. Tertius est habitus, quem habuerunt, qui primò receperunt scientiam credibilium, vt Prophetae, & Apostoli. Qui omnes habitus non sunt scientia propriè, sed fides. Ita D. Subt. *loco citato, & num.* 16. *&* 17. Probatur Conclusio, Habentes tres praedictos habitus, non habuerunt certitudinem ex euidentia rei, de his quae sibi sunt reuelata, non tamen dubitare poterant de veritate reuelata. Quòd si petas, qualis est iste habitus cum non sit scientia; Dico Esse habitum naturalem Theologiae, qui magis accedit ad opinionem, quàm ad scientiam propriè dictam. Licet igitur Theologus habeat habitum, quo scit exponere Sacram Scripturam, argumentari, & Conclusiones deducere, &c. distinctum quidem, & alium à fide, tamen ille habitus non est scientia propriè dicta.

Potest stare aliquis habitus cum fide.

Ad primum in oppositum Respondeo ex S. Gregorio homil. in Paschate, quòd Thomas aliud vidit, aliud credidit, vidit hominem, & credidit Deum. Quòd si instes, Ioannes vidit Christum crucifigi, & tamen credidit Christum crucifixum. Ergo de eodem habuit fidem, & notitiam intuitiuã. Respondeo Si teneatur, quòd omnium articulorum sit vna fides, potest dici quod habuerit fidem de aliis articulis, atque ita credidisset eum crucifixum, si non vidisset, sed ex

Argumenta soluuntur.

sed ex quo vidit, non credidit pro tunc, nec vnquam postea recogitando illius crucifixionem, vt hominis, quam intuitiuè vidit.

Ad Secundum respondet Doct. Subtilis quòd opinio, & scientia sunt simpliciter incompossibiles in eodem; Si ergo aliquis habeat opinionem de aliquo, & superueniat demonstratio, corrumpitur opinio: & si ambæ sint causæ de eodem, medium dialecticum, & demonstratiuum: dialecticum nihil faciet, impeditum à medio demonstratiuo.

Ad tertium Respondeo Negando consequentiam, ad Antecedens dico, quòd S. Paulus loco citato sumit scientiam pro habitu expositiuo, & vt sic distincto à fide, non autē sumit scientiam, prout definitur 1. Poster: Inde.

Collige 1. Etsi fides infusa seu actus credendi, ex fide infusa, non innitatur rationibus topicis, rationes tamen topicas non excludit, quia faciunt veritatem probabilem & credibilem.

Collige 2. Doctrina Sacra continet plura argumenta, quæ ostendunt mysteria nostræ fidei esse euidenter credibilia, iuxta illud Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* ex quo tale eruitur argumentum. Illud est euidenter credibile, quod potest probari testimoniis fide dignis, & omni exceptione maioribus. at talis est nostra fides. Ergo illa est euidenter credibilis. Porrò testimonia causantia euidentiam articulorum fidei, sunt ea, quæ subtiliter explicantur à D. Subt. *in Prologo q. 2.*

Multa argumenta probant fidem Catholicam.

QVÆRES TERTIO.

Vtrum fidei possit subesse falsum?

Videtur quod sic, quia omne contingens, potest esse falsum: Sed fidei subest aliquid contingens; patet de Incarnatione, & Passione Christi: igitur. 2. Omne quod subest spei, subest etiam fidei: Sed Spei potest subesse falsum, vt patet cùm aliquis præscitus in gratia existens, sperat se habere vitam æternam: igitur. 3. Actus adorationis, est actus fidei. Sed tali actui quandoq; subest falsum: sicut quando quis adorat hostiam non consecratam pro consecrata. 4. Fides antiquorum fuit, quòd Christus esset nasciturus:

turus; & hæc fides durauit in multis vsq; ad prædicationem Euangelii. Sed Christo iam nato, antequam inciperet prædicare, falsum erat ipsum esse nasciturum.

Nota Ex S. Bonauentura *in 3. d. 24.* quòd sicut diuina præscientia certißimè cognoscit, non solùm ea quæ ventura sunt necessariò; sed etiam contingentia, ita vt circa ea falli non poßit: sic & fides, quæ cognitioni diuinæ præscientiæ innititur, certam credulitatem habet de futuris; ita vt licet illa quantum est de se, poßint nō euenire; fides tamen errare non potest. Hæc enim duo non poſsūt simul stare, quòd Deus præuiderit vnum, & quod eueniat oppositum. Licet ergo contingens creditum, poßit secundùm se non euenire; hæc tamen duo, non possunt simul stare, quòd non eueniat, & quòd sit creditum.

Dico itaq; Fidei religionis Christianæ, nequit subesse falsum. Est communis Theologorum, S. Thomæ *2. 2. q. 1. a. 3.* S. Bonauenturæ *loco citato a. 1. q. 1.* D. Subt. *q. vnica. d. 23.* Probatur, nihil pertinet ad aliquam potentiam, vel habitum, nisi sub ratione formali illius potentiæ, vel habitus. Sed obiectum formale fidei, est veritas prima. Ergo nihil pertinet ad habitum fidei religionis Christianæ, nisi sub ratione primæ veritatis; sicut nihil pertinet ad visum, nisi sub ratione luminis, vel coloris. Tunc vltra veritas prima, non potest esse ratio cognoscendi falsum. Ergo nullum falsum potest subesse fidei nostræ. Antecedens patet, quia obiectum alicuius potentiæ, vel habitus, solùm est principium cognoscendi illa, quæ cōtinentur sub veritate sua, sicut lumen solùm est principiū cognoscendi, vel videndi illa, in quibus virtus luminis potest recipi; Sed veritas prima non continet sub sua virtute aliquod falsum: sicut ens suæ prædicationis vniuersalitate, non continet sub se aliquod nō ens, & sicut bonum non continet sub se aliquod malum, ita veritas prima, vniuersalitate suæ virtutis, non continet sub se aliquod falsum. Ergo veritas prima, non potest inclinare directè ad aßensū alicuius falsi. Confirmatur 1. Fides aßentit primæ veritati propter se, & super omnia in credendo. Sed prima veritas non potest dictare, nisi verum. Ergo &c. Confirmatur 2. Quia fides infusa,

Fidei non potest subesse falsum.

est speciale instrumentum à Spiritu Sancto diffusum in cordibus hominum ad assentiendum inclinans, atq; ita si inclinaret ad falsum, Deus specialiter moueret ad assentiendum falso, quod est inconueniens.

Ad primum in oppositum, constat ex notabili. Ad secundũ dico quòd spei, secundùm quod est virtus non subest falsum. nullus enim sperat virtuosè se habiturum vitam æternam :nisi cũ præsuppositione finalis perseuerantiæ in gratia, quo supposito, infallibiliter consequetur vitam æternam. Ad Tertium dico, quòd adorationi factæ secundùm directionem fidei, nunquam subest falsũ: fides enim nihil dicit adorandum esse absolutè: nisi de quo habetur certa cognitio. Vnde fides adorantis non fertur ad hostiam absolutè, sed sub conditione : scilicet, si debitè facta sit consecratio, credendo corpus Christi ibi esse, quòd nunquam potest esse falsum. Ad Quartum dico, quòd hoc ad fidem credentis pertinebat pòst Christi natiuitatem, quòd crederet eum quandoq; nasci, sed determinatio temporis in qua decipiebatur, non erat ex fide, sed coniectura humana.

Spei non subest falsum.

PETES I. *Vtrum Deus possit fallere aliquem?*

Deus non potest fallere.

Dico I. Hæreticum est dicere, quod Deus de facto, vel in Sacris literis, vel in aliqua alia re, falsum protulerit. Probatur Ex Sacris literis. Exodi 34. dicitur. *Deus misericors, & clemens, multæ miserationis, & verax.* Et Numer 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur.* Et Ioan. 8. *Qui misit me, verax est.* Et ad Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quare & hæreticum est dicere quòd Deus per naturam assumptam, hoc est per humanitatem, aliquando sit mentitus, vt patet Ioan. 17. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et Apocal. 19. *Et qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax.*

Deus per alium non est mentitus.

Dico 2. Hæreticum est dicere, quòd Deus aliquando sit mẽtitus per aliquem alium à se. Probatur quia eandẽ vim habet, quòd aliquis mentiatur per se, vel imperet alii vt mentiatur; Tùm quia si Deus mentitus fuisset per Prophetas, & Apostolos, vel per aliquos alios homines, meritò dubitaremus de veritate Sacrarum literarũ, hoc autem salua fide fieri nequit. Ergo Vnde Prophetarum modus loquendi

loquendi est. *Hæc dicit Dominus &c.* Sicut Luc. 1. dicitur, *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius.*

Dico 3. Hæreticum est dicere, quòd Deus de potentia sua absoluta posit mentiri. Probatur si Deus de potentia sua absoluta, posset mentiri, non posemus absq; formidine penitus esse certi de veritate Scripturarum, & aliarum propositionum fidei. Sed sumus certi & absq; formidine teste S. Augustino 8. de Trinit. cap. 4. dicente, *Ea quæ sunt fidei, non sunt credenda cum formidine.* Ergo Deus de potentia sua absoluta non potest mentiri. Deus de potentia absoluta non potest mentiri.

Dices Isaias dixit Regi ægrotanti. 4. Reg. 20. *Cras morieris.* & tamen non fuit mortuus. Et Niniuitis Ionæ 3. *Adhuc Quadraginta dies Niniue subuertetur,* & tamen non fuit subuersa. Ergo &c.

Respondeo Quòd istæ prophetiæ fuerunt cominatoriæ, & non sunt impletæ, quia causæ earū sublatæ, s. infirmitas Ezechiæ, quæ erat causa mortis si non fuisset sublata. Similiter verum prophetauit Ionas Niniuitis, suppositis eorum peccatis, tamen per pœnitentiam deletis peccatis, non fuerunt subuersi. Ita S. Thom. 2. 2. q. 171. a. 6. Quòd si quis quærat, quare ergo Deus reuelauit Prophetis id, quod non erat futurum, cùm hoc videatur esse contra authoritatem, & veritatem Prophetiæ? Respondeo quod hoc Deus fecit in vtilitatem hominum, vt sequantur bonum, & detestentur malum, si enim boni scirent, bona eis promissa non posse mutari fierent segnes in virtute; si etiam mali scirent, mala quæ Deus minatus est, non esse ventura; vel desperarent, vel peiores fierent, ideò voluit Deus, vt ista penderent à suis causis, vt boni proficerent in virtute, & mali mutarent vitam per pœnitentiam. Vide Aretinum in 3. d. 24. a. 15. Cur prophetiæ aliquando non impletæ.

PETES 2. *An ratio inductiua ad ea, quæ sunt fidei credenda, diminuat meritum fidei?*

Respondeo Ratio humana non semper minuit meritum fidei. Pro intelligentia.

Nota Ex S. Thoma 2. 2. q. 2. a. 10. Actus fidei meritorius est, in quantùm subiacet voluntati; non solùm quantùm ad vsum, sed etiam quantum ad assensum. Ratio autem humana quæ inducitur ad

Quæ ratio excludit meritum fidei.

citur ad ea, quæ sunt fidei, quandoq; quidem se habere potest ad voluntatem credentis, sicut præcedens, puta cũ quis non habet promptam voluntatem credendi, nisi inducatur ratio humana, & talis diminuit meritum. Diminuit enim rationem fidei, quæ est non apparentium, & quæ veritati creditæ adhæret simpliciter propter authoritatem Diuinam. Quandoq; verò talis ratio se habet ad voluntatem credentis, vt consequens: puta cùm quis habet promptã voluntatem credendi, diligens veritatem creditam, & excogitans rationes fidei confirmatiuas, & talis ratio non excludit meritum fidei, sed est signum maioris meriti.

Dices S. Gregor. dicit. *Fides non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum.* Respondeo Quòd S. Gregor. loquatur in casu illo, quando homo non habet voluntatem credendi, nisi propter rationem inductam; quando autem habet voluntatem credendi ex sola authoritate Diuina, sic etiam demonstratiuam rationem quærit ad aliquod eorum, quæ sunt fidei, puta ad hoc, quod est Deum esse, non minuitur meritum fidei, licet enim per talem rationem fiat apparens id, quod proponitur, non autem propter illam apparentiam credit.

ARTICVLVS III.

De Subiecto Fidei.

Duplex est subiectum fidei

Nota Duplex est fidei subiectum quo, & quod: subiectum quo est intellectus, subiectum quod, est credens, in isto articulo inquiremus de subiecto quod, quia de subiecto quo, non est dubium, omnes enim Theologi affirmant, obiectum quo fidei, esse intellectum, quod constat ex Sacris literis ad Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse secula &c.* ad Colos. 2. *Instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii.* Isaiæ 33. *Et erit fides in temporibus suis, diuitiæ salutis, sapientia, & scientia.* Ratio est, quia actus credendi, est in intellectu. Ergo fides est in intellectu. Tùm quia fides datur ad perficiendam potentiam, vt captiuetur in obsequium Christi, & vt asentiat rebus fidei. Ergo debet poni in illa potentia ad quam pertinet captiuatio, & assensus: talis est intellectio. Ergo

Intellectus est subiectum quo fidei.

ctio. Ergo. Quando verò aliqui Sancti dicunt, quòd credere pertineat ad voluntatem, non intelligunt elicitiuè, nam sic fit ab intellectu, est tamen necessarius actus voluntatis, mouens intellectum vt assentiat, quia homo non potest credere nisi volens.

QVÆRES PRIMO.

Vtrum fides fuerit necessaria pro omni statu viatori?

Nota 1. Aliquid dicitur dupliciter necessarium; vel necessitate medii, quod ex lege ordinaria, est ita necessarium ad salutem, vt quicunq; etiam ob ignorantiam inuincibilem, vel quacunq; alia de causa, id non fuerit assecutus, is nequeat etiam consequi salutem. Vel necessitate præcepti, quod quidem necessarium est vbi facultas suppetit, & occasio, non tamen ita, vt ob ignorantiæ, vel ob defectum occasionis prætermissum, impediat salutis consecutionē. Et sunt quædam vtroq; modo necessaria, vt pœnitentia post peccatum & votum Baptismi, alia alterutro modo. Necessarium est duplex.

Nota 2. Quòd credere tribus modis contingit, potest enim quis credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, vt docet *S. Aug. Ser. 181. de tempore.* Actus enim cuiusq; potentiæ, vel habitus, distinguuntur per distinctionem obiecti eiusdem habitus, vel potētiæ, id est, actus considerantur per multiplicem considerationem obiecti; fidei autem obiectum tripliciter considerari potest, primo, & secundo modo, prout mouet intellectum, s. prout est obiectum formale, & materiale obiectum fidei, tertio ex parte voluntatis mouentis intellectum ad credendum. Actus autem fidei respicit suum obiectum secundùm hanc triplicem habitudinem: nā credere Deo respicit obiectum formale, id est Diuinam voluntatem reuelantē, est enim credere Deo tanquam veritati infallibili: credere Deum, respicit obiectum materiale, est enim credere omnia credibilia proposita de Deo; quia cùm dicimus credere Deum, significamus habitudinem actus fidei ad materiale obiectum suum præcipuum, quod est Deus, & illa quæ habent ordinem ad Deum. Credere autem in Deum, est per fidem, & dilectionem tendere in ipsum, tanquam in finem vltimum. Credere tribus modis contingit. Credere Deo. Credere Deum. Credere in Deum.

Fides pro omni statu necessaria fuit.

Dico 1. Fides infusa fuit pro omni statu necessaria, necessitate medii ad salutem. Probatur in nullo statu fuit anima Deo accepta, nisi fuisset ornata, & perfecta, per charitatem quoad volũtatem. Ergo neq; etiam fuit accepta, nisi perficeretur quoad intellectum per habitum fidei; quia charitas ponitur in voluntate, vt voluntas posśit amare Deum supernaturaliter. Ergo necesse fuit vt intellectus haberet habitũ supernaturalem, ad cognoscenda supernaturalia. Confirmatur quia licet non sit contradictio, quòd charitas sit sine fide, & fides sine charitate: nam in statu viæ peccatores Catholici habent fidem sine charitate, & beati in Patria, habent charitatem sine fide, tamen secundùm legem Dei ordinariam, quãdo Deus perficit animam, nunquam charitate perficit voluntatem, nisi fide perficiat intellectum. Ex vno igitur credito, quia credimus fidem infusam esse in nobis, quã aśsentimur simpliciter vero supernaturali, concludimus fidem fuisse in Patribus ante Christi Domini aduentum.

Adultis in omni statu fuit necesśaria fides.

Dico 2. In omni statu, & lege, tam ante peccatum, quàm post, fuit omnibus adultis necessarium necesśitate medii, & præcepti, ad salutem explicitè credere aliquid supernaturale. Ita D. Subt. *in 3. d. 25. q. 1. n. 1. & 2.* est communis DD. Dixi *adultis* quia duobus modis potest quis ad salutem peruenire, vel alieno merito, vt pueri, & amentes baptizati, quibus suffragatur Christi Domini meritum, cuius facti sunt participes in susceptione Sacramenti: nam proprium meritum habere non possunt, cùm careant vsu liberi arbitrii, qui ad meritum exigitur, vel proprio, adiuncto meritis Christi, vt qui sunt adulti; & sanæ mentis: at meritum consistit in actu virtutis. Ergo ad salutem adultorum, qui proprium meritum addere tenentur Christi merito, requiruntur actus, & habitus virtutum. At actus virtutum dependent ab actu fidei, quæ intentionem dirigit. Ergo in homine habente arbitrium, exigitur ad salutem actus fidei. At hic non potest esse, nisi aliquid explicitè, & determinatè cognoscatur, quod ad fidem pertineat, quod non potest esse tantùm naturale, sed necessariò debet esse supernaturale. Ergo.

Confir-

Confirmatur, quia in omni statu, fuit necessarius actus virtutum Cardinalium. Ergo & actus fidei.

Dico 3. Quilibet adultus pro quocunque statu tenetur credere explicitè illa, vel saltem aliqua, quæ per se pertinent ad fidem. Probatur, quia S. Paulus ad Hebr. 11. fidei necessitatem ostendit commemorandis iis per ordinem, qui olim iusti fuerunt per fidem. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, quæ argumentatio Apostoli infirma esset, nisi esset à Deo lata comunis lex, vt nemo, nisi per fidem consequi posset salutem. Adulti tenentur aliqua explicitè credere.

Collige 1. Quæ per accidens pertinent ad obiectum fidei, nullus tenetur explicitè credere, nisi quando constiterit illud contineri in doctrina fidei: quia præcepta de actibus virtutum, non dātur circa materiam per accidens virtutum.

Collige 2. Si credere in Deum significet actum fidei, relatū perfectè, & meritoriè in vltimum finem, constat neminem credere in Deum, nisi iustus sit, & præditus charitate: atque hoc modo intelligendi sunt SS. PP. si autem credere in Deum tantummodò, significet actum fidei relatum ad vltimum finem quocunque motu voluntatis, sic extra controuersiam est, peccatores etiā fideles absque charitate verè credere in Deum, nam hi quoque per spem verè tēdunt in Deum, vt in vltimum finem, adeoque se excitāt ad credendū propter illum, quem vtique sperant adepturos se gratiā Dei, & meritis aliquando propriis futuris, quamuis practicè quidem illum, iam non habeant pro vltimo fine, quem cæteris anteponant, iuxta hoc procedit, quòd S. Aug. *l. de fide, & opere c.* 14. *& vltimo*, concedit fideles omnes etiam pecccatores credere in Deum. Etiam peccatores credunt in Deum.

PETES 1. *Quænam tenentur, & in quouis statu tenebantur homines, credere, vt possent consequi salutem?*

Nota Quòd maiores Ecclesiæ, tenentur plura mysteria credere explicitè, id est in particulari, quàm minores, quia Ecclesia militans, disposita est ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis; in triumphanti autem Angeli Superiores plura sciunt mysteria, quàm inferiores, quia docent illos, vt inquit S. Dionysius *de Cœlesti Hierarch.* ita ergo Superiores Ecclesiæ militantis, plura mysteria credere te- Plura maiores tenētur credere.

re tenentur, quàm inferiores, quia debent illos docere.

Dico 1. In statu naturæ, & legis, maiores Ecclesiæ tenebantur credere explicitè mysterium Trinitatis; minores autem implicitè in fide maiorum: in statu autem gratiæ omnes tenentur illud credere explicitè. I. pars probatur, quoniam non potest mysterium incarnationis explicitè credi, nisi etiam credatur explicitè Trinitas, consistit enim illud in hoc, quòd Filius Dei Patris sumpserit naturam humanam, & per gratiam Spiritus Sancti mundum renouauerit, & ex Spiritu Sancto conceptus fuerit, &c. Sed in statu legis, & naturæ maiores tenebantur explicitè credere mysterium incarnationis, vt mox patebit. Ergo maiores in statu naturæ, & legis tenebantur explicitè credere mysterium Trinitatis. Secunda pars patet, quia sicut minores tenebantur credere implicitè mysterium incarnationis, ita etiam tenebantur credere mysterium Trinitatis implicitè. 3. Pars probatur Matth. *vltimo. Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ, Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ex quo arguitur omnes tenentur inuocare Trinitatem in Baptismo. Ergo & credere. Quomodò enim inuocabunt, in quē non crediderunt? propterea omnes tenentur amplecti, & explicitè credere suam doctrinam Christianam, Sed hæc præcipuè continetur in Articulis illis, qui publico ritu in Ecclesia celebrantur. Ergo omnes tenentur articulos illos explicitè credere. Maior patet *Matth. vltimo, Docete omnes gentes &c.* Et Marci vltimò *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, &c.* Sicut igitur prædicatio de SS. Trinitate necessaria est explicita, ita & fides. Hæc autem fides explicita mysterii Trinitatis, post sufficientem Euangelii prædicationem, & diuulgationem, fuit omnibus necessaria ad salutem, necessitate medii, præcedentibus autem temporibus sufficiebat implicita. Inde.

In statu naturæ & legis.

In statu gratiæ quomodo fides necessaria.

Collige 1. Singulis fidelibus necessarium est credere mysterium Trinitatis, sicut & alios articulos, spectantes ad Diuinitatem, de necessitate medii, & præcepti, ita nimirum, vt substantia eius intelligatur, quæ nimirum consistat in vnitate eiusdem diuinitatis, & essentiæ, & distinctione Personarum, quarum vna non est alia. Neq;

alia. Neq; tamen necessarium est hoc, distinctè intelligere, sed sufficit aliquem confusum saltem conceptum formare de vnitate essentiæ, & Trinitate Personarum, & remittere se ad Ecclesiam. Ita D. Subt. in 3. d. 25. q. 1. n. 6. Vbi dicit rudem aliquem, qui non possit concipere, quid sit natura, & quid persona, non obligari, vt habeat actum explicitum de hoc mysterio distinctè, sicut habent clerici literati: Non enim negat D. Subt. debere talem habere actum vllum explicitum, sed actum explicitè distinctum, sicut docti habent. Vnde infra dicit num. 7. teneri simplices ad explicitè credendum ea, quæ tanquam certa, & indubitata communiter prædicantur, & proponuntur vbiq; omnibus in Ecclesia, qualia sunt illa quæ continentur in Symbolo Apostolico.

Rudes quomodo debent credere.

Dico 2. In quocunq; statu oportebat credere mysterium incarnationis Christi, & semper fuit creditum; licet non sub eadem mensura; neq; tam explicitè in vno tempore, quàm in alio, neq; ab vnis personis, quàm ab aliis. Probatur 1. pars. quia mysterium incarnationis pro omni statu, est per se obiectum fidei. Ergo mysterium incarnationis pro quocunq; statu fuit credendum. Antecedens patet. Illud est obiectum per se fidei, quod est via ad beatitudinem consequendam. Sed via ad beatitudinem consequendam est incarnatio Christi. Ergo incarnatio Christi est per se obiectum fidei. Minor constat ex Act. 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat &c.* terminus enim nomen, significat meritum Christi Domini. Secunda pars patet, quia omnia Sacrificia veteris, aliaque ante legem, in statu naturæ præfigurabant aduentum Christi Domini, atq; ita in illis implicitè credebatur mysterium incarnationis. 3. Pars constat, quia quantò homines fuerunt tempore remotiores à Christo, tantò in eis fides mediatoris fuit inuolutior, atq; inexplicatior, quantò verò fuerunt ei propinquiores, tantò hæc fides fuit explicatior, & præsertim in maioribus, qui per Sacrificia intelligebant Christum, quod expresse docet S. August. *super Psalm.* 77. Quis enim dicat Isaiam mysterium incarnationis non intellexisse distinctè? cùm cap. 7. dicat. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Similiter de Passione eius loquitur manifestè, maximè capite 53.

In quouis statu credere oportuit incarnationem.

Item Dauid in tot Psalmis prædixit tot mysteria de Christo Domino.

Adam habuit fidem incarnationis.

Collige 1. Ante peccatum in statu innocentiæ, Adam habuit explicitam fidem incarnationis Christi, non vt erat remedium peccati futuri, cuius Adam non fuit conscius, sed prout Christus erat caput Ecclesiæ, in quo est gloria consummata.

Collige 2. Post peccatum ante legem gratiæ, non fuit omnibus necessarium credere explicitè incarnationis mysterium, sed in aliquibus, vel in aliquo, à lapsu primi hominis fuit semper explicita fides de vno Mediatore Dei, & hominum Christo IESV, Probat D. Subt. loco citato n. 7. Sicut creator est principium essendi, in natura cõdita, ita & redẽptor noster est principiũ reparationis in natura lapsa. Ergo nullus potest recreari sine recreatore, vel redemptore. Ergo fides fuit semper necessaria ad salutem Redemptoris; quam fidem nedum fideles ante aduentum Domini habuerunt, sed etiam Gentiles, vt S. Aug. *l.* 18. *de Ciuit. c.* 47. refert tempore Constantini Magni, inuentum fuisse sepulchrum quoddã, in quo iacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat. *Christus nascetur ex virgine, & ego Credo in eum, & tu ô Sol, temporibus Constantini, iterum me videbis.*

Nota.

Collige 3. Sine Fide Christi implicita, vel explicita, nemo vnquam iustificatus est. Ita S. Paul. ad Rom. 3. *Quem proposuit propitiatorem per fidem.* Vel implicitam, vel explicitam: quibus verbis indicat, nemini vnquam in toto mundo, & tempore remissa peccata, nisi per fidem explicitam, & hæc conclusio est de fide.

QVÆRES SECVNDO.

An omnes explicitè, & æqualiter credere teneantur?

Fides alia explicita alia implicita.

Nota 1. Fides alia est implicita, alia explicita. Explicita est cùm quis credit veritates fidei in particulari, & distinctè, in seipsis, & circa ipsas immediatè eliciendo assensum, non autem in communi aliquo principio. V. G. qui credit omnes Symboli articulos distinctè, vnumquemq; in se singillatim, & diuisim, is dicitur fidẽ explicitam symboli habere. Implicita est cùm eædem veritates creduntur

duntur, non in seipsis immediatè, & distinctè, sed in aliquo vniuersali Principio, vt quicunque credit se credere quæcunque credit Sancta Ecclesia, is implicitè credit articulos Symboli.

Nota 2. In Ecclesia Dei, diuersi sunt Ecclesiæ gradus, quidam sunt maiores, vt Prælati Ecclesiæ, vt erant Apostoli, & discipuli Domini, Episcopi, Parochi, qui dispensant verbum Dei: quidam sunt minores, qui neque dispensandi verbum Dei, neque animarũ regendarum curam habent. Diuersi ordines in Ecclesia.

Dico 1. Maiores Ecclesiæ tenentur explicitè credere articulos fidei, & non solùm illos omnes particulariter cognoscendo, & ordine quodam distinguendo, verum etiam omnes illorum difficultates, & Subtilitates percipiendo, ita vt sciant illorum rationes explicare, fidelibus persuadere, & eosdem ab hæreticorum calumniis defendere breuiter ex officio tenentur, explicitè contenta omnia in tribus Symbolis credere, & nedum explicitè, sed etiam distinctè. Est S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 7. D. Subtil. in 3. d. 25. q. vnica n. 6. Estque communis. Probatur, tenentur ex officio pascere gregem fide, & doctrinâ sanâ. Ergo &c. Antecedens patet. Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Et ad Eph. 4. *Alios dedit pastores, & Doctores.* Et 1. ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse Doctorem.* Et ad Tit. 1. *Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Quo loco S. Paulus duo Episcopi munera explicat. Primum exhortari in doctrina sana, & hoc competit in ordine ad fideles, quos docent: alterum est contradicentem arguere, & hoc competit Episcopis in ordine ad hæreticos, quos debent oppugnando redarguere, & ab eorum calumniis Catholicam fidem defendere, atque adeò, quando Episcopus ordinatur, quæritur ab eo, an sciat nouum, & vetus testamentum, & cùm respondet, Scio, dicitur illi, *Vade prædica populo tibi commisso.* Probatur ratione sumpta ex officio à Christo Domino Episcopis commendato, videlicet commissum sibi gregem pascere, illis verbis Ioan. 21. *Pasce oues meas*: Sed oues Christi pascuntur cælestis doctrinæ pabulo, & Sacramentorum administratione. Ergo &c. Confirmatur Quia Episcopi Apostolis successerunt. Maiores tenentur explicitè credere. Episcopi tenentur pascere.

Sed

Sed Apostolis iniunctum est, vt Euangelium prædicarent, & docerent omnes. Ergo & Episcopis. Hoc idem scire tenentur Parochi:

Collige Maiores in lege veteri plura explicitè tenebantur credere, quàm minores in eadem lege, non tamen plura quàm maiores legis gratiæ, & minores etiam legis gratiæ plura tenentur explicitè credere, quàm illi qui erant in lege veteri. Ita D. Subt. *loco citato n. 6. & 7.*

Minores quid scire debent

Dico 2. Minores id est simplices, non tenentur de necessitate omnia credibilia explicitè, & distinctè credere, sed in credendis fidei Maioribus cohærere debent: non tamen sufficit ad salutem generatim, & implicitè credere quidquid credit, & tenet S. Ecclesia, licet homo sit rudis, & imperitus. Ita communiter DD. Patet Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Nullus tamen tenetur ad habendam explicitam fidem omnium, quæ credenda sunt distinctè, sic enim necesse esset distinctè cognoscere omnes scripturas, traditiones, Concilia, &c. quod est difficile omnibus.

Christianus debet scire Symbola.

Dico 3. Omnis Christianus cuiuscunque status, & conditionis, tenetur explicitè credere præcipuos articulos diuinitatis, & humanitatis Christi, illos qui in Symbolo Apostolorum, & aliis duobus Symbolis continentur, id est Symbolum Concilii Nicœni, & Symbolum Athanasii. Probatur, quia ea omnia quæ principaliter credere debemus, sufficienter continentur in his Symbolis, tanquã in Principiis. Præterea omnes articuli fidei contenti in prædictis fidei Symbolis in Scripturis habentur. Confirmatur ex vsu vniuersalis Ecclesiæ, quæ catechumenos catechisat in fide, priusquam baptiset. Confirmatur 2. Quilibet tenetur credere explicitè, quod profitetur explicitè. Sed in baptismo quilibet profitetur explicitè articulos fidei. Ergo. &c.

Sacramenta credenda.

Dico 4. Omnes Christiani tenentur explicitè credere Sacramenta Septem, id est Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, &c.

PETES 1. *Vtrum fides antiquorum, & nostra, sit de eodem credebili?*

Dico 1. Si sumatur fides pro his, quæ creduntur, eadem fides se-

ides secundùm numerum fidelium, qui aduentum Christi præcesse- runt, & qui secuti sunt. Patet, quia eandem veritatem numero, quā illi implicitè, vel explicitè crediderunt, isti explicitè credunt: quia sicut ipsi credebant Incarnationem, Natiuitatem, Passionē & Mortem Christi, ita & nos, teste Sancto August. Super illud. 2. ad Corinth. 4. *Habentes Spiritum Fidei, &c. Tempora variata sunt, sed fides variata non est.* Fides nō- stra & antiquorum eadem.

Dico 2. Fides antiquorum, & nostra in lege gratiæ, fuit eadem respectu omnium necessariorum credibilium. Patet, quia vnitas Dei, & personarum Trinitas, sunt inuariabilia, quia necessaria, vniformiter enim semper fuit verum Deum esse vnum in essentia, & trinum in Personis, vt supra dictum est.

Dico 3. Omnia credibilia contingentia, seu extrinseca, omnibus Diuinis personis communia, vt creatio, remissio peccatorum, communia sunt in lege antiqua, & noua: fides verò acquisita antiquorum Patrum, qui præcesserunt aduentum Domini: & eorum qui nati sunt post aduentum Domini, non est eiusdem speciei. I. pars patet ex supra dictis. Secunda probatur, quia omnes habitus acquisiti habentes obiecta distincta specie, distinguuntur specie. Sed habitus fidei acquisitæ in his, qui Christi aduentum sunt secuti, habent alia obiecta distincta specie, ab illis quæ habuerunt antiqui Patres, qui Christi aduentum præcesserunt. Ergo erant specie distincti. Minor patet, quia antiqui credebant Christum venturum, & nos credimus ipsum venisse. Quomodo fides antiquorum & nostra diuersa.

Dico 4. Eadem fuit secundùm speciem fides infusa antiquorum Patrum, qui Christi aduentum præcesserunt, & nostra, qui eiusdem Christi aduentum secuti sumus. Hæc Conclusio vera est, tenendo quòd fides infusa inclinet in quodlibet credibile, quod indicat D. Subtil. *in 3. d. 25. q. 1. & in Quodlibet.* 14. non enim fides infusa variatur propter variationem obiectorum mediatorum, & minus principalium, neq; habitus inclinans mediatè ad aliquem actum, variatur ad variationem illorum actuum, atq; adeò concesso, quòd alii fuerint articuli particulares apud nos, & illos, non propter hoc mutatus est habitus fidei infusæ, cuius semper manet vnū obiectum Quomodo eadem.

obiectum immediatum, & principale, scilicet, Omne reuelatum à Deo, est verum si loquamur de obiecto complexo, mediante cuius actus, qui vnus est specie, apud illos, & nos, inclinat ad omnes actus credendi articulos speciales; Vel si loquamur de obiecto incomplexo, quod alii appellant obiectum de quo, siue materiale, & in illis, atque in nobis inclinat fides infusa ad credendum in eundem Deum, & sub eadem ratione credendi, nempe ex Deo reuelante. Ex vnitate ergo obiecti, immediatè sequitur vnitas specifica fidei nostræ, & antiquorum.

PETES 2. *Vtrum confessio fidei sit necessaria?*

Videtur quòd non, quia Apostolus 1. ad Corinth. 10. inquit; *Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.* Sed per confessionem fidei, quandoque infideles, ad perturbationem prouocantur. Ergo &c.

Quando fidei Confessio necessaria.

Dico Confessio fidei pro loco, & tempore necessaria est ad salutem. Patet ad Roman. 10. dicitur. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Pro intelligentia.

Nota 1. Ex Sancto Thoma 2. 2. q. 3. art. 2. Confessio tripliciter laudatur in Scripturis. Prima est confessio eorum, quæ sũt fidei relata, videlicet ad fidei finem. Secunda est confessio gratiarũ actionis, siue laudis, & ista est actus latriæ: ordinatur enim ad honorem Dei exteriùs exhibendum, quod est finis latriæ. Tertia est confessio peccatorum, & hæc est actus pœnitentiæ.

Confessio triplex.

Nota 2. Quòd confiteri fidem, non cadit nisi sub præcepto affirmatiuo, quod non obligat ad semper, sed pro loco, & tempore puta quando per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut vtilitas proximis impendenda: puta si quis interrogatus de fide taceret: & ex hoc crederent aliqui, quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii auerterentur à fide: tunc enim confessio fidei, est de necessitate salutis, finis enim fidei, sicut & aliarum virtutum habet referri ad finem charitatis, qui est amor Dei, & proximi.

Confiteri fidem an cadat sub præceptum.

Nota 3. Quòd licet in casu necessitatis teneatur quilibet fidem suam propalare, vel ad confirmationem aliorum fidelium, vel ad

vel ad confirmationem aliorum fidelium, vel ad reprimendam infidelium insultationem, aliis tamen temporibus instruere homines de fide non est necessarium, nisi illis, qui aliorum curam gerunt: neq; ille tenetur profiteri se esse Christianum, qui priuata authoritate interrogatur, cùm iniquè, & sine causa interrogatur.

Ad argumentum in oppositum Dico. Quòd si nulla videatur sequi vtilitas fidei, vel fidelium ex confessione fidei, & ex ea oriatur turbatio infidelium, tunc non est laudabile, fidem publicè confiteri. Vnde dicit Dominus *Matth.* 7. *Nolite Sanctum dare canibus &c.* Sed si vtilitas fidei speretur, aut necessitas adsit, tunc contempta turbatione infidelium, debet homo publicè fidem confiteri.

PETES 3. *An liceat negare fidem veram ad vitandam mortem?*

Respondeo non licere. Primò quia est cõtra confessionẽ fidei, quæ nos obligat, vt fidẽ Christi non negemus. Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me &c.* Vnde S. August. 36. in Ioan. dicit. *Quanta vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christũ.* Deinde est contra virtutem veritatis: nam veritas obligat nos, vt non mentiamur: mentiremur autem, si externa voce negaremus fidem veram, quam interno corde confitemur, & sic nullus potest se negare esse Catholicum, qui est Catholicus, quia hoc esset contra obligationem confessionis fidei, & contra obligationem veritatis. Porrò si quis negaret se esse Lutheranum, aut Caluinistam, si reuera talis esset; peccaret quidem contra veritatem, quia mentiretur, non tamen contra confessionem fidei, quia illa non obligat illum, ad confitendum falsam fidem, qualis est Lutherana, & Caluinistica. Hinc.

Non licet negare fidem.

Nota diligenter.

Collige 1. Non licere vti signis, vel factis, protestatiuis falsæ sectæ, etiamsi id non faciat animo negandæ fidei, sed celandæ religionis; hoc enim est intrinsecè malum. Vnde nullus Catholicus, debet dicere, se esse Turcam, aut Iudæum, cùm non sit. Neq; licet adorare idolum, cum Gentilibus, aut cum hæreticis publicè orare, vt infra dicetur.

Signis protestatiuis fidei non licet vti.

Collige 2. Si actiones & signa, sint ex sua natura indifferẽtia, non

Signis in differentibus an liceat vti.

tia, non est peccatum mortale contra fidem, illis vti citra scandalū, & absq; animo protestandæ falsæ religionis. Et sic excusantur milites asumentes insignia infidelium, vt infideles in bello occidant, vel ne ab ipsis capiantur; modò illa signa non sint, ex se falsæ sectæ protestatiua, cuiusmodi sunt vexilla, quæ Mahumeti, vel falsi alicuius Dei effigiem præferunt.

Cui tenetur respondere Personæ, Catholicus.

Collige 3. Si Catholicus interrogaretur à persona publica, an sit Catholicus, non potest tacere, aut ambiguè tergiuersari, sed tenetur apertè confiteri, quod res est, etiam cum periculo vitæ. Si autem interrogaretur à priuata persona, potest tacere, aut eludere, dicendo, quid ad te? quorsum me interrogas?

Tempore persecutionis licet fugere.

Collige 4. Tempore persecutionis, potest aliquis fugere, vel se occultare, ne cogatur respondere, de rebus fidei, vt sic periculum mortis euadat; præsertim si non sit pastor, cuius præsentia maximè necessaria est subditis, iuxta illud Matth. 10. *Cum autem persequentur vos, &c.* Ita communiter Doctores.

PETES 4. *An articuli fidei addisci, & memoria teneri debeant?*

Nota aliud esse præceptum credendi, & aliud addiscendi res fidei.

Nota. Aliud esse præceptum credendi, & sciendi explicitè res fidei; & aliud addiscendi singulos articulos fidei, in Symbolo comprehensos: illud enim est præceptum Diuinum ad salutem cuiusuis omninò necessarium, quod singulos obligat, statim atq; rationis vsum habere accipiunt: hoc autem est Ecclesiasticum, de hoc ergo in præsenti inquirimus, an & quomodò singuli fidelium teneantur articulos fidei addiscere, & memoria complecti.

Dico 1. Omnes Christiani vi præcepti Ecclesiastici, obligantur ad sciendum articulos fidei, non tamen tenentur addiscere, & in memoriam redigere, eo ordine, quo in Symbolo tradi solent: sed satis est, si de singulis articulis rogati, rectè respondeant, & eorum substantiam teneant, licet verba præcisa ignorent: non enim est idē articulos addiscere, vel memoria cōplecti, quod eosdem scire, multi enim sciunt, quæ ad suum munus, & officium spectant, qui tamen ea memoriter, narrare non possunt, qui tamen interrogati, probè norunt hoc esse faciendum, illud non, hoc credendum, illud verò minimè. Ita Medina de *recta in Deum fide. l. 4. c. 6.* Caietanus V. *ignoran-*

ignorantia: Ratio est, quia sicut scire leges, non est verba eorum tenere, sed vim ac potestatem. l. *Scire leges ff. de leg. Hinc.*

Collige 1. Excusari aliquando nonnullos à peccato, qui aliquos fidei articulos ignorant, vel ob defectum ingenii, eos capere non valentes, vel quia nunquam de huius præcepti obligatione audierunt, vel quia nullum præceptorem nacti sunt. Dicit tamen Bonacina. *d.* 3. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 14. Rudes non esse excusandos, si ea ignorauerint, quæ ad salutem necessaria sunt, necessitate medii, nullus enim saluari potest, sine eo, quod necessarium est ad salutem, necessitate medii, existimat tamen sufficere, vt isti rudes, semel assensum explicitè præbuerint articulis ad salutem necessariis, dum sibi proponebantur à Confessario; vel ab alio, nam dicuntur nosse articulos fidei, quantum fert ipsorum captus, illisq; assensum præbuisse. Rudes aliqu. excusantur.

Collige 2. Confessarius qui pœnitentem minus peritum circa fidei articulos reperit, debet illum reiicere, vel docere necessaria, antequam beneficium absolutionis impendat. Ita Bonac. *loco citato n* 16. Notent Confessarii circa rudes.

Dico 2. Quod de articulis fidei diximus; idem de aliis Christianæ doctrinæ, & fidei elementis dici debet; nempe satis esse ea, quæ in eis continentur, non autem præcepto vllo fideles compelli, vt iis verbis teneant, aut ordine, quo communiter tradi, & propo- ni solent; talia sunt præcepta Decalogi, præcepta Ecclesiæ, 7. Sacramenta: Orationem tamen Dominicam, & salutationem Angelicam, optimum est, vt eo ordine sciant fideles, quo proponuntur, nam licet iure naturali debeamus Deum orare, nō tamen tenemur, vt id concepta, & præscripta verborum formula faciamus: neq; hac de re extat præceptum Dei, neq; Ecclesiasticum. Et licet aliqui authores dicant, fideles cogi ad discenda præcepta Dei, Orationem Dominicam &c. indicant esse præceptum Ecclesiasticum, vt quiuis sciat quid credendū, quidue orandum sit à Deo, non tamen vt tali verborum formula, orent, credant, & sciant. Quòd si sit sermo de præcepto addiscendi, loquuntur de præcepto, cuius transgressio est peccatum veniale, non autem mortale. Ita Nauar. & alii. Alia mysteria doctrinæ Christianæ scire debent.

QVÆRES TERTIO.

Quænam subiecta sint capacia fidei.

Nota In hoc Quæsito non quærimus de fide, quæ significat fidelitatem, & veritatem in promissis seruandis, sed de fide, quæ est virtus supernaturalis, inclinans intellectum, ad credendas res à Deo reuelatas: & sic inquirendum est hîc primò, An in Christo fuerit fides. Deinde an in Angelis ante beatitudinem adeptam. 3. Vtrum in Beatis. 4. An in dæmonibus, & hominibus damnatis. 5. Vtrum in in peccatoribus fidelibus, maneat fides. 6. vtrum in hæreticis, hæc omnia resoluentur per Petita sequentia.

PETES 1. *Vtrum in Christo Domino fuerit fides?*

In Christo Domino non fuit fides.

Dico 1. Christus Dominus non habuit actum fidei. Probatur, quia actibus fidei assẽtimur rebus non visis, iuxta illud ad hebr. 11. *Fides est argumentum non apparentium*. Sed Christus Dominus videbat clarissimè omnia, quia ab instanti suæ conceptionis fuit beatus. Ergo actum fidei non habuit.

Dico 2. Christus Dominus non habuit habitum fidei. Patet quia habitus dantur propter actus. Sed in Christo Domino, non potuit esse actus. Ergo neq; habitus fidei: Deficiente enim obiecto formali alicuius habitus, deficit & ipse habitus. Sed obiectum formale fidei, includit obscuritatem, quia debet esse non visum: hæc autem ratio non poterat esse in Christo, qui habebat claram visionem. Ergo non poterat esse habitus in illo.

Obiicit Durandus *in 3. d. 23. & 24. q. 1.* Habitus fidei, non repugnat simul cum visione beatifica. Ergo non repugnat visio fidei. Antecedens patet, ex S. Paulo, qui in raptu vidit essentiam Dei, & tamen permansit in eo habitus fidei. Ergo simul potest esse visio beatifica, & habitus fidei.

Non potest esse de eodem visio, & fides.

Respondeo Nego Antecedens, quia implicat contradictionem, aliquod subiectum disponi sufficienter, & totaliter, atq; eodem modo in ordine ad idem obiectum, per aliquam formam, & quòd simul disponatur, vel totaliter, vel partialiter per aliam formam; præsertim oppositam in eodem genere dispositionis. Sed in beatitu-

Beatitudine intellectus creatus sufficienter, & totaliter disponitur per habitum luminis gloriæ, ad videndum Deum modo habituali; Ergo implicat vt idem intellectus vt sic, vt est obiectum beatificum per aliam formam, præsertim per habitum fidei, qui habet intrinsecam repugnantiam cum habitu luminis gloriæ, ideò S. Paulus licet in raptu videret Dei essentiam, tamen cum lumine gloriæ, quod habuit, fuit & habitus fidei, quia lumen illud non erat, cum intellectu eius per modum habitus permanentis, & perfecti. Hinc.

Collige Licet Christus Dominus non habuerit fidem, illi tamen fidei, meritum non defecit. Ratio est, quia ratio meriti consistit, quòd homo ex Dei obedientia assentiatur illis quæ non videt. Sed Christus Dominus habuit plenissimè obedientiam. ad Philip. 2. *Factus obediens vsq; ad mortem.* Vide Aretin. *in* 3. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 4.

PETES 2. *Vtrum fides fuerit in Angelis, ante beatitudinem adeptam?*

Dico 1. Si Angeli creati fuerunt in gratia, vt communis opinio tenet, habuerunt fidem Trinitatis, & aliorum mysteriorum fidei. Probatur 1. Ezech. 1. dicitur. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in delicijs Paradysi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Ex quo deducitur Angelos ante casum, habuisse omnes virtutes intellectuales. 2. Probatur rationibus, tùm quia Deus disponit omnia suauiter. Ergo mouet quamlibet rem in suum finem, secundùm eius naturam, & consequenter creaturam intellectualem, mouet in suum finem per actus intellectuales, circa illum finem, quales sunt cognitio, & amor, & si est supernaturalis finis, per cognitionem, & amorem supernaturalem, quales habentur per fidem, & charitatem, sola enim fide à maioribus, cognoscuntur certò supernaturalia. Tùm quia in habentibus gratiam nõdum consummatam, est quædam inchoatio beatitudinis speratæ, necdum adeptæ: hæc autem inchoatio fit in intellectu per fidem, & in voluntate per charitatẽ. Ergo si Angeli fuerunt in gratia cõditi, habuerũt propriè fidẽ: quia habuerũt cognitionẽ sui vltimi finis supernaturalis, quẽ appeterẽt, & ad quẽ suas actiones dirigerẽt.

Dico 2. In omnibus habentibus Dei cognitionem supernaturalem, nondum adepta beatitudine, est precisè, & proprijssimè fides.

In Angelis an fuerit fides.

Quando fuit fides, in Angelis

fides. Probatur, obiectum formale fidei, est veritas prima. Sed in omnibus habentibus cognitionem supernaturalem Dei, hæc est ratio assentiendi rebus propositis. Ergo in habentibus talem Dei cognitionem, qui nondum habent adeptam beatitudinem, est propriè fides, & per consequens in Angelis, dum erant in via ante consecutionem gloriæ bonorum, & damnationem malorum, erat propriè fides infusa. Porrò de Angelis beatis, an habeant fidem sequens petitum resoluet.

In beatis non est fides.

PETES 3. *Vtrum in Beatis sit habitus fidei infusæ?*

Respondeo negatiuè. Quia frustra conseruatur habitus, vbi possibilis non est actus, habitus enim conseruatur ob actum, cū autem actus fidei nequeat esse in Beatis, vt probatum est, sequitur habitum fidei requiri non posse in Beatis.

Dices In Beatis reperitur virtus, seu habitus spei, Ergo reperitur etiam habitus fidei.

In beatis non est spes.

Respondeo Negando in Beatis reperiri habitum spei, vt patet à simili ex dictis de fide, nam frustra conseruatur habitus, vbi est impossibilis actus; Sed in Beatis impossibilis est actus spei; nam per spem expectamus æternam beatitudinem: Beati autem non expectant gloriam, seu beatitudinem, sed illa ineffabiliter perfruuntur; Ergo in Beatis non conseruatur habitus spei. Idem cum proportione, dicendum est de habitu fidei. Ita S. Thom. 2. 2. q. 5. a. 2. & *Theologi communiter.*

PETES 4. *An in dæmonibus, & hominibus damnatis sit fides infusa?*

Qualis fides sit in dæmonibus.

Dico 1. Fides non est in dæmonibus per liberum voluntatis arbitrium in ordine ad bonum, sicut in Christianis viatoribus. Probatur, quia talis fides est laudabilis, & honestatem habens, & à dæmonibus aliena, propter eorum obstinatam malitiam voluntatis: nam dæmon nunquam bonum intuetur, neq; habet ordinem ad bonum, sed potiùs ad malum.

Dico 2. Fides est in dæmonibus de omnibus veritatibus, quas docet Ecclesia, & hoc ex conuictione intellectus. Probatur, quia dæmones vident multa, & manifesta signa ex quibus colligunt

fidem

fidem Ecclesiæ, & doctrinam esse à Deo profectam, & consequenter esse veram, & credendam, quamuis res ipsas creditas non videant. Ergo credunt habentq; fidem illorum. Ex quo sequitur, quòd fides dæmonum est coacta, conuincitur enim dæmon ad credendum euidentiâ signorum: vident enim veritates creditas, confirmari signis, quæ nisi à Deo fieri queunt, atq; ita renuente etiam voluntate, velint nolint, credere compelluntur. Iuxta illud Iacobi 2. *Dæmones credunt & contremiscunt.*

Fides dæmonum coacta.

Dico 3. Fides dæmonum, & damnatorum, non est fides infusa, neq; quoad actum, neq; quoad habitum. Quòd non sit quoad habitum probatur, quia damnati peccant contra fidem per actus infidelitatis; per quos fides amittitur. Ergo in damnatis non remanet habitus fidei. Quòd non sit quoad actum probatur, quia actus fidei est actus bonus, & supernaturalis, qui non potest elici absq; speciali Dei auxilio: dæmones autem & damnati carent Dei auxilio speciali. Confirmatur quia fides infusa datur homini, vt per eam cōsequatur beatitudinem: at cessante fine, cessant media. Ergo.

In dæmonibus & damnatis non est fides infusa.

Dices 1. Dæmones, & damnati habuerunt fidem infusam, cum erant in via. Ergo etiam postquam sunt damnati. Consequentia patet, quia quicunq; habitus etiam infusus, non corrumpitur, nisi ad corruptionem subiecti, vel per habitum contrarium. Sed dæmones, & damnati non sunt corrupti, nec habent habitum contrarium, quia credunt omnia, quæ nos credimus. Vt dictū est 2. Conclusione.

Respondeo Nego Consequentiam. Ad probationem eius dico, quòd fides non solùm amittatur per hæresim, sed etiam ratione status; quia peruentum est ad terminum: in termino autem repugnat habere fidem, vt patet in Beatis: in damnatis verò non potest haberi fides infusa, ad credendum, hæc enim inclinat ex affectu boni, non naturalis, sed gratuiti; dæmones autem nullum affectū bonum habent erga Deum, & supernaturalia. Tum etiam potest dici, quòd habitus infusus corrumpatur per non conseruationem à Deo, propter aliquod demeritum, & quia non decet tantùm donum, sicut est fides infusa, esse in damnatis, non conseruatur à Deo.

Fides amittitur ratione etiam status.

Dices 2. In damnatis potest esse spes; Ergo etiam potest esse fides. Respondeo negando in damnatis posse esse spem. Ratio est tùm quia spes supponit fidem : tum quia prouerbiorum 11. dicitur *Mortuo impio nulla erit vltra spes.*

In damnatis non est spes.

Hinc patet differentia inter damnatos in inferno existentes, & inter iustos in purgatorio commorantes, quod illi carent spe, & fide, hi verò fidem, & spem retinēt. Ratio est, tùm quia, quamuis nō mereantur, tamen sperant æternam beatitudinem, spes autem supponit fidem : tùm quia fides sola visione Dei in viris iustis euacuatur, iuxta illud. 1. *Corinth.* 13. *Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Vide Aretinum *in* 3. *d.* 23. *q. vnica. art.* 16. *sub tertia conclusione.*

PETES 5. *An in peccatoribus fidelibus, maneat fides infusa?*

Prima opinio seu error, est Hæreticorum asserentium, fidem amitti simul cum charitate, quem errorem refutaui in *primo articulo, quæsito* 7. *Concl.* 4.

Dico In Christiano peccatore, atq; Catholico, manere verā fidem sine charitate, ita vt licet quolibet peccato mortali charitas amittatur, fides autem non amittitur in hac vita, nisi per infidelitatem. Probatur, donum prophetiæ, miraculorum, & eiiciendi dæmonia, non possunt esse absq; donis fidei, & tamen illa habentes damnantur propter peccatum mortale, iuxta illud Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die, Domine nonne in Nomine tuo prophetauimus &c.* Definitum est in Concil. Trident. *Sess.* 6. *c.* 7. *& cap.* 15. Confirmatur, si sine charitate non maneret fides, sequeretur quemlibet peccatorem, esse infidelem, qui si est baptisatus, esset hæreticus, quod est absurdum. Sequela patet, quia talis solùm credit fide acquisita, & humano motiuo, nec credit sicut tenetur, quia hoc fieri nequit sine fide vera infusa.

In peccatore Christiano viatore manet fides sine charitate.

Dices 1. Cæteræ virtutes infusæ, & dona Spiritus Sancti, nō manent sine charitate. Ergo nec fides.

Respondeo Nego Antecedens, est enim probabilis opinio contraria.

Dices 2. Si fides infusa in peccatoribus fidelibus maneret, Deum

Deum non offenderent, quia crederent pœnas inferni, & gloriam cœlestem &c.

Respondeo Etiamsi prædicta credant, tamen peccant, & hoc prouenit ex quadruplici causa. 1. Ex nimia volũtatis libertate malè eligentis, posthabita enim Creatoris dilectione, plus æquo diligũt creaturas. 2. Quia nimiùm confidunt in misericordia Dei, quæ solet causare obliuionem iustitiæ. 3. Quia non considerant pœnas inferni æternas. 4. Quia nimia assuetudo peccandi, facit peccatores insensatos, ita vt non penetrent malitiam vitiorum, iuxta illud Sap. 5. *Nos insensati &c.* Cur peccatores fideles Deum offendunt

PETES 6. *Vtrum fides infusa sit in hæreticis?*

Respondeo Hæreticus negans vnum articulum, non habet fidem infusam aliorum, quibus assentitur. Ita S. Thom. 2. 2. q. 5. a. 3. D. Subtilis *in 3. d. 23. q. vnica. num.* 4. Probatur 1. Obiectum fidei formale, est prima veritas reuelans, prout proponit Ecclesia. Sed hæreticus nõ assentitur articulis, propter hoc obiectum formale, quia prima veritas reuelauit, prout proponit Ecclesia. Ergo nõ habet fidem infusam de illis. Probatur 2. Quia si hæreticus haberet fidem infusam, sequeretur illum esse fidelem, & infidelẽ simul: esset fidelis ab habitu fidei, à qua tales denominamur: infidelis autem, quia aliquid affirmat contra fidem: quia si dubius in fide, est infidelis *ex cap.* 1. *de hæreticis*. Ergo multò magis qui errat in fide. 3. Probatur Antequam fides infundatur alicui, si nolit credere vnum articulum, quamuis credat alios, non infunditur ei fides. Ergo nec conseruabitur post infusam, in dicto casu. 4. Hæresis contrariatur fidei. Ergo corrumpit fidem demeritoriè. Confirmatur 1. 1. *ad Timoth.* 1. monet Apostolus vt habeamus fidem, & bonam conscientiam, quam quidam inquit repellentes, naufragârunt à fide. Confirmatur 2. Ex Concilio Trident. *Sess. 6. c.* 15. vbi dicitur, per infidelitatem qualis est quælibet hæresis amitti fidem, si illa hæresis sit cum pertinacia. Hæretici non habent fidẽ infusam.

Dices 1. Cum Durando, Habitus Virtutis moralis. V. G. iustitiæ, compossibilis est, cum vno actu contrario. V. G. iniustitiæ. Ergo nec habitus fidei infusæ, corrumpitur per vnum actum infi-

delitatis. Respondeo Negatur consequentia, quia inter habitus infusos, & habitus acquisitos, hoc est discrimen, quia habitus acquisitus acquiritur per multos actus, & consequenter non tollitur vno, aut altero actu cõtrario; habitus autem infusus à Deo, & ideò non est opus multis actibus, vt fides infusa pereat.

Differẽtia inter habitus infusos & acquisitos.

Dices 2. Hæreticus ita firmiter assentitur articulis, quos nõ negat, sicut antea quàm non esset hæreticus. Ergo licet erret in aliquo, retinet eundem fidei habitum circa alios quos non negat, quia similes actus non procedunt, nisi à simili habitu.

Respondeo Quòd hæreticus non propter authoritatem Diuinam, sed propter suam credit.

Dices 3. Hæreticus assentitur articulis, quos non negat per fidem, & non per acquisitam. Ergo per infusam: quia assensus huius Deus est homo, non potest haberi per opinionem; quia nec de illo est demonstratio. Ergo habetur per fidem.

Respondeo Non omnes actus credendi in habente fidem infusam sunt à fide infusa; fideles enim sæpè credunt quia sic audierunt à viris doctis, & quia omnes ita dicunt qui actus non sunt à fide infusa, sed ex illis generatur acquisita. Cùm igitur in habente simul fidem infusam & acquisitam, ad eundem actum credendi simul concurrant infusa & acquisita, ex actibus fidei infusæ generatur habitus fidei acquisitæ, & sic hæreticus amissa fide infusa, cæteris articulis quos credit assentit. Quare si ponatur aliquis intellectus, qui nullum actum habuerit nisi à fide infusa, illis actibus generaret in se fidem acquisitam, quá mediante postquam incidit in hæresim assentiet ab ipso creditis.

QVÆRES QVARTO.

Quænam sit fides vera, in qua saluantur homines?

Error Pseudopoliticorum.

Nota 1. Multi Pseudopolitici putant Catholicos in fide Catholica, Lutheranos in Lutherana, Caluinistas in Caluinistica fide saluari posse. Fundamentum eorum est primò, omnes & singulos saluari posse modò credant in Christum, iuxta illud Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nam qui

tenet

tenet fundamentum fidei potest saluari. Sed Christus est fundamentum fidei, iuxta illud 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud, nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Ergo qui tenet hoc fundamentum, id est, qui credit in Christum saluari potest. Sed Catholici, Lutherani, Caluinistæ credunt in Christum. Ergo per fidem in Christum saluari possunt. Deinde qui credunt duodecim articulos fidei in Symbolo Apostolorum contentos, saluantur, iuxta S. August. Serm. 181. dicentẽ, *Apostoli certam regulam fidei tradiderunt, quam secundùm numerum Apostolorum duodecim sententijs comprehensam, Symbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & hæreticam conuincerent prauitatem.* Et Serm. 13. ait. *Symbolum est regula fidei breuis, & grandis. Breuis numero verborum: grandis pondere sententiarum.*

Nota 2. Hæretici sicut Scripturas, & earum verum intellectum sibi falsò arrogant, ita & fidei & Ecclesiæ veræ, falsò sibi vsurpant: sicut tempore Sancti Bernardi quidam se vocabant Apostolicos, & veræ fidei homines, ita hisce temporibus Lutherani & Caluinistæ & alii hæretici faciunt, appellantes se Euangelicos cum tamen Euangelio contradicant & Scripturam Sacram deprauent, vt ostendetur *sequenti disputatione*.

Dico 1. Falsum est quemlibet in sua fide saluari posse, sed solùm in vna nimirum fide Catholica. Probatur non enim sufficit ad salutem si confusè tantùm aliquis credat in Christũ, nam sequeretur omnes hæreticos saluari posse, vt Arianos, Donatistas, Pelagianos, & similes alios: omnes enim isti vt minimùm confusè credunt in Christum. Sed consequens est contra Euangelium, in quo zizania iubentur alligari in fasciculos ad comburẽdum Matth. 23. Hæretici autem sunt zizania. Ergo. Probatur 2. Si Lutherani in Lutherana, & Caluinistæ in Caluinistica, & Ariani in fide Ariana saluari posſent, eo quòd omnes saltem confusè credant in Christum; Vnde tot lites & controuersiæ inter ipsos excitantur? Aut cur Lutherani excludunt Catholicos & Caluinistas & Arianos, & hi vicissim illos? si enim quisq; per fidem in Christum saluari; potest cur tot persecutiones hæreticorũ in Catholicos, tot effusiones Sanguinis

In vna fide Catholica salus.

sicut modernis temporibus nulla pax, nulla tranquillitas. Neq; prosunt testimonia allata Sacræ Scripturæ pro pseudopoliticis in notabili primò: non enim intelliguntur de Christo inconfusò sed distinctè & in particulari, quoad præcipua Mysteria, quæ nobis reuelata sunt. V. G. Cùm Christus de seipso dixit. *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat*, locutus est speciatim de sua Diuinitate. Itaq; non sufficit si credas in Christũ cõfusè, sed necesse est, vt credas in Christũ quatenus est Vnigenitus Dei filius. Quãdo verò Apostolus dicit esse fũdamẽtũ fidei, loquitur de præcipuis mysteriis Christi distinctè cognoscẽdis, nẽpe de Diuinitate, de humanitate, de passione, de resurrectione &c. Secundũ fundamentũ omnes saluari posse qui credũt duodecim articulos in Symbolo Apostolorum comprehensos, hoc verum est cum his limitationibus. 1. Si explicitè credas 12. articulos, secundùm verum & legitimum sensum. 2. Si reliquos articulos qui non sunt in Symbolo vt minimùm credas implicitè, id est, si generatim credas, quod Ecclesia credit, & paratus sis in particulari credere, quidquid ab Ecclesia credendum proponitur. 3. Si nullũ habeas errorem veræ fidei contrarium. 4. Si serues mandata Dei. Atq; hinc sic arguo: Illi non possunt saluari in sua fide, qui neq; explicitè credunt 12. articulos Symboli, iuxta legitimum sensum, neque parati sunt alios credere, qui ab Ecclesia credendi proponuntur; neque deponunt errores veræ fidei contrarios; neq; seruant mandata Dei. Sed Lutherani, Caluinistæ, Ariani, sunt tales. Ergo in sua secta saluari non possunt. Minor probatur per singulas partes. 1. Non omnes articulos in Symbolo credunt, nam illum articulum, *Descendit ad inferos*, credere nolunt, vt non admittant plura esse loca, seu receptacula animarum post mortem nisi cœlum & infernum, quare Caluinus hunc articulum *Descendit ad inferos*, ita explicat, *descendit in sepulchrum*. Sed quàm impudenter, nemo est qui nõ aduertat, quia præcessit articulus fidei de sepultura, *Mortuus & Sepultus*, En Euangelicum, sicut se appellat Caluinus, quàm longè discessit ab Euangelio. Deinde non credunt hunc articulum, *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, vt sequenti Conclusione declarabitur. 2. Non sunt parati credere ali-

Rationes quòd hæretici non saluabuntur.

Non credunt Symbolum Apostolorum.

Caluinus falsò se appellat Euangelicum.

dere alios articulos, qui à Sancta Ecclesia Catholica ad credendum proponuntur, imò potiùs Ecclesiam veram calumniantur, quasi à fide vera defecerit, & adultera facta sit. quod est mendacium & calumnia, vt infra patebit. 3. Nolunt deserere errores veræ fidei contrarios, vt de Sacramentis, de Inuocatione Sanctorum, de quibus supra dictum est. Deniq; præcepta Decalogi non seruant. imò affirmant, seruari non posse, in quo partim suæ malitiæ prætextum quærunt, partim accusant Deum, quasi impossibile à nobis exigat.

Dico 2. Sola Fides Christiana Catholica, Romana, est vera; aliæ vt Lutherana, Caluinistica, Ariana sunt falsæ, erroneæ, & quæ non ad vitam æternam, sed ad damnationem æternam animas perducunt.

Sola fides Romana vera.

Quòd fides Christiana Catholica sit vera, Probatur 1. Cui conuenit definitio veræ fidei est fides vera. Sed fidei Catholicæ, Christianæ, Romanæ, conuenit definitio fidei veræ, vt constat ex articulo 1. huius Quæst. Quæsito. 2. Ergo est hæc sola vera. Probatur 2. Eædem sunt notæ veræ fidei, quæ veræ Ecclesiæ. Sed veræ Ecclesiæ sunt quatuor notæ, nimirum vt sit Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica. Ergo & fidei veræ sunt eædem notæ. Maior patet, quia quilibet admittet ibi esse veram fidē, vbi est vera Ecclesia, & è contra. Quòd autem veræ Ecclesiæ sint 4. notæ, patet ex Symbolo Nicœno, vbi dicitur, *Credo, Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Dicitur *vna Ecclesia.* Quòd debeat esse vna, definitum est in iure *cap. Firmiter. §. vna verò est, de Summa Trinitate, & fide Catholica.* Et in Canticis c. 6. dicitur, *Vna est columba mea, &c.* Hanc Vnitatē significauit inconsutilis illa Christi tunica, quàm qui Christum crucifixreunt milites, non scindendam, sed iuxta id, quod Propheta prædixerat, sortem super eam mittendam esse censuerunt. Et Apostolus ad Eph. 4. inquit. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Præterea multis de causis Ecclesia dicitur vna: Primò, Ecclesia est vna ratione principii vitalis, sicut membra hominis ab vno spiritu animantur, hâc ratione Ecclesia est vnum corpus, diuersitate membrorum compactum, iuxta illud 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem spiritum fidei.* 2. Ratione ordinis omnium membrorum ad vnum caput. 3. Ra-

Notæ veræ fidei, & Ecclesiæ.

Vna Ecclesia.

Cur dicitur vna.

put. 3. ratione connexionis omnium membrorum adinuicem, quoad mutuas, & in commune bonum, & in vnum finem conspirantes, licet in se diuersas operationes habeant. 4. ratione connexionis omnium in charitate. 5. Per connexionem membrorum externam, hoc est per externam Sacramentorum communionem, & vniuersum religionis vsum, in cultu & Sacramentis constitutum: iuxta illud Apost. 1. Corinth. 10. *Omnes vnum corpus sumus qui de vno pane participamus*. Sed hæc omnia prædicta, fidei Catholicæ conueniũt: Ergo fides Catholica est vna.

Cur Paulus repræhendit Petrum.

Dices 1. Fides Catholica ab initio admittebat concertationes, & dissidia, nam Petrum reprehendit Paulus *ad Galat*. 2. & à Paulo discessit Barnabas *Act*. 15. Ergo fides ab initio Ecclesiæ non fuit vna. Respondeo quòd illa reprehensio Petri erat fraterna, non contentiosa, qualis modò est hæreticarum sectarum, quæ inuicem scriptis se lacerant, calumniantur, & se mutuò condemnant. Et vt Tertulianus docet, non errorem, sed dissimulationem Petri arguebat Paulus. Discessio verò Barnabæ à Paulo, non fuit in materia doctrinæ.

Dices 2. Sancti PP. in rebus grauissimis, inter se dissentiebant. Deinde de doctrina fidei altercantur Thomistæ, & Scotistæ. Ergo non est vnitas fidei.

Qualis dissensio inter Patres & Scholasticos.

Respondeo Sanctos PP. de rebus nondum definitis contrarium sensisse, & definitionem Ecclesiæ expectâsse. Scholastici verò quando diuersas opiniones sequuntur, verum est in dogmatibus nondum definitis ab Ecclesia, & hoc licet sapere, quod tamen pertinaciter non defendunt, sed tantùm probabiliter asserunt, & hæc acris defensio non soluit vnitatem fidei, sed potiùs adiuuat, & Veritatem illustrat.

2. Nota Ecclesiæ, & fidei.

Secunda nota Ecclesiæ est, & consequenter fidei, vt sit *Sancta*, illa enim est Ecclesia, & consequenter fides vera quæ est Sancta. Sed talis est sola Ecclesia Catholica Romana, & consequenter fides. Porrò fides & Ecclesia, dicitur Sancta à meliore sui parte, quia plurimos in se habet iustos, & Sanctos, itaque per Synecdochen Ecclesia Sancta dicitur propter iustos. Quod indicat S. Chrysost. homil. 1.

Cur dicitur Sancta

mil. 1.

mil. 1. operis imperfecti in Matthæum, cùm ait. *Quomodo tunc in regno Iudæ quidam reges extiterunt peccatores, quidam autem mediocriter peccatores, in regno autem Israel nemo regum inuentus est iustus: sic in Ecclesia Catholica inueniuntur quidam Episcopi boni & peccatores, in hæresibus autem nemo inuenitur omninò rectus, sed omnes peruersi.* Quod quam verum dixerit S. Chrysost. Sectæ Caluinistarum, & Lutheranorum apertè demonstrant, nullum enim Sanctum ab exordio earum demonstrare possunt, qui vitæ sanctitate, & miraculis claruerit. At in fide Catholica, & Ecclesia, quot millia Sanctorum vitæ Sanctitate admirabili, & miraculis clara demonstrantur, & nostris temporibus sunt, & ad finem mundi erunt. Deinde Ecclesia & fides Catholica, dicitur Sancta à sua firmitate, quâ nihil firmiùs, nihil est fortiùs quia supra firmam petram ædificata est, quam neq; portæ inferi prævalere vnquam, & euertere poterant, neq; vlli hæretici, neq; peruersi Iudæi, neque tyranni gentiles, quorum persecutionibus, non modò fracta est, verumetiam magis confirmata, & corroborata. Est sancta à sua firmitate.

Tertia nota Ecclesiæ, & fidei Catholicæ est, vt sit *Catholica*, id est, vniuersalis, & quoad loca, & quoad tempora, quæ per omnes gentes toto orbe diffundatur, & omnia tempora complectatur. Sed sola Ecclesia Catholica, & fides, est talis. Ergo &c. Minor probatur, quia Ecclesia Catholica per vniuersum orbem est diffusa, iuxta illud Psal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Et Psal. 21. *Conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ. &c.* Ad Ecclesiam enim Catholicam omnia hominum genera, & vniuersæ nationes confluxerunt, & modò adhuc ex gentibus in America quotidiè confluunt & conuertuntur; qualem vniuersitatē non habet vlla secta hæreticorum; quis enim eorum fuit in Asia, quis modò currit in Americam, sed solùm in quibusdā regnis, & prouinciis Europæ seminant zizania, inter triticum, quæ vtinam eradicentur, ne nomē Dei blasphemetur. Nec refert quod fides Romana, modò in aliquibus prouinciis sit suffocata, sed tamen ibi multò tempore fuit, vt in tota Anglia, & in tota Germania, Dania, Suecia, in quibus regnis multi Sancti Martyres; & Confessores, & ipsimet Reges floruerūt. Quòd

Tertia nota Ecclesiæ.

Ecclesia Romana vniuersalis.

autem Ecclesia Catholica vniuersalis quoad tempora in fide, & doctrina fuerit, inde colligitur, quia eandem nos Catholici fidem profitemur, quam Apostoli prædicárunt, & successores eorum. Et in nostra Polonia eandem fidem retinemus, quam nobis prædicauit Sanctus Adalbertus, vt constat ex antiquissima illa cantione, quam ipse composuit, & tradidit Polonis, vulgò dicta *Bogarodzicá &c.* Ergo fides Catholica pertinet, ad omnia tempora, & semper fuit, & erit vsq; ad finem mundi. Caluinistarum verò, & Lutheranorum, ante centum & aliquot annos vbi fuit? Certè ante centum, & annos aliquot Caluinisticam fidem, & Lutheranorum non fuisse, apertè demonstrant templa magnifica, & altaria in ipsis erecta, monasteria nobilissimè extructa. Monasteria enim vtriusq; sexus manifestant, varios ordines Religiosorum floruisse, quæ omnia hæretici despurcárunt, altaria defœdárunt, tabernacula SS. Sacramenti profanárunt, scopas quod meis oculis vidi in eis asseruantes, monasteria in vsum profanum conuerterunt.

Lutheranorum & Caluinistarum fides á quanto tempore.

Obiiciunt 1. Hæretici, Ecclesiam, & fidem veram defecisse, non subitò quidem, sed sensim & à Luthero, & Caluino istum defectum deprehensum fuisse.

Respondeo mirabile est, fidem & Ecclesiam defecisse, aiunt, cum tamen; nec locum, nec tempus istius defectionis indicare possint. Nam licet certum sit, aliquam partem Ecclesiæ, id est aliquos Christianos errâsse posse, & re ipsa errâsse, errauit enim Arius negans Christi Diuinitatem, errauit Macedonius negans Spiritus S. Diuinitatem. errauit Nestorius asserens duas in Christo personas; errârunt Pelagiani negantes peccatum originale, & necessitatē gratiæ. errârunt, & multi alii. Non tamen errauit tota Ecclesia Christi, seu tota multitudo christianorum quatenùs ex pastoribus, & ouibus conflata est: quod affirmant falsò hæretici; Sed facilè refelluntur. Primò ex Sacris literis. Isaiæ cap. 54. dicitur. *Noli timere, quia non confunderis, neq; erubesces.* Vbi loquitur de Ecclesia Christi: confunderetur autem & erubesceret. Et inferiùs ver. 11. inquit. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos.* id est,

Ecclesia tota errare non potuit.

ego ita

ego ita fundabo, & ſtabiliam te, vt tempeſtate conuelli non poſsis: ita muniam te portis, & propugnaculis, vt futura ſis inexpugnabilis. Et ver. 17. *Omne vas quod factum eſt contra te, non dirigetur, & omnem linguam reſiſtentem tibi, in iudicio condemnabis.* Id eſt, omnes aduerſarii quos diabolus contra te excitabit, non habebunt ſucceſsũ: & omnes hæreticos, qui tibi reſiſtent in cauſa fidei, ac religionis, de errore conuictos condemnabis. Confirmatur ex verbis Chriſti Domini Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eã.* Et Matt. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſumationem ſeculi.* Id eſt, Ego adero vobis & ſucceſsoribus veſtris, vsque ad finem mundi. Ego inquam adero, qui dixi. *Non relinquam vos orphanos.* Sed audiamus S. Auguſt. lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6. vbi ait. *Ipſa eſt Eccleſia Sancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia, de vite præciſa. Ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua, Portæ inferorum non vincent eam.* Vbi manifeſtè loquitur de Eccleſia viſibili, ex qua exeunt hæretici. Non enim exeunt ex inuiſibili, in qua ſoli prædeſtinati ſunt, quia in ea nunquam fuerunt. Igitur ex ſententia S. Auguſtini, Eccleſia viſibilis, eſt vna, vera, Sancta, Catholica, quæ à portis inferorum vinci aut expugnari non poteſt. Cùm igitur Eccleſia Chriſti non poſsit deficere, vel errare in fide propter peculiarem Spiritus Sancti aſsiſtentiam, quam Chriſtus illi promiſit, magna omninò debet eſſe eius authoritas, in negotio fidei, ac religionis. Quam authoritatem plurimi fecit S. Auguſtin. lib. Epiſt. Manich. cap. 5. dicens. *Ego Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoneret authoritas.* Vnde hæc regula apud Catholicos eſt: nemo poteſt errare in fide, & in religione, qui ſentit quod tota Eccleſia ſentit.

Eccleſia viſibilis.

Obiicies 2. Non ſemper manebit fides Daniel. 9. *Deficiet hoſtia & Sacrificium*: quæ authoritas confirmatur Matth. 24. *Futuram abominationem deſolationis in templo.*

Reſpondeo authoritas Danielis loquitur de defectione Synagogæ, ſicut & ipſe Chriſtus Dominus deſcribens deſtructionem

Hierusalem, dixit. *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c.*

QVARTA Nota Ecclesiæ, & fidei veræ, est, vt sit Apostolica. Dicitur autem Ecclesia Apostolica, quia antiquam fidem, doctrinam, authoritatem Apostolorum perpetuò sequitur; quod non modò facit, quando Scriptis Apostolicis expressam doctrinam retinet, verum etiam, & ea omnia, quæ per traditionem Apostolorum tradita sunt, iuxta illud Apost 2. Thesal. *State, & tenete traditiones.* Et 1. ad Corinth. 11. *Cætera cùm venero disponam.* Et in eodem loco inquit, *Laudo vos Fratres quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea teneatis.* Deinde Ecclesia Apostolica dicitur, & consequenter fides; quia ab Apostolis cœpta, per omnes terras propagata est: vt enim Ecclesia, & fides sit vera, origine & successione debet esse Apostolica; nam hac successione omnes veteres tanquam argumento euidentissimo vsi sunt ad Christi Ecclesiam ostēdendam. Atqui sola Ecclesia Catholica Romana, est Apostolica quia antiquam fidem & doctrinam Apostolorum perpetuò sequitur. Frustra igitur Lutherani, Caluinistæ, & alii hæretici, Apostolicam doctrinam se iactant habere quos cum Tertulliano lib. de Marcionitis & Valentinianis n. 11. refutamus. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit habuerit authorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ sensus suos deferunt. Sicut Smyrneorum Ecclesia habens Policarpum à Ioanne collocatum, refert; sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum, edit, proinde vtiq; & cæteræ exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale quid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam inditum est? Sed & si confinxerint nihil promouebunt: ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate, & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicuius authoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli, non diuersa inter se docuissent, ita nec Apostolici, contraria Apostolis edidissent; nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt.* Hæc Tertulianus. Subsumo. Sed apud Lutheranos, & Caluinistas, & alios hæreticos nulla est Sacerdotum, & Episcoporũ successio, neq;

legitima

[Margin notes:]
4 Nota Ecclesiæ, & fidei veræ.
Cur dicitur Apostolica.
Hæretici non ab Apostolis.
Authoritas Tertuliani contra hæreticos.

legitima ordinatio Sacerdotum, præterquam, si qui à Catholica fide apostatauerunt; qui tamen ô quales sunt Sacerdotes, qui fidem Deo, iuramentum, & votum fregerunt, & superbia, ac luxuria ducti, ad sectam hæreticorum transierunt. Sicut igitur eorum templa carent Sacrificio, ita Sacerdotio sunt destituta. ô egregiam Ecclesiam hæreticorum, in qua nullus Episcopus, nullus Sacerdos, nullum est Sacrificium, in qua cuiuis de cerdonibus, & sutoribus, vel de fæce vulgi, illotis (vt aiunt) manibus ad Sacramentorum, & ad verbi ministerium citra vocationem vllam legitimam accedere licet.

Vltimo probatur veritas, & vnitas fidei, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ quia talibus miraculis est cõfirmata, quæ nõ nisi à Deo fieri potuerunt, vt est resuscitatio mortui. Sed à sæculo non est auditum, vllum hæreticum impetrâsse resuscitationem alicuius mortui; nam illi de viuis faciunt mortuos, non de mortuis viuos, sicut Caluinus fecisse legitur apud probatissimos authores. Et Lindanus refert cuidam ministro Lutherano id euenisse, qui volens ex ficto mortuo facere viuum, ex viuo verè fecit mortuum, quod & Alanus Copus *lib. 6. dialog. refert*. Meritò igitur S. Augustinus *lib. de vtilit. credendi. c. 17.* dicit. *se teneri in Ecclesia vinculis miraculorum*. Et Richard. *de S. Victore. lib. 1. de Trinit. c. 2.* dicit. *Domine si error est quod credimus, à te decepti sumus. nam ista (* quæ credimus*) tantis, & talibus signis, & prodigijs confirmata sunt: quæ nonnisi per te fieri potuerant.* Sed Deus non potest esse falsus testis, vt dictum est Articulo 2.

Miraculis confirmata est fides & Ecclesia

Nota dicta DD.

Cùm igitur apud hæreticos nulla sit vnitas, quia quot capita, tot sensus, nulla Sanctitas, vt dictum est, neque fides eorum sit Catholica, sed in vno tantùm angulo, neq; Apostolica, vt probatum est, consequenter falsa, & erronea, Dominus illuminet eos, vt à falsa ad veram, ab erronea ad rectam fidem redeant, in qua sola est salus.

QVÆSTIO III.
De Vitiis oppositis Fidei.

Vitium oppositum fidei est infidelitas, cuius sunt tres species. Prima est Paganorum, qui nunquam fidem veram susceperunt. Secunda est Iudæorum, qui fidem Christi promiserunt ante aduentum eius, quem existimant falsò, nondum aduenisse. Tertia Hæreticorum, qui in veritate fidem receperunt in Baptismo, sed ab illa defecerunt, & ad hanc, Schisma, & Apostasia spectat;

De his igitur in præsenti quæstione inquirendum est, quæ diuiditur in 4. Articulos, in quibus sequentia inquirentur.

1. Vtrum Infideles cogi possint ad fidem.
2. De Iudaismo, & de perfidis Iudæis.
3. De Hæreticis, & hæresi.
4. De Schismate, & Apostasia.

ARTICVLVS I.
Vtrum infideles possint cogi ad fidem.

Infideles duplices.

Nota 1. Infideles sunt in duplici differentia: quidam enim sunt infideles, qui subditi sunt Ecclesiæ directè, ratione iurisdictionis, & potestatis spiritualis, & isti sunt illi infideles, qui post susceptum baptismum à fide Christiana desciuerunt, vel in paganismum, vel in iudaismum; vel in hæresim, vel in apostasiam inciderunt; Alii sunt infideles, qui non sunt subiecti potestati spirituali Ecclesiæ directè, sed indirectè tantùm, vt sunt illi, qui nunquam baptizati fuerunt.

Nota 2. Infideles quidam sunt negatiui, qui nunquam aliquid

quid de fide audiuerunt: quidam sunt positiui, qui de fide Christi audiuerunt, illi tamen se obstinatè opponunt, & tales omnes sine dubio damnabuntur, vt sunt Iudæi peruersi, & hæretici. Infideles verò negatiui, qui nullam notitiam de Deo habuerunt, neq; de Sacramentis quidquam audiuerunt, sicut si aliqui essent nutriti in syluis, vel illi adulti, qui nullam Dei notitiam habere potuerunt, saluari possent, si legem naturæ seruarent, sine Sacramentis, vel certè Deus illis se manifestaret per Angelum, vel per aliquem hominem fidelem, sicut misit ad Cornelium S. Petrum, vt habetur *Act.* 10. qui eum fidem docuit. Vnde nullus infidelis negatiuus. vt negatiuus, propter solam infidelitatem condemnabitur; at omnes infideles positiui, propter suam infidelitatem peribunt. De paruulis infidelium, eadem est ratio, quæ de paruulis Christianorũ, qui sine baptismo non saluantur, nam baptismus paruulis est necessarius in re, necessitate medii ad salutem, & præcepti.

Infideles negatiui, & positiui

Infidelis negatiuus saluabitur

Nota 3. In hac difficultate tria sunt videnda. Primum est, an absolutè fideles cogi possint ad fidem, & Sacramenta percipienda. 2. An liceat in aliquo casu; 3. Quid sit de facto obseruandum.

Dico 1. Absolutè, & simpliciter, nemo cogendus est, ad fidem suscipiendam veram. Ratio est. Tùm quia absolutè loquendo, fides & Sacramenta, non possunt conferri alicui inuito; quia illi nihil prosunt; Et hoc probat S. Thomas. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. Tum quia susceptio fidei ordinatur ad salutem, & meritum, ideò debet esse voluntaria; quia Deus dedit homini liberum arbitrium, vt eo eligeret sibi vitam, & mortem. Tùm quia Concil. Tolet. 4. *c.* 56. id definit: & ipse Christus Dominus in Euangelio dixit. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum. &c.* Ergo infideles omninò inuiti, non possunt ad fidem cogi.

Nemo absolutè cogendus est ad fidem.

Dico 2. Non potest Princeps Christianus, infideles cogere ad fidem veram suscipiendam, minis, & terroribus mortis corporalis. Patet ex *cap. de Iudæis d.* 45. ex Concil. Tolet. citato, vbi dicitur. *Præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri.* Et in hoc sensu est vera opinio S. Thomæ: & in hoc sensu Concil.

Minis mortis nō possunt cogi.

Tolet.

Tolet. non recipit, imò reiicit istud, quòd Catholicus alioqui Rex Sisebutus Iudæos sub pœna capitali coegerat ad fidem.

Potest cogi infideles ad fidem exilio. Dico 3. Princeps Christianus, potest compellere infideles ad baptismum, per minas, & terrores mortis Ciuilis, & ad conseruandum baptismum postea, susceptum. V. G. potest Princeps fidelis præcipere, vt quilibet infidelis, aut baptizetur, aut ciuilem mortem patiatur exulando à ditionibus suis. Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 4. *q.* 9. *n.* 2. dicens, *Crederem religiosè fieri si cogerentur minis, & terroribus ad suscipiendum Baptismum, &c.* Probat 1. Ex duobus malis minus est

1 Ratio. eligendum: licet igitur sit malum, quòd infidelis suscipiat Sacramentum in peccato mortali, & fiat irreuerentia Sacramento, tamē maius malum est, infideles obseruare suam legem illicitam impunè & fidei contumeliam inferre; est enim maior irreuerentia, & maius Sacrilegium, ideò cùm de duobus malis minus sit eligendum, meliùs est, eum cogere ad seruandam fidem, & suscipiendum Sacramentum, quàm quòd impunè seruet fidem suam illicitam: nā sicut apostatæ à fide, possunt cogi ad fidem, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, contemptibilis reddatur; Ergo infidelem, qui nunquam fuit fidelis, licitum est cogere ad fidem, quando sunt debitæ circumstantiæ, & cautelæ, ita vt illi postea cogantur obseruare fidem Christianam. Quando verò Concilia dicunt, ne cogantur infideles ad suscipiendam fidem, sed tolerentur, loquuntur, si non seruentur debitæ cautelæ. 2. Probatur, Da-

2. Ratio. to quòd infideles, & Iudæi non ex corde conuerterentur, nec fidē syncero corde susciperent, tamen cùm sperari posset futurum, vt eorum filii, post tertiam, vel quartam generationem, futuri sint veri Christiani, hoc commodum, non videtur esse negligendum. 3.

3. Ratio. cogere aliquem ad id, ad quod est obligatus, non est simpliciter malum, neq; ex genere. Sed infideles post promulgationem Euangelii, tenentur ad suscipiendum Euangelium. Ergo non est malum simpliciter illos cogere ad seruandum Euangelium, præsertim quādo non sequitur maius inde malum, nec tollitur maius bonum. 4.

4. Ratio. Non licet velle malum per se, tamen per accidens velle malum, non est illicitum. Sed Princeps cogens infidelem ad suscipiendam

fidem

fidem, per se vult bonum, scilicet conuersionem infidelis, ad quam ex præcepto Dei, post promulgationem Euangelii tenetur, per accidens vult eorum peccatum, s. non consensum, & Sacrilegium. Ergo non est illicitum cogere infideles ad suscipiendum baptismũ. Confirmatur ex facto Regis Hispaniarum Ferdinandi qui ante annos centum Iudæos, qui non baptizarentur, iussit excedere ex Hispania; cuius exemplum vtinam sequantur omnes Principes Christiani, & eos ex suis regnis pellant, vel ad fidem compellant, perfidos Iudæos, & alios infideles.

Exemplo.

Obiicit 1. Caiet. Non sunt facienda mala, vt inde veniant bona. Sed cogere infideles ad fidem, est malum. Ergo non debent cogi à Principibus. Minor patet, quia Sacrilegium est suscipere Sacramenta inuoluntariè. Ergo non possunt cogi infideles ad fidem. Respondeo Quòd cum hac propositione, *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona*, stat hæc alia: *Ex duobus malis minus est eligendum*, vt traditur. *c. duo mala d.* 13. Cùm igitur ex duobus malis, si alterum necessariò est eligendum, ratio suadet minus eligere, & consequenter non esse peccatum, minus malum eligere. In proposito hîc sunt duo mala, quorum alterum necessariò sequitur; vel enim facere debent Principes, vt infideles impunè obseruent legem, vel vt suscipiant Sacramenta, & fidem veram: quod igitur ex istis duobus sit maius malum: certè maius est malum, vt seruent suam legem, quia tenentur colere Deum verum, & fidem Christi acceptare, post promulgationem Euangelii sub præcepto. Ergo seruare legem illicitã est malum ex genere, & maximum peccatum, oppositum primo præcepto Decalogi: deinde habet annexum damnum maximum, quod est damnatio suorum filiorum, qui in ea lege educantur, & damnantur: præterea habet annexas contumelias legis Euangelicæ, & blasphemias, non ferendas. Cogere verò ad fidem suscipiendam inuitè, non est peccatum ex genere, quia infideles tenentur fidem Christi suscipere, & illam obseruare. Ergo non compelluntur ad aliquid ex suo genere illicitum, & malum, sed solùm ex circumstantia, scilicet ex modo, quia deberent fidem suscipere voluntariè, non coactè. Breuiter ergo Respondeo ad argum. in oppositũ. Non

Ex duobus malis minus eligendum

Cur possint compelli ad fidem.

ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Diſtinguo non ſunt facienda mala maiora, vt eueniant bona minora, concedo: non ſunt facienda mala minora, vt eueniant bona maiora nego.

Obiiciunt 2. Nemo poteſt cogi ad fidem, quia voluntariè ſuſcipitur. Ergo Tum quia Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis, *Prædicate Euangelium*, non autem minis, vel terroribus inducite gentes. Ergo.

Ad fidem internam nemo poteſt cogi

Reſpondeo Ad fidem intrinſecam & internam, concedo neminem poſſe cogi, ad externam nego, ſeu quoad actus externos, poteſtantes fidem interiorem; Vnde D. Subtilis non dixit, infideles cogendos eſſe ad fidem, ſed cogendos eſſe ad ſuſcipiendum baptiſmum, qui eſt actus exterior proteſtatiuus fidei, licet ipſi intrinſecùs hanc fidem non habeant, quod eſt minus malum, quàm quo actu interno, & externo blaſphement fidem. Ad aliud dico, quando Chriſtus Dominus miſit diſcipulos ad prædicandum infidelibus negatiuis, iſti non ſunt cogendi minis, at benè infideles poſitiui, terroribus cogendi à Principibus, quorum iurisdictioni, & poteſtati ſubſunt temporali.

Obiiciunt 3. Eccleſia nunquam decreuit, ſed potiùs prohibuit, cogere infideles ad ſuſcipiendum baptiſmum inuitè, vt conſtat ex Conc. Toletano. Ergo non ſunt cogendi infideles ad Baptiſmũ.

Concil. quid voluit.

Reſpondeo Ideò iſtud decretum factum eſt in Toletano Concilio, quia vult modum ordinarium ſeruari, circa infideles, non autem extraordinarium, præſertim ſi cautelæ debitæ non adhibeantur. Quare laudat Regem Seſibutum, & eum religioſiſsimum appellat.

PETES *An paruuli infidelium, & Iudæorum, inuitis parentibus ſint baptizandi?*

Principes poſſunt baptizare infantes infidelium.

Reſpondet D. Subt. *in* 4. *d.* 4. *q.* 9. *n.* 2. Poſſe Principes baptizari facere filios infidelium ſubditorum, etiam inuitis parentibus, modò prouideant ne maiora mala inde ſequantur, nimirum, vt non cedat ille baptiſmus in contumeliam fidei Chriſtianæ, & ne nutriantur in errore parentum. Probat. 1. D. Subt. quia Princeps debet zelare pro dominio Dei, quod habet in paruulos, vt baptizentur, & ei ſeruiant, & compeſcere ſubditos abutentes ſuo ſub-

ordinato dominio in contrarium. Rector enim Reipublicæ semper debet cogere subditum, obedire potiùs superiori Domino, quàm inferiori, quando inferior Dominus præcipit contra legem, & præceptum Superioris Domini. Sed parentes infideles, dum nolunt filios suos baptizari, agunt contra ius Diuinum, & potestatem Dei, quam Deus habet in filiis illis: nam Deus directè præcipit, vt omnes homines, & quicunq; paruuli baptizentur, quando igitur parentes non permittunt filios suos baptizari, opponunt se directè potestati superiori. Ergo Principes tenentur facere, vt præceptum, & potestas Dei obseruetur, & potestas inferior negligatur, quod dum faciunt, non agunt contra iustitiam, neq; contra ius naturæ, quia in tali casu non obligat ius naturæ, neq; patrium. Atq; hinc sequitur præceptum legis Euangelicæ, non esse contrarium legi naturæ, Pater enim debet curare salutem filii: quando ergo aliquis cogit Patrem, vt filium baptizet, cogit ipsum obseruare præceptum naturæ, non autem violare ius naturæ, nunquam enim lex Diuina, contraria est legi naturæ. Neq; vlla fit iniuria parentibus, quando aliquid ordinatur contra voluntatem parentum, quia hoc est ordinatum à Deo remedium pro salute paruulorum; neq; requiritur intentio eorum, vel parentum ad baptismum, vt sit validus, monet tamen D. Subt. *loco citato*, vt Principes adhibeant cautelas, vt religiosè sic baptizati educentur, vel ne parentes priùs cognoscentes hoc futurum occidant filios: neq; Principes id facientes vsurpant sibi potestatem supernaturalem, sed facta determinatione, quòd hoc liceat, possunt hoc facere, rectè, & religiosè: priuatæ autem personæ id facere non possunt, quia multa incommoda inde sequerentur, nam non religiosè educarentur, &c.

Rationes D. Subt.

Cur principes id facere possint.

Priuatæ personæ non possunt.

QVÆRES.

Quid sit Paganus, & Paganismus.

Nota Pagani appellantur iidem, qui gentes seu Ethnici, seu idolorum cultores, eò quòd idola colant. Dicti autem sunt Pagani à pagis, seu villis, in quibus sua simulachra, seu idola colere, & sacra superstitiosa exercere solebant.

Pagani qui.

Dico 1. Pagani dicuntur, qui quomodocunque peccant contra fidem, quam nunquam promiserunt, quam tamen tenentur amplecti ex præcepto fidei. Constat ex dictis.

Paganismus. Dico 2. Paganismus priuat perfectione fidei debita. ex præcepto fidei: & hic differt à Iudaismo, quia Iudaismus priuat perfectione debita, non solùm ex præcepto fidei, sed etiam ex simplici promissione. Ex quo sequitur Christianum, qui recedit à fide Catholica, & accedit ad sectam Iudæorum committere duplex peccatum, necessariò explicandum in confessione: committit enim peccatum hæresis, seu apostasiæ, recedendo à fide, quam solenniter professus est, & committit peccatum Paganismi, vel Iudaismi amplectendo hanc, vel illam sectam: hæc autem peccata sunt specie diuersa. Ergo. Vide Bonac. *circa primum Decalogi præceptum. disp. 3. q. 2. p. 7.*

PETES *An Pagani ex Christianorum ditione, expelli possint?*

Principes possunt pellere infideles ex suis regnis. Respondent multi graues DD. affirmatiuè, & posse Principes in suis Regnis, vel prouinciis, eas conditiones apponere, vt si manere velint, fidem Christianam amplectantur, sin minus, vt venditis omnibus suis bonis quo velint discedant, ad idque induciæ, & certum deliberandi tempus eis concedatur; & ita de facto egisse, Ferdinandum V. Hispaniæ Regem cum Saracenis, & Iudæis, dato eis quadrimestri spatio. Et Iustinianus Imperator, similem legem tulit in hæreticos. Ratio est, quia in hoc simpliciter violentia nulla infertur eis, sed libera optio datur, alterutrum eligendi, & peccata, quibus impiè contra Christum peccant, merentur, vt propterea expellantur, non potest tamen eos Princeps expellere, & omnibus possessionibus priuare, sed permittere, vt suas possessiones vendant. Præterea infideles à Principibus Christianis quibus subiecti viuunt, possunt compelli, vt eas leges quæ ad Reipublicæ bonum, & pacem spectant, obseruent, ne V. G. frumenta exportent, vel pecuniam ex Regno. Similiter possunt adigi, vt vnum Deum colant, & idolorum cultum abiiciant, & hoc dicitur in Concil. V. Carthagin. can. 15. & multi Imperatores fana Idolorum, vel claudi, vel omninò dirui mandabant. Cæterum Christiani prohibentur priuata autho-

ta authoritate infideles inuadere, vel eorum bona diripere. *l. Christianis cap. de Paganis.*

PETES 1. *An omnia opera infidelium sint peccata?*

Dico 1. Certum est illud quod in Trident. definitur Sess. 6. c. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunq; ratione facta sint, verè peccata esse, vel odiũ Dei mereri, anathema sit.* Quod dicitur contra Luther. & Caluinist. qui dicunt, omnia peccatoris opera, mereri odium Dei, ac proinde supplicium æternum, ex eo quod ipsa persona peccatoris, sit inimica, & ingrata Deo, Deum tamen pro sua bonitate, ea non imputare culpæ, neq; pœnæ: Opera bona infidelium non sunt peccata.

Dico 2. Quando Sancti PP. opera infidelium peccata esse dicunt, vt S. August. sæpè, & alii, solùm docent contra Pelagianos, actiones vniuersas infidelium, quantumuis honestas, & laudabiles in genere moris, esse in peccato, vel cum peccato, non quòd omnia opera eorum sint peccata, cùm pleraq; fiant ob honestum finẽ, sed quòd ad æternam beatitudinem non sunt proficua, quæ in peccato mortali fiunt. Cur opera infidelium à PP. dicuntur peccata.

Quòd si petas, an infideles errantes in fide peccent? Respondeo error infidelium circa res fidei est peccatum. Primò quando possunt habere sufficientem notitiam fidei Christianæ, tunc enim si persistant in suis erroribus mortaliter peccant, tales sunt peruersi Iudæi, & Scythæ in Lithuania, qui de fide sæpè audiunt, & tamen fidem recipere nolunt: quòd si nullam notitiam haberent, non peccarent, credendo aliquid contra fidem. Secundò quando lumine rationis cognoscere possunt id, quod fides nostra docet: quare qui plures Deos tenent, vel qui creaturas Deos putant, easq; colunt, à peccato graui non excusantur, quamuis de fide nostra nihil audiuerint; sicut etiam non excusantur, quando præcepta Decalogi transgrediuntur; quia hæc omnia ratione naturali, cognosci possunt. Infideles quando peccant errantes in fide.

PETES 2. *An Christiani possint effici serui Paganorum?*

Dico 1. Pagani, qui sunt subditi principibus Christianis nõ possunt habere Christianos seruos; etiamsi illos Christianos pro seruis emerint, talibus enim seruis Ecclesia concessit libertatem, vt possint fugere ab ipsis. Christiani non debent esse serui infidelium.

Dico 2. Chriſtianis bello iniuſto captis, qualia ſunt omnia bella Turcarũ, & Saracenorũ contra Chriſtianos, contra quos ideò pugnant, vt religionem Chriſtianam deleant: & ſi ab eis in ſeruitutem ſint redacti, licitum eſt eis fugere, & ad Chriſtianos redire. Ratio eſt, quia ſeruitus nonniſi bello iuſto induci poteſt: Sed Turcæ, & Saraceni pugnantes contra Chriſtianos non habent bellum iuſtum vt probaui in Æquilibrio Iuſtitiæ. *diſp.* 2. *q.* 3. *a.* 4. Præterea Chriſtianis in tali caſu periculum ſubuerſionis imminet. Ergo.

Poſſunt Chriſtiani ab infidelibus fugere.

Dico 3. Chriſtianis captis in bello, quod Ethnici contra eos, etiam iuſtè gerunt, licitum eſt fugere, ſi eis probabile periculum ſubuerſionis impenderent, eo quòd à dominis ad fidem deſerendã ſolicitarentur: verùm & hoc ſublato, poſſunt ad ſuos fugere, ſi id aliquo modo poſsint facere, nullam tamen dominis ſuis in eo vim inferendo; neceſsaria tamen ad fugam auferre poſſunt. Vide Couaruuiam, *primo variarum reſolut. c.* 2. *&* 7.

ARTICVLVS II.

De Iudaiſmo, & perfidis Iudæis.

Iudæi hoſtes Chriſtianorum

Cùm peruerſi Iudæi ſint hoſtes infeſtiſsimi, veræ Religionis, & fidei Catholicæ, licet enim ante aduentũ Chriſti Domini fuerit gens Iudæorum electa, & Deo dilecta, tamen mores quorundam non carebant maculis, vt conſtat ex Sacris literis, erat enim apud illos polygamia, libellus repudii, ex quibus omnis generis incommoditates oriebantur, quæ teſte Chriſto Domino, ad duritiam cordis eorum fuerunt permiſsa: Similiter & vſura, reſpectu externorum, ſeu gentilium, permiſsiuè tantùm, vt docet S. Thomas 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ex capite* 23. *Deuter.* deinde peiora introducebant iura, quibus inimicos odiſse, & amicos tantùm diligere præcipiebant, & actus internos adulterii, & homicidii, licitos eſse putabãt, &c. modernorum verò Iudæorũ mores peruerſos quibus omnes penè impunè deditı ſunt, quis enumeret? non enumerabo, ſed ſolũ in præſenti Articulo indicabo mores aliquos ipſorũ, & an Societatẽ Chriſtiani cum ipſis habere debeant, & an ſint tolerandi in Regnis & Prouinciis Chriſtianorum, quod per aliquot Quæſita expediam.

QVÆ-

QVÆRES PRIMO.

Quinam sint mores Iudæorum modernorum perfidorum?

Dico 1. Iudæi in religione, suasunt obstinati, traditiq; in reprobum sensum, proindeq; iræ Diuinæ in ipsis, continuò exardescentis documentum nobis exhibent euidentissimum. Probatur 1. Sunt blasphemi in Sanctissimam Trinitatem, quam proteruè negant, & vnum Deum in essentia, & persona vnum, falsò affirmant. Deinde in IEsum Christum Dominum nostrum, negantes ipsum verum esse Messiam, & Deum verum negant, contra omnes Prophetas, & Sacras literas, quæ ipsum verum Deum, & hominem verúq; Messiam profitentur. Præterea miracula quæ ipse faciebat asserunt fecisse in Beelzebub Principe Dæmoniorum: Vel arte magica, vel extenuando dicunt, Eliam, Eliseum, & alios Sanctos æquè magna fecisse miracula, sicut & Christum. Quæ omnia sunt intolerabiles blasphemiæ. Adhæc interfectores Christi fuêre eumq; quasi leprosum habuerunt. Isaiæ 53. *Nos putauimus eum quasi leprosum.* Hinc enim Patriarcha Iacob abominatus est filios suos Simeon, & Leui. Genes. 49. Cùm in spiritu præuidisset Messiam ab eis occidēdum: inquit. *Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum.* Id est Christum, vt exponit S. Ambros. Origenes, & alii, quem præcipuè occiderunt, Scribæ de tribu Simeon, & Sacerdotes de tribu Leui. Hanc causam prætendit S. Ambros. eaq; cōuicit Theodosium Imperatorem, qui concesserat Iudæis ædificare Synagogam Mediolani, palam in foro eum reprehendens, & confundens, quod scilicet in vrbe, in qua Christus colitur, & crux adoratur, Synagogam Christi interfectoribus extruere concessisset, vt patet. *lib. 5. Epist. 25. ad Theodosium.* Nec refert, quòd moderni perfidi Iudæi non occiderint Christum Dominum, retinent tamen id, in eundem odium, & quotidie adhuc lingua eum blasphema crucifigunt, velut nequitiæ hæredes, & malorum coruorum, pessima oua. Insuper Saluatoris Nostri, præ odio nomē nunquam nominant, & si fortè illud casu legere, vel sonare contingat, seipsos multtans

Iudæi in Religione obstinati.

Negantes Christum esse Deum.

Miracula calumniantur.

Odium Iudæorum in Christum.

mulctant, & colaphum ori impingunt: aut si id exprimant, dicunt Iiseu exponendo id per literas initiales,, *Immach, Schemmo, Vsichro*, id est, deleatur nomen eius, & memoria eius, vt refert Cornel. à lapide in cap. 23. Exodi. Eundem dicunt condemnatum esse in infernum; occisum ob scelera sua, &c. Beatissimam verò Virginem cuius puritati nulla creatura etiam Angelica comparari potest, ore coinquinato, meretricem vocare non verentur. O horrendas, & intolerabiles blasphemias Iudæorum peruersorum.

In B. Virginem blasphemia.

Dico 2. Mores peruersorum Iudæorum difficilè est describere; breuiter tamen describuntur. Nihil est apud Iudæos promptiùs, quàm mendacium in ore, astutia in sermone, venenum in adulatione, præuentio in celeritate, corruptio in largitione: His artibus fallax gens instructa, mentes etiam optimorum virorum, de recto sensu deturbat, priuilegia, & immunitates contra laudabilem Rerũpublicarum benè constitutarum consuetudinem, consequitur, & in dies auget: nam tam summi, quam infimi ordinis viros, pariter ac mulieres fascinationibus dementat. Hi enim in aulis, atq; palatiis Virorum Principum, Magnatum, in domibus Officiariorum, Consiliariorum, & Secretariorum, Nobilium, & Præfectorum, tam Ciuilium, quàm ruralium tanquam negotiorum gestores, siue ea concernant Ecclesiastica, siue politica, siue œconomica, oberrare passim visuntur. Quis enim primus ad palatia Principum, & Magnatum accessum habet? Iudæus. Cui citiùs Iustitia administratur? Iudæo. Facit iniustitiam Iudæus Christiano, occidit & Christianum; tacetur: facit aliquam iniuriam Christianus Iudæo, seuerè iustitia administratur, & Christianus punitur. Causa eius rei non alia potest adferri, quàm eorum qui in officiis sunt positi, cupiditas & auaritia: quid enim non cogit auri cupiditas, euertit iustitiam, & inducit iniustitiam. Breuibus concludendo, nulla est flagitii nota, quæ non Iudæorum inusta sit vitæ, vsq; adeò, vt prorsus viuere videantur in Christianorum perniciem, qui à primis incunabilis omne suum studium, & cogitationem, eò dirigunt, vt tanquam harpyiæ in aliorum fortunas inuolent, & Christianos omnibus bonis spolient, omnia enim fraude, & dolo malo agunt. Et quoniam illos natu-

Mores Iudæorum.

Iudæi apud magnates primi.

Laus Iudeorum.

illos natura, & odium contra Christianos ad tantam malitiam allicit, malitia trahit, proinde illos aditu, nemo congressu, nemo consortio vllo, dignari meritò debet, sed tanquam pestem fugere quiuis Christianus tenetur.

QVÆRES SECVNDO.

An Societas Iudæorum, Christianis sit fugienda?

Respondeo Multæ sunt causæ, cur Christiani societatem Iudæorum fugere debeant. Primò, quia omnes illi qui blasphemant Deum, contrarii sunt doctrinæ Christianæ, falsamq; doctrinam habent, & qui odio prosequuntur Christianos, fugiendi sunt Christianis. Sed Iudæi perfidi, sunt tales. Ergo &c. Minor probatur: & quidem quod blasphement Deum constat *ex præcedenti Quæsito.* Et Christum Dominum, quē si eis facultas daretur rursus ipsum crucifigerent, quod cùm non possint, in ipsam SS. Eucharistiam, vbi Christum Iesum verum Deum, & hominem confitemur, sæuire solent cum proteruia, & atrocitate, cuius rei aliquot historias recensui *q. 7. ar. 5. quæsito 1. in fine,* cùm de reali præsentia corporis Domini in Eucharistia tractarē. Quòd contrarii sint doctrinæ Christianæ, constat ex eo, quia nos Christianos hæreticos appellant, & vt suum errorem defendant, Sacram Scripturam, multis in locis deprauârunt, & deprauant. Quòd autem falsam doctrinam habeant ex ipsorum Thalmud colligitur, in quo multæ blasphemiæ, & nugæ continentur, vnde Gregorius IX. & Innocentius IV. Thalmud, & omnes hæreses in eo contentas flammis, atq; incendiis aboleri iusserunt. Quòd autem prosequantur Christianos odio, ex eo colligitur, quòd quotidiè ter in die, in suis Synagogis Ecclesiæ Christi euersionem impiis vocibus efflagitant: & ollas ad Synagogam deferunt, easq; conterunt, dicentes. *Sicut contritus fuit Aman sic regnum Christianorum subitò conteratur.* Et quando Christianus Iudæum adit, ille cùm eum excipit, specie beneuola, inquit, ancipiti verbo teutonico *Seth VVillkom,* quod est Sathanas, venisti benè, & gratè, cum *Seth* significet diabolum. Quando verò transeunt Ecclesiam Christianorum, dicunt: *Domus superborum prosternat te Deus.*

Causæ cur Iudæorum societas fugienda.

Sæuiunt in Eucharistiam.

Falsam doctrinam in Thalmud habent.

Odium in Christianos Iudæorum.

Maledicunt Christianos.

Quando verò per cæmeterium eunt, dicunt: *Finis Christianorum vermis est*, vt refert Maiol. *t.* 3. *Canic. Coll.* 1. Taceo quòd licitum sibi putant, quocunque modo perdere Christianos. Vnde quidam eorum Rabbi dicit. *Optimus qui inter gentes est, dignus est, vt illi caput conteratur velut serpenti*, vt refert Cornel. *in c.* 5. *Leuit.* Et Magister Hieronym. à Sancta Fide, cognominatus, ex Iudaismo conuersus, & Benedicti XIII. Pont. Medicus, refert in tractat. quē edidit de Thalmud libri falsitate *cap.* 5. *&* 6. lege cautum esse in Thalmud, vt Iudæi quibuscunque malis, & incommodis potuerint, omnes Christianos afficiant, in fraudem impellant, fortunis euertant, oblataque opportuna occasione, trucident: neque id ex coniectura dico, sed plurimis historiis, per varias seculorum reuolutiones, facilè comprobare possem, aliquot exempla in medium adducam. Refert Socrates *lib.* 16. *Hist. Eccl. c.* 16. De Simone puero Christiano, ab eis crudelissimè crucifixo. In loco inquit inter Chalcedonem, & Antiochiam, Iudæi ludicra quædam pro more suo celebrantes, temulentia abrepti Christum irridendi gratia & Christianos, qui super Christo crucifixo quotannis plangunt: puerum quendam Christianum interceperunt, quem quidem cruci alligârunt, & aliquandiu subsanârunt, ac postmodùm tam diu verberârunt, donec intermoreretur. Ob eam causam, grauis inter eos, & Christianos conflictus ortus est, & ab Imperatore scriptum fuit prouinciæ Præfectis, vt auctores facinoris, inquirerent, & punirent, & sic in eodem loco pœnas dederunt. Refert Surius 19. *April.* de Vernero puero, quem in odium Christi, & Christianorum, crudelissimè totius corporis venas barbarica immanitate incidendo, forficibusque ex omnibus partibus corporis Sanguinem exprimendo, corpusque totum vulneribus concidendo, triduo suspensum reliquerunt. Notum etiam est id, quod in Ciuitate Tridētina. *Anno Domini* 1475. 24. *Martij* puerum simili crudelitate interfecerunt. Possem & multa alia exempla enumerare, sed quia luce meridiana est clariùs, & in nostra Polonia, extant plurima exempla similis crudelitatis, vt Vilnæ, Petricouiæ, Lancicii ante aliquot annos, pueros crudelissimè occiderunt, & ferè quolibet anno occidunt, & furantur, & tamen rarò

Pueros occidunt.

ob prædicta scelera puniuntur. Quomodo igitur cum talibus societatem habere debent Christiani?

Secundò Societas Iudæorum fugienda est, quia pestis & pernicies sunt Christianorum, quos vsuris iniquissimis exhauriunt, & fraudibus innumeris circumueniunt, ita vt Iudæos, inter Christianos tolerare non sit aliud, quàm serpentem in gremio alere, vel lucios in piscinam mittere, qui reliquos deuorent. Astutè enim cū Christianis procedunt: primò quidem vulpinam induunt pellem, Christiano alicui commercia suadent, pecunias credunt, postmodùm cùm eum vident nummos expendisse, lupinam induunt, strictè pecunias exigunt, quo maiori cùm fænore, eos cogant moram emere, vel plures nummos mutuò sumere. Demum crocodili pellem assumunt, cogendo creditorem, vt res suas, vel ei oppignoret, vel leui pretio vendat, sicq; eum omninò deuorant: & hanc technam, statim etiam progeniem suam docent, sicut & crocodili proles suas, artem rapiendi. Præterea nullo se iuramento teneri putant, nisi iurēt manu imposita super librum legis suæ. Idcirco olim Norimbergenses, & aliæ Respub. non admittebant eos ad iuramentum, nisi iurarent supra librum legis suæ. Adhæc vsuras intolerabiles à Christianis exigunt: nam licet graues DD. doceant vsuras esse permittendas ad impediendum maius malum, si enim non permitterentur vsuræ, multa fierent furta, rapinæ, oppressiones pauperum, desperationes, & his similia incomoda. Igitur ad hæc euitanda permitti possunt vsuræ, tanquam minus malum: vsuræ inquam communes, quæ non excedunt lucrum, quod lege, vel consuetudine permissum est, non autem vsuræ intolerabiles, quas perfidi Iudæi exercent, cùm irreparabili pauperum incommodo, qui necessitate adacti oppignorant res, etiam pretiosas quæ intra breue tempus propter vsuras apud Iudæos pereunt: quare optimè Beatus Bernardinus à Feltro, & alij Ordinis nostri Minorum Regularis obseruantiæ, feruentissimi Prædicatores, ob pauperum commodum curárunt erigi montes pietatis ad extinguendas vsuras, quæ sunt prohibitæ iure naturæ, Diuino, Ecclesiastico, & Ciuili, vt fusè probaui *in Aequilibrio Iustitiæ disp. 4. q. 3. a. 3.* Vnde perperàm allegant

Aliæ causæ cur fugiendi sunt Iudæi.

Astutia Iudæorum.

Iudæi periuri.

Vsuræ Iudæorum.

perfidi Iudæi *c.* 23. *&* 28 *Deut.* pro se ad vsuras licitè recipiendas; nam in priori loco solùm permittuntur vsuræ, non autem vt licitæ, conceduntur, in capite vero 28. oppositum habetur, vt in *Aequilibrio loco citato.* explicaui. Insuper merces spurias pro bonis vendunt, ceræ miscent pisa, commodè adaptata, quod ego meis oculis vidi Posnaniæ, saccaro, dicto farina, puluerem : & alias merces veteres pro nouis obtrudunt, in mensura, & pondere decipiunt, & tamen Christiani ad eos properant, ab eisq; emunt merces fucosas, fortè ab ipsis fascinati, in qua arte diabolica exercitatissimi Iudæi sunt, vt refert Maiolus *loco citato folio* 920. Sed quis Iudæorum perfidorum fraudes, & technas enumerare posset? An non monetas ex communi suffragio, & auxilio adulterant, & præscindunt? An nō furtis, & prostibulis, promptum præbent auxilium? An non Iudices, si aliquam causam contra Christianos habent, pecunia corrumpunt? vt pro ipsis sententiam ferant, ne ampliùs vllus Christianus contra eos quidquam attentare audeat. Hæ sunt virtutes Iudæorū, hæc sanctitas, isti sunt populus Dei, in quibus nec virtutis, aut pietatis inest vllum vestigium.

Merces spurias vēdunt.

Scelera Iudæorum.

Denique propter fætorem intolerabilem, fugiendi sunt Iudæi Christianis, qui fœtor tanquam macula perpetua eis innatus esse videtur, propter occisum Christum Dominum, ad quem tollendum graues Authores tradunt, Sanguinem infantium Christianorum adhibent. Cum talibus igitur, an sit societas habenda, iudicium habens, iudicare poterit.

Fœtent Iudæi.

PETES *An cibum sumere cum Iudæis, vel ab eis medicinas accipere Christianis liceat?*

Dico 1. Angelus, Rosella *Verbo Iudæus* putant esse peccatum mortale, sumere cibum cùm Iudæis, quando inter conuiuium cibos discernunt, & aliquos tanquam illicitos, vel immundos reiciunt, & aspernantur, talis enim delectus ciborum, ab Ecclesia prohibetur. Quare non licet azyma eorum comedere, quando est cibus ab eis discretus, nisi fortè necessitas compellat, & tunc debet comedi, vt panis communis. Multò autem magis illicitum est, ad eorū nuptias accedere, vel quod detestabilius est choreas cum eis ducere, aut

Cibum cum Iudæis non licet sumere.

ræ, aut instrumenta musica, maximè tempore quadragesimæ tangere aut cantare. Nam si perfidi Iudæi Christianos ita immundos reputant, vt nec cibos ab eis coctos gustent, nec cultris eorum ad scindendum, aut poculis ad bibendum, nisi ter, aut quater lota sint, vtantur: Non igitur res est conueniens, vt Christiani cùm Iudæis cibum sumant. Choreas ducere.

Dico 2. Esculenta, & poculenta à Iudæis emere Christianos non decet. Ratio est, quia homines sunt sordidi, & fætidi; Vnde carnes ab eis emere non est consentaneum, quia solùm eas vendere perhibentur, quas ipsi repudiant, neq; eis vti volunt. Deinde alii authores scribunt, quòd eas conspurcare in odium Christianorum solant, & tamen proh dolor, ad macella eorum Christiani, relictis macellis Christianorum pergunt, & sordidas carnes emunt. Cibos ab eis emere non decet.

Dico 3. Medicinas à Iudæis præparatas, sumere Christianũ, non est tutum, neq; conueniens. Non inquam tutum, quia ex natura sunt inimici Christianis; Tum quia raro doctum medicum Iudæum inuenies, vt docet Maiolus *loco citato fol.* 844. sæpè enim sine morborum discrimine, sine causarum disquisitione, sine accidentium notitia, audent temerè sanitatem polliceri, temeriùs medicamẽta præstare, dãtes quidquid primũ charta obtulerit, aut ipsorũ commentum, nec loci, nec temporis, nec ætatis, aut complexionis, aut diætæ consideratione habita, quæ omnia boni Medici contemplari solent. Quid igitur absurdiùs, quàm Christianum Iudæo, salutem sui corporis credere, Christiano medico docto, non credere? Cùm id Sacri Canones Conciliorum prohibeant; in Concil. 6. Constantinopol. Can. 11. dicitur. *Nullus azyma Iudæorum manducet, aut cum eis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis vocet, aut ab eis medicinam percipiat, aut cum eis in balneo lauet. Si verò quispiã hoc fecerit, si Clericus est, deponatur, si laicus excommunicetur.* Deinde Bullæ Summorum Pontificum id prohibent, vt Gregorii XIV. Refert Conradus Husserus de *Cæremonijs, & imposturis Iudæorum. c.* 5. *fol.* 41. Iudæum Medicum sexcentos homines medicamentis, quibus miscebat venena interfecisse, in Ciuitate Veronensi in Italia; & multa exempla idem auctor de medicis Iudæorum commemorat, quod & in aliis regnis, Medicinæ ab eis non sumendæ.

alii authores fide digni, fatentur. PETES 2. *Quæ alia sunt prohibita Christianis circa Iudæos?*

Dico 1. Vendere Iudæo ea, quibus vtitur in cæremoniis suis, alii negant esse licitum, alii affirmant, sed non ea intentione, vt vtatur, nec cùm certò scitur, illis abusurus. Ita Sa *Verbo Iudæus num. 2.* & alii.

Christian° non potest esse seruus Iudæi.

Dico 2. Iudæo non licet Christianum seruum, aut famulum habere, ita decreuit Gregor. XIII. & Paulus IV. Anno 1555. statuens, vt omnes vtriusq; sexus homines, qui de facto pro familia domestica, & continuò famulantur, ab illis discedant, nec in posterum sub vno tecto, cum ipsis habitare, & pernoctare præsumant, operas tamen diurnas honestas locare possunt, idq; non assiduè. Cōtra oppositum facientes, statutum est, vt ad Sacramenta non admittantur; vel si moriantur, careant sepultura Ecclesiastica. Ratio est. Tùm quia ne familiaritatem cum eis contrahant Christiani. Tùm ne Iudæi, superiores Christianis esse videantur. Tum ne filii liberæ, seruiant filiis ancillæ. Consequenter prohibentur fæminæ, ne nutricum officium obeant, in Iudæorum infantibus educandis, idq; siue in domibus eorum, siue extra eas: in quibus casibus putat Syluest. *Verbo Iudæus n. 4.* Episcopum non posse dispensare, quia ista prohibitio facta est, in fidei honorem.

Operas an liceat eis locare.

Dico 3. Etsi Iudæi possint synagogas antiquas retinere, & per se reficere, prohibentur tamen nouas Synagogas erigere, vel capaciores reddere, neq; eas erigere, si penitùs collabantur, Ita habetur *in capite Iudæi de teste.* Et *l. Hæc valitura C. de Iudæis.* Et sic non licet Christiano, vt Iudæis vendat lapides, ligna, calcem, & similia, ad Synagogam ædificandam, quia malum est synagogas eorum extruere, sicut & fana idolorum; similiter & operam suam ad id locare non licet: quia isti perfidi, in Synagogis blasphemant Deum verum, vnum in essentia, & trinum in Personis, & tamen e heu, in Polonia passim hæc fiunt, & tolerantur.

An Iudæi possint Synagogas ædificare.

Prohibita Iudæis inter Christianos.

PETES 3. *Quæ prohibentur Iudæis, circa Christianos?*

Multa in iure prohibita sunt Iudæis. Primò Ne vllam dignitatem, vel præminentiam inter Christianos habere possint, 2. Ne

vlla

vlla administratio, vel officium publicum illis conferatur, & sic graues DD. tenent vectigalia locare eis illicitum esse, quia hoc officium sustinentes, Christianos bonis spoliant, & ipsi ditescunt, pecuniam extra regnum, & alias res liberè extradunt, tormentarium puluerem, & alia bellica necessaria, inimicis Christianorum suppeditant, secreta Regnorum inimicis reuelant. Porrò Nauar. *q. 22. Cōsil. 1.* dicit non esse prohibitum locare vectigalia Iudæis, modò Princeps Christianus, qui locat, deputet aliquem Christianum ad exigenda illa, & non permittat, vt ipse Iudæus per se, vel per alium à se deputatum, exigat. 3. *cap. in nonnullis* statuitur, vt Iudæi vtriusq; sexus in omni Christianorum Prouincia, qualitate habitus diuersa vtantur, vt à Christianis distinguantur, vt sic eis occasio præcidatur ad multa mala. 4. In constitutionibus *Ecclesiæ Metropol. Gnesn. l. 4. statuitur*, ne Iudæi in foris publicis Ciuitatum, vel oppidorum, res suas venales exponant, quod tamen modò eis proh dolor conceditur, imò vt exigant à Christianis in foro vendentibus, tributum, seu vulgo *targovve* eis conceditur, cum præiudicio Christianorum. 5. Prohibentur Iudæi diebus Dominicis, & Festis per ciuitatem deambulare, vendere, tondere, radere, propinare, fornices aperire, neue diebus festiuis labores suos publicè exercere audeant, vel negociari. 6. Ne Christiani carnes, vel alia cibaria, à Iudæis emant, quia timendum, ne venenatas res vendant; tùm quia omnia sordida corrupta, & conspurcata Christianis vendunt: nam in bouem recenter occisum, & exenteratum, pueros suos scabiosos imponunt, & tamen Christiani ab eis tales carnes emunt.

Vectigalia an illis locanda.

Habitus distinctos portare debent.

QVÆRES TERTIO.

An Principes, & Magistratus, posit tolerare Iudæos in suis Regnis, & Prouincijs?

Nota 1. Christiani non debent Iudæos priuata authoritate offendere, seu lædere, neq; in personis, neq; in bonis, sine iudicio superioris potestatis, contra facientes obligantur ad restitutionem. Similiter, non debent ab eis exigere, coacta seruitia, quæ facere non consueue-

Iniuria nō est facienda Iudæis, priuata authoritate.

consueuerunt. Item non debent eorum inuadi cæmeteria, sub pœna excommunicationis ferendæ nec sepulchra eorũ effodi. Quòd si conuertantur ad fidem, non priuantur bonis iustè acquisitis, neque debita successione, quæ si eis ablata fuerint, præcipitur potestatibus locorum, sub pœna excommunicationis, vt ea restitui curent, non possunt tamen liberari post conuersionem, quin vsuras acceptas restituere teneantur, si sint certi, & noti illi, quibus vsuræ restitui debent, secus si incerti, vel ignoti fuerint creditores, tunc enim Ecclesia potest illam obligationem conuersis remittere, si sint pauperes, vel aliis pauperibus tradere, quia vsuræ in pios vsus conuerti debent.

Iudæi puniendi.

Nota 2. Grauiter Principem, & Magistratum peccare, si Iudæos delinquentes non puniat, Princeps enim, & Magistratus ex officio tenetur, omnem iniuriam publicam punire, vt iustitia conseruetur. Ergo etiam tenetur punire iniuriam, quam Iudæi comittunt in Christianos. Quorum iniuria in Christianos est multiplex. Primò quando apertè blasphemant Christum Dominum, & Matrē eius Sanctissimam. Secundò quando infantes Christianorum surripiunt, & mactant. Tertiò quando exigunt intolerabiles vsuras à Christianis, quidquid enim exigitur vltra sortem, contractu vsurario, furtum est. Quartò quando suis vsuris, plurimùm nocent Reipublicæ: non enim potest stare, aut florere Respublica, quando populus vsuris oppressus est, & exhaustus, quod intelligitur de vsuris exorbitantibus. Quintò præter vsuras accedunt aliæ iniuriæ; nam quidquid in foro venale est, hoc Iudæi præripiunt Christianis, offerendo maius pretium venditoribus, quàm alii emptores offerre soleant; & postea vendunt Christianis illas res, duplici pretio. Sextò Christi fidelibus, victus rationem præripiunt, artibus mechanicis, ex quo Christiani ad summam paupertatem rediguntur. Septimò vt hæc prædicta omnia impunè faciant, distribuunt munera officialibus Principum, vel Magnatum, vt ab ipsis protegantur, & vt eis prædicta nefanda liceant. Væ tamen illis qui in his, & similibus sunt patroni, & defensores Iudæorum perfidorum.

Iniuriæ quas Iudæ faciunt Christianis.

Dico itaq; Iudæi possunt è Regnis Christianorum pelli, propter

pter prædicta scelera in notando secundo enumerata. Patet quia S. Ludouicus Rex Galliarum, pepulit eos è regno suo, relictis paucis, qui victum manibus quærerent. Postea anno 1295. à Philippo Rege, ex tota Gallia eiiciuntur, qui in Germaniam migrârunt, qui tamen postea ab eodem Rege in Galliam reuocati, iterum propter veneni suspicionem, non tam Principum iussu, quàm plebis eiectione, abire coacti sunt, anno 1321. nec deinceps in Regno Gallico mansisse videntur. Item ex Anglia Iudæi pulsi sunt, anno 1291. Item ex Hispania vniuersa, edicto Regio, Iudæi, anno 1492. pulsi sunt, quidam dicunt ad octingenta millia capita egressa sunt. Ex quo non immeritò Ferdinandus Rex, ex tot, & tantis rebus pro fide Catholica feliciter gestis, cognomento *Catholici* à Romano Pontifice cohonestatus fuerat. Deniq; ex tota ferè Germania, fæx Iudæorum expulsa, & in Poloniam recepta, quæ fæx vtinam à Republica Polona, quamprimùm pellatur, ne Christianis præripiant victũ, & Ciuitates ad tantam paupertatem, & inopiam suis fallaciis, & vsuris redigant. Quòd si tolerari debent, cogantur ad agriculturam, vel ad alia opera seruilia exercenda, nec patiantur in otio, & luxu viuere, neq; tantas vsuras exercere, sicut nunc exercent. Neq; permittantur illis monopolia, sicut in Russia apud solos Iudæos cremantum, mulsum & ceruisia inuenitur, & pauperes Christiani anguftiantur. Vel certè cogantur ad continentiam, quia in aliquibus Ciuitatibus in Regno Poloniæ, plures sunt numero Iudæi, quàm Christiani, sicut Posnaniæ plura capita Iudæorum intra mænia, quàm Christianorum. Felicia regna, felices Prouinciæ, & Ciuitates, in qua fæx Iudæorum residentiam non habet. Vtiná quæ scribo practicentur, ne exultet scelus in victoria.

Propter scelera possunt Iudæi pelli è regnis.

Ex multis regnis Iudæi pulsi sunt.

Vtinam ex Polonia pellantur.

Ad seruilia opera cogantur.

Multitudo Iudæorum.

Dices si Iudæi, vel expellantur, vel vsuras non accipiant, hæc mala sequentur. Primò. Quia Principes in necessitatibus non habebunt pecuniam, pro bello, quam Iudæi ipsis suppeditant. 2. Subditi Principum, qui egent pecunia non poterunt mutuò accipere. Respondeo in illis Regnis in quibus nulli Iudæi sunt, & tamen Principes, & subditi, non cõqueruntur: Imò contrarium potiùs sequitur, nam expulsis Iudæis plus præsidii poterunt conferre ciues, quàm

Obiectio friuola.

Iudæi ſolent: quidquid enim Iudæi conferunt, hoc per iniuſtas vſuras, accipiunt à ciuibus. Neq; hoc ſolùm, ſed quidquid ipſis, vel ad vitam alendam, vel ad corrumpendos Officiales neceſſarium eſt. Accipiunt igitur à Ciuibus tres portiones, vnam, quam dant Principi; alteram, quam dant officialibus; tertiam, quâ ſe alunt. Certè ſi Ciues expulſis Iudæis, retinerent has tres portiones, parati eſſent, plus dare ſuo Principi, quàm Iudæi dant. Hi enim dant vnam portionem, ex tribus; illi duas darent. Et nihilominùs vnam pro ſe, retinerent, quâ nunc carent.

PETES *An Iudæi à Principibus, & Magiſtratibus poſsint cogi ad fidem?*

Iudæi poſſunt cogi ad fidem quomodo

Reſpondeo. Eandem eſſe rationem de Iudæis, quæ eſt aſsignata de Infidelibus *Articulo* 1. nimirum eſſe cogendos ad fidem à Principibus, in quorum Regnis habitant, non tamen pœnâ capitis, ſed pœnâ exilii, vt nimirum, vel conuertantur, vel è Regnis diſcedant, venditis ſuis poſseſsionibus; nam homines blaſphemi, non ſunt tolerandi, ſed eradicandi. Sed Iudæi nomen Sanctiſsimæ Trinitatis, & nomen Ieſu Chriſti blaſphemant, glorioſiſsimam Virginem, & Matrem Dei; fidem Chriſtianam irrident, & Sanctos eius; Quare Principes non permittant ſe corrumpi eorum muneribus, quia participatione turpis lucri, illorum crimina non ferenda, impunita, eis imputabuntur, quia vt dicitur. *cap. Etſi Iudæos, de Iudæis. Verendum eſt fidelibus, ne Diuinam indignationem incurrant, cùm eos perpetrare patiantur indignè, quæ fidei noſtræ confuſionem inducunt.* Et licet S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 11. dicat, Iudæos eſſe tolerandos, & ritus ipſorum, de circumciſione, & Agno Paſchali, vt adumbretur, & confirmetur veritas Chriſtiana de Baptiſmo, & Euchariſtia; & vt Iudæi intelligant ritus ipſorum fuiſse vmbras, & figuras fidei Chriſtianæ, & faciliùs conuertantur ad fidem; tamen D. Subt. *in* 4. *d.* 4. *q.* 9. *n.* 3. *pro tã paucis, & ſic tardè conuertendis.* in fine mundi, (iuxta prophetiam Iſaiæ. *c.* 10. quam recitat Apoſtolus ad Rom. 9. *Reliquiæ Iſrael conuertentur in fine.*) inquit, *non oportet tot Iudæos in tot partibus mundi tantis temporibus in lege ſua perſiſtere, quia finalis fructus de eis Eccleſiæ eſt, & erit modicus. Vnde ſufficeret aliquos paucos in aliqua inſula ſequeſtratos, permitti legem*

Auctoritas D. Subtilis contra Iudæos.

si legem suam seruare. Quibus verbis D. Subtilis docet, tantam multitudinem, & tot temporibus, Iudæorum perfidorum, non esse tolerandam, sed ad fidem esse cogendos, ne nomen Dei blasphemetur per ipsos, & ne tantùm Christiani angustientur propter ipsos. De infantibus eorum baptizandis, idem iudicium D. Subtilis dat, quod & de pueris infidelium, vt dictum est *articulo* 1.

Pueri Iudæorum an baptisandi.

ARTICVLVS III.

De Hæresi & Hæreticis.

Nota 1. Græcis vox hæresis, idem est quod Latinis electio; nam asſensus contrarius fidei, si deliberatione careat, seu si quis existimet verum pro falso, ex aliquo motu subito rationis, qui sine deliberatione, & electione, contra fidem menti obrepit, talis asſensus non dicitur hæresis: necesse est ergo ad hæresim, vt ex certa, & deliberata inductione & electione fiat contra fidem. Fides autem Catholica, quamuis sit electio voluntatis, non dicitur hæresis, quia licet voluntariè à nobis acceptetur, hoc tamen est ex Spiritus Sancti instinctu, & auxilio, iuxta illud. *Non vos me elegistis &c.* Quare ad hæresim requiritur pertinacia: pertinax autem iuxta Nauar. *cap.* 11. *num.* 17. ille dicitur, qui credit animo non discedendi à sua persuasione, etiam monitus contrarium ab Ecclesia teneri, vel credi. Vnde qui falsum aliquid credunt, sed parati sunt errorē deponere, postquam eis ostensus fuerit, non sunt hæretici, iuxta illud S. Aug. Epist. 162. dicentis. *Errare quidem potero, sed hæreticus non ero*: tales enim non censentur habere voluntarium errorem cum pertinacia: iste tamen cùm sit ex ignorantia culpabili, est voluntarius in causa, nec culpa vacat.

Ad hæresim quid requiritur

pertinacia quid?

Nota 2. Vt quis dici posſit hæreticus, & esse, quinq; requiruntur. 1. Vt sit error in intellectu, seu ratione; nam si quis opere tantùm, & sermone tantùm quis erret, non verò mente hæreticus non esset. 2. Vt error ille sit circa ea, quæ sunt fidei, vel contra veritatem ab Ecclesia determinatam; nam in iis, quæ non sunt fidei, vt credere Solem non esse maiorem terrâ, non est hæresis. 3. Vt quis talem errorem, non per ignorantiam, sed firmata, & obstinata

Vt quis hæreticus dicatur quid requiritur.

voluntate eligat, & pertinaciter sequatur. 4. requiritur vt error sit in homine baptizato, & sic non sunt hæretici infideles, & Catechumeni, errantes in aliquo contra fidem, quia tales nondum sunt iurisdictioni Ecclesiasticæ subditi. 5. Vt qui sic errat aliquam fidei veritatem credat, & aliquam neget; nam qui omnem veritatem fidei negat, non hæreticus dicendus, sed vel infidelis, vel apostata.

QVÆRES PRIMO.

Quid sit hæresis, & quid hæreticus?

Quid hæresis.

Dico 1. Hæresis est voluntarius error intellectus, cum pertinacia, contra aliquam fidei veritatem. Dicitur *error voluntarius*, quia peccatum sine consensu, & voluntate, non committitur. Dicitur *intellectus*, quia sicut assensus fidei es, est actus intellectus, ita hæresis, quæ est contraria fidei, est error ipsius intellectus; sequentes particulæ constant ex notabilibus præmissis.

Hæreticus quid.

Dico 2. Hæreticus ille dicitur, qui aliquid sentit, quod ipse nouit esse contra definitionem Ecclesiæ. Hæc conclusio patet ex Notabili 2. Hinc.

Dubitans an sit hæreticus.

Collige 1. Eum qui positiuè dubitat in rebus fidei, esse hæreticum, quia dubitat illa esse incerta, & dubia, quæ certa sunt, & vera. Item qui negat propositionem euidenter deductam, ex altera propositione de fide, & altera naturali; nam propositio ita deducta est de fide, qualis est hæc. *Christus est risibilis.*

Collige 2. Ille hæresim committit, qui errat ex ignorantia crassa, & adhuc erraret, si sciret errorem illum esse contra fidem. Ita Bonac. de Cens. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 7.

Hæresis & interna. externa.

Dico 3. Hæresis, alia est interna, cùm quis hæresim, quam mente tenet, nullo signo exteriori manifestat; alia externa tantùm, cùm aliquis facit aliquid contra fidem, sed in mente errorem non habet, vt cùm quis metu, vel ex aliqua alia passione, actum contrarium fidei, verbo, vel opere exercet, V. G. si quis thus idolo offerat, vel neget se esse Catholicum, metu mortis, talis enim non est hæreticus, peccat tamen mortaliter. Alia est interior, & exterior, vt si quis interiùs, & exteriùs teneat aliquid contra fidem. Porrò qui

Alia interior & exterior.

mente

mente solùm hæreticus est, non subiacet pœnis Ecclesiasticis, sed solùm qui interiùs, & exteriùs hæreticus est, quantumcunque occultissimus sit, incidit in Bullam excommunicationis, Cœnæ Domini.

Dico 4. Hæretici, alii sunt Zelosi, alij pertinaces, alii frigidi, alii dubii. Zelosi sunt qui non ex superbia, aut obstinatione, sed ex quadam ignorantia falsò persuasi sunt suam sectam, veritati, & Euangelio esse conformem, ideoq; tanto studio, ac ardore eam tuentur, vt videantur vitam potiùs, quàm sectam velle amittere: tales sunt similes S. Paulo, qui *ad Galat. c.* 1. testatur se fuisse Zelosum in Iudaismo, & tales facilè conuertuntur, iuxta illud 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Alii sunt pertinaces, qui quidem agnoscunt se recessisse à communi sensu Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, sed tamen ex superbia & obdurationе mentis, ne videantur à veritate conuicti, obstinatè persistunt in suis erroribus. Tales propriè dicuntur hæretici, iuxta S. August. *lib.* 18. *de Ciuit. Dei. c.* 15. Suntq; similes Pharisæis, & rarissimè propter duritiam cordis conuertuntur. De quibus dictum est Matth. 13. *Incrassatum est cor populi huius*, &c. Alii sunt frigidi qui neque ex superbia, neque ex ignorantia, sed ex aliis causis, quas frigidè prætendunt, manent in suo errore. Et quando monentur vt fiãt Chatolici, solent cunctari, tergiuersari, & frigidas excusationes adferre. Nam alii quidem prætendunt se in ea religione, quam sequuntur, natos, & educatos esse. Alii iuramento se obstrinxisse, quòd velint in ea fide persistere. Alii non audent palam profiteri fidem Christianam, propter amicos, & consanguineos, qui omnes Lutherani, aut Caluinistæ sunt. Alii aiunt non posse se id facere, ne offendant suum Principem hæreticum. &c. Hi omnes sunt illis similes de quibus dictum est. 2. Regum. 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.*

Zelosi hæretici. Alii pertinaces. Alii frigidi.

Deniq; quidam sunt dubii, qui simplici ac recto corde, quærunt veritatem: & quia per se non possunt eam inuenire, ab aliis petunt instrui ac iuuari. Hi similes sunt Nicodemo, Ioan. 2. Qui petiit à Christo Domino instrui.

Quidam dubii.

Duplices Hæretici.

Dico 5. Sicut excommunicati, alii sunt præcisi, alii tolerati, ita & hæretici, quidam sunt tolerati, cum quibus Catholicis conuersari licet, quidam non tolerati, & præcisi, cum quibus conuersatio est prohibita. Ex dictis.

Temerarium, erroneum, hæreticum differunt.

Collige Temerarium, erroneum, & hæreticũ differre, quia temeraria opinio dicitur, quæ tanquam certum id asserit, quod efficaciter ratione, vel auctoritate, probari non potest, erronea verò est, quæ præterea falsa est, & à veritate discedit, hæretica autẽ quæ apertè est contra fidem.

QVÆRES SECVNDO.

Vtrum libertas religionis permitti, aut concedi possit?

Libertas religionis non introducenda.

Dico 1. Libertas religionis nullo pacto introduci potest. Ita habetur *l. nullus. C. de Sum. Trinit. & fide Catholicæ.* Ratio est, quia libertas conscientiæ aduersatur vnitati fidei, quam Christus Dominus præcepit, vnamq; solùm instituit Ecclesiam, & vnum Pastorem ad Eph. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Tùm quia nõ licet approbare hæresim, libertas autem conscientiæ, non potest sine hæreseos approbatione introduci, cùm libertas consciẽtiæ plures contineat errores. Tùm quia libertas religionis, valde repugnat publicæ tranquillitati, quæ sine fidei vnitate seruari non potest. Sed Principes, & Magistratus, tenentur consulere publicæ tranquillitati. Ergo. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 11. Oriolanus *de vnica religione cap.* 12. Pamelius, Turrianus, Becanus, Bonacina *d.* 3. *q.* 2. *p.* 7. §. 1.

Libertas religionis non permittenda.

Dico 2. Libertas Religionis, neq; licitè introduci, neq; permitti potest, modò aliud non postulet commune religionis bonum. Probatur Quia qui potest aliquod peccatum impedire, & non impedit, censetur eiusdem peccati cooperator, & particeps, *nisi aliud postulet commune religionis bonum*; nam permissio mali si iusta & sufficiens adsit ipsius permissionis causa, non est mala, nam alioquin Principes nullum peccatum permittere possent. Tùm quia de duobus malis minus est eligendum, cùm vtrumq; vitari non potest: ob commodum verò temporale, nullo modo permitti potest; nam bona in-

tia inferioris ordinis. exponenda sunt periculo, ad tuenda bona ordinis superioris: & pro fide Catholica non solùm facultates, sed etiam vita prodigenda est. Videant igitur illi, qui in suis ditionibus permittunt libertatem religionis, & ædificare Synagogas, an sint veri Catholici, nec ne? Ob commodum temporale non permittenda.

Dico 3. Deus seuerè puniuit Reges, ob concessam libertatẽ Religionis. Patet ex variis historiis. Æneas Syluius *histor. Bohem. l.* 35. 36. 37. refert Vencesłaum XII. Bohemiæ Regem, falsa politici status ratione delusum, cùm hæreticis potestatem agendi quæ vellent, concessisset, regnum eius tantis dissensionibus perturbatum est, & cum arma arriperet, vt se regnumq; tueretur, ab omnibus suis desertus, vitam simul, atq; regnum amisit. Hoc idem contigit Agilulpho Duci Longabardorum, qui causa conseruandæ pacis, libertatem Arianis concedens, meritas luit pœnas, teste Carolo Sigonio *de Regno Italico. lib.* 2. Hoc idem Boleslao Regi Poloniæ, qui politicam libertatem Prussis, suo, suorumque damno concessit, vt scribit Martinus Cromerus *lib. 6. hist. Polon.* Hoc idem contigit multis aliis Imperatoribus, & Principibus. Vnde optimè quidam lusit. Pœnæ cõcedentium libertatem religionis.

LIBERA RELLIGIO sacratas destruit ædes.
Subuertitq; aras, libera Relligio.
Libera Relligio pellit Regesq; Ducesq;
Et priuat terris; libera Relligio
Libera Relligio validis contendit apertis
Ad barathrum: infœlix libera Relligio.
Libera Relligio tibi non subrepat: ad Orcum.
Nè trahat ad strictum Libera Relligio.

PETES 1. *An Princeps Catholicus possit hæreticos in sua Prouincia, vel regno tolerare?*

Nota Cùm hæresis sit maius peccatum, quam furtum, homicidium, aut adulterium, quæ peccata nullus Princeps potest in suis Regnis concedere, neque talia peccata in suum Regnum introducere, neque introducta confirmare, & rata habere, neq; alio quocunque modo positiuè in ea consentire; Ergo multò magis de hæresi, id est dicendum. Quæstio verò est, an Princeps Christianus in ali- hæresis graue peccatum.

quo casu

quo casu possit permittere, seu tolerare hæresim in sua Prouincia, in qua Catholici, & hæretici permisti sunt.

An hæretici tolerandi in regnis.

Prima Opinio negat. 1. Quia fauere hæreticis, nullo modo licet; quia fautores ipsorum excommunicantur in Bulla cœnæ Domini. Sed tolerare, seu permittere hæresim in suo Regno, est fauere hæreticis. Ergo. 2. *Non sunt faciēda mala, vt eueniāt bona, teste Apostolo ad Rom.* 3. Sed hæresis sine dubio mala est. Ergo non licet eā tolerare, etiamsi boni aliquid inde euenturum sit. 3. Reges Hebræorum, vt Ieroboam, Ioram, grauiter à Deo reprehensi sunt, ob permissionē in suo regno idololatriæ. Ergo permissio hæresis est illicita.

In quibus casibus hæresis permittenda.

Secunda Opinio tenet, in quibusdam casibus Principem posse permittere hæresim, in quibusdam non posse. Primò potest permittere, quando non potest impedire, vt si in aliqua Ciuitate, vel Prouincia, sint multò plures, & potentiores hæretici, quàm Catholici & sint tam pertinaces, vt non possint nisi vi coacti ab exercitio cohiberi: Cùm igitur non possit eos vi cogere, quia non est satis potens: nec alius occurrit impediendi modus, cùm sint pertinaces. Ergo tolerandi sunt, quamdiu aliter fieri non potest. Addit alios duos casus S. Thom. 2. 2. *q.* 20. *a.* 11. Vnus est, quando ex permissione speratur maius bonum: & hoc modo etiam Deus permittit, non solùm hæresim, sed alia omnia peccata, quæ in hoc mundo fiunt, quia potest inde maius bonum elicere, iuxta illud Gen. 50. *Vos cogitastis, de me malum* (inquit Ioseph ad Fratres suos,) *sed Deus vertit illud in bonum*, vt exaltaret me, & saluos faceret multos populos. Quare S. Aug. in Enchir. c. 27. inquit. *Melius iudicauit de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere.* Alius est, quando ex permissione, euitatur maius malum, quod aliter euitari non potest, vt si Princeps Catholicus, vellet quidem impedire. vel coërcere hæreticos in suo Regno, quod attentando, ipsi cum vicinis populis, & Principibus hæreticis, impetu facto, Catholicos opprimerent, & expugnarent. Tunc enim consultiùs esset permittere, seu tolerare hæreticos, permixtos cum Catholicis, quàm cum tanto dispendio, & iactura eos irritare. Extra istos casus non licet permittere Principibus in suis Regnis hæreticos. Quare peccant illi, qui ex mera negligen-

Vnus casus.

Alius casus.

gligen-

gligētia permittūt illos sensim irrepere, vel qui causa lucri temporalis eos tolerant, vt in quibusdam Emporiis, vbi hæretici, Iudæi, Turcæ, Gentiles tolerantur, ratione mercaturæ: vel qui ob cognationē, affinitatem, aut alium respectum humanum, nolunt eos offendere, aut impedire, quod vitiū latè patet. Ita Becanus in *Comp. l. 5. c. 16.*

Notent tolerantes hæreticos

Ad 1. in oppositum, Maior est vera in hoc sensu, non licet fauere hæreticis, quo ad hæresim. Minor distinguenda. Qui permittit hæreticos, sine legitima causa, fauet illis: secus, si ex legitima causa. Ad 2. Distinguo Maiorem, Non sunt facienda mala maiora, vt eueniant bona minora, concedo: Non sunt facienda mala minora, vt eueniant bona maiora: nego. Ad 3. Aliqui ex Regibus Hebræorum fuerunt idololatræ, qui non solùm permittebant, sed etiam approbabant, & promouebant idololatriam, & isti digni reprehensione. Aliqui verò licet non erant idololatræ, tamen permittebant ex timore periculi, qui initio regni non audebant auferre idola, vt Iosaphat. 3. Reg. 33. postea tamē factus audacior, abstulit, 2. *Paral.* 17.

Ex legitima causa tolerandi.

Reges hebræorum, cur permittebant idololatriam.

Dices Christus Dominus vetat Zizania eradicari, Matth. 13. sed ad messem crescere præcipit, vbi per zizania intelliguntur hæretici. Ergo. Respondeo Loco citato non intelligit solos hæreticos, sed etiam omnes malos, siue sint Catholici, siue hæretici, sicut per triticum, aut bonum semen, intelligit omnes bonos, sicut ipsemet explicat, dicens, Matth. 13. *Bonum semen sunt filij regni, zizania autem filij nequam*: non tamen intelligit bonos & malos pro quocunque tempore, sed omnes tales, qui perseuerant vsque ad finem vitæ: Si verò aliquis per zizania hæreticos intelligat, Dicendum est, quod si sine damno, & periculo Catholicorum, posit fieri expulsio hæreticorum, debet fieri; si autem sine perturbatione, & damno Catholicorum fieri nequit, tolerandi sunt, ne maiora damna in Ecclesia sequantur.

Per zizania quid intelligitur.

Quòd si quæras, vnde hoc habet Ecclesia, quòd hæreticos cogere pòsit ad fidem? Respondeo Ecclesia ratione characteris Baptismi, ius in illos habet, ideoque potest illos cogere ad fidem recipiendam, & retinendam. Vnde S. Aug. Serm. 33. de verbis Domini inquit, *Venerunt de vicis, & plateis gentes, veniant de sepibus hæretici: nam qui con-*

Cur Ecclesia potest cogere hæreticos ad fidem.

 struunt

ſtruunt ſepes, diuiſiones quærunt. Cogantur intrare. Foris inueniatur neceſsitas, naſcitur intus voluntas. Et ipſemet Saluator Luc. 14. dicit, *Compelle intrare.* Felix compulſio, quæ ad meliora compellit. Vnde pulchrè mellifluus D. S. Bernardus in ſententiis ſuis c. 4. dicit. *Quatuor ſunt genera regnum Cælorum poſsidentium. Aliqui violenter rapiunt, alij mercantur, alij furantur, alij ad illud compelluntur. Illi rapiunt qui reliquerunt omnia, & ſequuntur Chriſtum per voluntariam paupertatem, pœnitentiã, & auſteritatem, de quibus verum eſt,* Regnum cœlorum vim patitur. *Alij mercantur, qui in præſenti pauperibus temporalia largiantur, vt in futuro percipiant æterna.* Alii furantur, qui bona in occulto faciunt, quibus illud regnum merentur. Alii compelluntur, variis neceſsitatibus, & oppreſsionibus afflicti: & inter hos hæretici connumerandi, & compellendi.

Authoritas S. Bernardi.

PETES 2. *An promiſsio, ſeu contractus cum hæreticis celebratus, circa libertatem religionis ſeruandus ſit?*

Dico 1. Princeps non tenetur ſtare promiſsioni, & pacto, de permittenda libertate religionis; dum eam ſine grauiori damno religionis impedire poteſt, aut dum conatum ad eam implendam vtilem fore ſperat. Colligitur ex S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 11. Ita Ioan. Malderus. Pamelius *de Religionibus diuerſis.* c. 15. Bonacina *Circa* 1. *præcept. d.* 3. *q.* 2. *p.* 8. §. 1. Ratio eſt, quia promiſsio de re illicita, & turpi, non obligat. Sed promiſsio, ſeu pactum ſeruandi priuilegium libertatis, eſt de re illicita; cùm libertas conſcientiæ ſit intrinſecè mala. Ergo promiſsio permittendæ religionis non obligat, etiamſi promiſsionem iuramento firmauerit, quia inquit Bonacina, iuramentum de re illicita, non obligare.

Princeps non tenetur ſtare promiſsioni de libertate religionis.

Dico 2. Fœdus, promiſsio, ſeu contractus, validè celebratus cùm hæreticis, per ſe loquendo ſeruandus eſt, Ratio eſt, tùm quia ſicut non licet mentiri illi, qui loquitur cum hæretico, ita neque licet recedere à promiſsione facta hæretico; & licet hæreticus non ſeruet fidem Deo, non tamen hinc ſequitur, licere fidem hæretico datam, de re licita violare, ſicut non licet mihi mentiri, licet alius mendacium mihi dicat. Tùm quia contractus per ſe loquendo nõ claudicat. Ergo ſi obligat ex parte hæretici, obligabit etiam ex parte Catholici?

Contractus ſeruandi cum hæreticis.

Dices Concilium Constant. decreuit fidem hæreticis seruandam non esse, imò fidem promissam non seruauit, nam Ioannem Hus, qui ad Concilium sub fide publica accessit capitali sententia damnauit. Respondeo in hoc Concilio, non esse statutum, vt fides hæreticis data non seruetur, sed ibi sancitum fuisse, potestatem Ecclesiasticam, impediri non posse, ob concessionem Principis secularis, consequenter Iudicem Ecclesiasticum posse iurisdictionem suam exercere in personā Ecclesiasticā etiamsi Princeps secularis saluum conductum ei concesserit; Princeps enim secularis, non potest Ecclesiastico Iudici facultatem auferre : ideò Hus fuit combustus, quia saluum conductum, non accepit à Concilio, sed à Sigismundo Imperatore, qui non poterat se obligare, nisi ad id, quod in ipsius erat potestate. Tum quia Imperator fidem ei dederat, modò non fugeret, qui tamen fugit, & captus est. Ita Goriolanus *in historia Constantiensi. Dixi per se loquendo*, quia ratione circumstantiarum, aliquando fieri potest, vt non obligetur. Hæc conclusio secunda intelligitur, in causa ciuili, nam huiusmodi promissio est de re licita : nam si agatur de libertate religionis, constat ex præcedenti conclusione, quid dicendum sit.

Quid in Concil. Constantiensi sancitum.

Quòd si petas; Quid sentiendum de confœderatione cum hæreticis in Polonia? Respondeo Duo erant quæ hæretici postulare videbantur, cū hanc confœderationem à nostris Principibus extorquerent. Primū, vt quandoquidem ipsi permisti in Regno Catholicis, viuerent, pax quædam ciuilis, & tranquillitas communis, ea ratione ab omnibus conseruaretur. Secundum, vt quod vellent, & ipsis luberet, id eis credere impunè liceret. Hoc secundum, vt intrinsecè malum, & impium in Synodo Prouinciali Gnesnæ celebrata, anathematè palā damnatū est. Quare si modo aliqui ex ipsis Ecclesiasticis confœderationem illam seruare videntur, id faciunt non approbantes, sed tolerantes, ne maius damnum in Regno oriatur; alioquin grauissimè peccaret, qui ei apertè faueret, vel eam approbaret, quia fautores, & defensores hæreticorum in Bulla *Cœnæ* excommunicantur. Primum autem illud, cùm nihil mali contineat, sed pacem ciuilem

Confœderatio cum hæreticis in Polonia.

uilem inter Catholicos, & hæreticos, conseruet, toleratur, & approbatur, quod quamuis Canonibus antiquis aduersetur, Principes tamen excusantur, qui necessitate coacti id permittunt; cùm tanta sit hæreticorum in Regno Poloniæ multitudo, vt Catholici commodè viuere non possint, nisi hac communi pace vtantur, illi tamen, qui primis temporibus, Regnum hoc in eam necessitatem induxerunt, à peccato nullo modo excusari possunt; neq; hi, qui modernis temporibus hæreticos ex alienis regnis pulsos, ad suas ditiones recipiunt, fouent, & promouent, propter commodum temporale, tales enim strictissimam Deo rationem reddent: quia iuri Diuino, & humano apertè repugnat, hæc credendi libertas, cùm omnes obligentur ad vnius veræ fidei professionem.

Permittentes hæresim notét.

Quod si petas, Quid de Confessione Augustana sentiendum? Respondeo Carolus Imperator habuit Comitia celeberrima Augustæ, anno Domini 1530. Mense Iun. in quibus protestantes suam Confessionem Lingua Latina, & Germanica conscriptam, in Conuentu obtulerunt Imperatori, ac legerunt, quæ confutata à Theologis Catholicis Eckio, Fabro, Cochlæo, & aliis qui aderant, vna cum Laurentio Campegio Cardinale Apostolicæ sedis Legato, viro doctissimo; & reiecta est hæc Confessio, seu vt alij benè dicunt confusio, ac omnibus iniunctum ad pristinam fidem redire. Hæc Confessio composita fuit à Philippo Melanchtone, qui primò Luthero adhæserat, posteà ab eo se subducens, nouæ sectæ dux factus est, quæ dicta est semiluteranorum. Et sic frustra Lutherani allegant Confessionem Augustanam, quæ nunquam fuit approbata, sed condemnata in Concilio Tridentino, iudicio, & sententia ducentorum quinquaginta quinq; Patrum, ex qua Confessione, seu confusione plurimæ hæreses, exortæ sunt, & in varias sectas abiuerũt; quod suo tempore videns Lutherus obstupuit, & remedium adhibere non potuit; imò ipse Lutherus à seipso discessit, Protheo mutabilior, nunc hoc, nunc illud asserebat, & sibi contradicebat. Ita Spondanus *in Auctario Baronij, anno* 1530. & Florim. *l.* 5. *c.* 8.

Confessio Augustana hæreticorum reiecta.

Condemnatio.

QVÆRES TERTIO.

An participatio, seu communicatio cum hæreticis sit licita?

Nota

Nota communicatio alia est in Diuinis; vt in Sacramentis, & orationibus : alia in humanis iis scilicet; quæ ad ciuilem humanæ amicitiæ vsum attinent, vt in collocutione; mensa, habitatione mutua, &c. hæc omnia per Petita aliquot resoluentur breuiter.

PETES 1. *An liceat Sacramenta cum hæreticis participare?*

Participatio in Sacramentis.

Nota. Hæc participatio in Sacramentis cum hæreticis tripliciter intelligitur : Primò accipiendo Sacramentum ritu hæretico, & à ministro hæretico. 2. Accipiendo Sacramentum, ritu Catholico, sed à Ministro hæretico. 3. Accipiendo Sacramentum, ritu Catholico, & à Ministro Catholico, sed simul cum aliquo hæretico, idem Sacramentum suscipiente, vt accidit in Matrimonio.

Baptismus an ab hæreticis accipiendus.

Dico 1. Non licere Baptismum ab hæreticis petere, extra casum necessitatis. Probatur; quia licet ipsi verum baptismum administrent, adhibita legitima materia, & forma cum intentione baptizandi, tamen cum eundem Baptismum possimus petere à Catholicis, impium, & scandalosum est confugere ad hæreticos. Dixi *extra casum necessitatis*, nam si vrgens necessitas esset, & non adesset Catholicus, qui Baptismum conferret, liceret accipere ab hæretico, quia hoc Sacramentum, est summæ necessitatis. Quòd si in tali casu adesset aliquis Catholicus sciens formam Baptismi, meliùs ab eo Baptismum sumere, quàm ab hæretico. Ita cummuniter DD.

Eucharistia ab hæreticis nō sumenda.

Dico 2. Non licere cum hæreticis Eucharistiam participare; quia ipsi, vel non habent verum Sacramentum Eucharistiæ ex defectu Sacerdotum consecrantium; Vel si aliquando habent apostatas, ex Catholicis factos hæreticos, tales si habeant intentionem consecrandi, verè consecrant, sed grauissimum Sacrilegium committunt: Tùm quia profitentur hæretici peculiarem errorem, circa hoc Sacramentum : nam Caluinistæ, negant corpus & Sanguinem Christi realiter adesse in Sacramento. Lutherani concedunt, sed cum pane, in pane, vt supra dictum est. Ergo si Catholici cum illis communicarent, viderentur fauere ipsorum errori.

In articulo mortis hæretico an confitendum.

Dico 3. Sacramentum pœnitentiæ, in extremo vitæ periculo suscipiendum à Sacerdote facto hæretico, aliqui negant, aliqui affirmant; quia Ecclesia Catholica in tali articulo non denegat Sacerdoti-

cerdoti apostatæ iurisdictionē, quod indicare videtur Concil. Trid. *Sess.* 24. *c.* 7. in articulo mortis omnes Sacerdotes, &c.

Matrimonia an sint licita.

Dico 4. Matrimonia Catholicis cum hæreticis generatim loquendo sunt illicita: speciatim verò loquendo permittuntur. 1. pars probatur. Tùm quia id est contra prohibitionem Ecclesiæ. *c. Non oportet* 28. *q.* 3. Tùm quia est periculosum, quia Catholicus qui accipit hæreticam, se, & filios suos exponit periculo subuersionis. Tùm quia committitur Sacrilegium prophanando Sacramentum Matrimonii. Tùm quia in iis locis, in quibus Concil. Trident. est receptum, quod decreuit Matrimonia contracta sine præsentia Parochi proprii, esse illicita, & inualida. 2. Pars probatur, quia Matrimonia cum hæreticis, vbi Concil. Trident. in hoc puncto non est receptum, sunt valida. An autem in Regno Poloniæ sit Trident. in hoc receptum nec ne? Ex eo videtur esse receptum, quòd Episcopi seuerè animaduertere soleant in Parochos, qui eiusmodi matrimonia coniungere, vel benedicere attentant. Quòd si vir sit Catholicus, fæmina autem hæretica, quæ non incertam spem præbeat suæ conuersionis, si Catholico coniungatur, in tali casu standum est iudicio Episcopi, si de conuersione facta sit promissio, hoc enim concedit Cōcil. Chalcedon. *Can.* 13. non cuiusuis tamē promissioni credendum est, sed cautiones adhibendæ, quia est res magni momenti, & periculum subuersionis. Tùm quia Synodus Prouincialis videtur annulâsse matrimonia clandestina Anno Domini 1631.

In Polonia an Trident. sit receptum de Matrimonio.

Collige Illa pacta nullo modo admittenda, nimirum, vt aliqui liberi V. G. masculi, vel primogeniti, sectam Patris hæretici profiteantur, si autem fæminæ, religionem Catholicam amplectantur: tale enim pactum aduersatur iuri Diuino, quod mandat, vt parentes liberis suis, teneantur præbere remedia, necessaria ad salutem, qualia sunt vt in fide vera, paruuli instituantur. Tùm quia iuri Ecclesiastico aduersatur, vt habetur, *cap. ex literis de Conuersione infidel.*

PETES 2. *An liceat cum hæreticis orare, concionem audire, funera comitari, in Synagogis eorum genu flectere, caput aperire, &c.*

Dico 1. Orare in templis hæreticorum, animo profitendi falsam

falsam religionem, vel cum scandalo aliorum, est illicitum: si autem sit aliqua rationabilis necessitas, cur ibi potiùs, quàm alibi id fiat, V. G. si Princeps sit hæreticus, & mandet, vt omnes cuiuscunque sint fidei orationis tempore, ad vnum templum conueniant, poterunt Catholici id præstare: modò Princeps non mandet hoc in odium Religionis, sed ob alium finem licitum, & honestum. Ita Azor *l. 8. c. 27. q. 5.* Sicut si seruus Christianus apud Turcas, vel Gẽtiles, iubetur à Domino, vt sibi seruitium non solùm domi, sed etiam in templo exhibeat, seruus id præstando, potest animum ad Deum orandi studio attollere iuxta morem Catholicum.

Oratio an liceat cum hæreticis.

Dico 2. Conciones hæreticorum audire, animo discendi hæresim, vel cum scandalo aliorum, vel cum periculo subuersionis, non est licitum: audire autem ob confutationem errorum, si absit scandalum, & periculum, non est prohibitum; idque verum est post Concil. Constantiense, quando hæretici non sunt nominatim denunciati, sed Catholicis permixti. Ita Nauar. *Consil. 15. n. 2. & 4.* Azor *loco citato.*

Conciones hæreticorum an sit licitum audire.

Dico 3. Genu flectere, caput aperire, vel aliis cæremoniis vti in Synagogis hæreticorum, est illicitum, si fiant hæc animo profitendi hæresim, vel ipsam approbandi, vel cum aliorum offensione & scandalo: si autem prædicta fiant ob alium finem, V. G. obsequii causa, vt si famulus, vel ancilla, comitetur Dominum, vel Dominam, ad Synagogam hæreticorum, dummodò per ista obsequia, nullum cultum tribuat cæremoniis hæreticis, sed ipsi domino, & in eum præcisè intentio honoris feratur: & ita Naaman Syrus 4. *Regum 5.* flectebat genua in templo idololatrarum, non vt coleret idolum, sed vt regi suo præstaret politicum seruitium. Si ergo vel staret, vel ambularet, vel genu flecteret Rex, necesse erat famulum eadem præstare, non intuitu religionis, sed ratione obsequii ciuilis: & sic magna erat differentia inter Naaman & Regem: Nam adoratio Regis fiebat intuitu Religionis: adoratio autẽ Naaman fiebat intuitu ciuilis obsequii. Cùm enim flecteret genu, non alio animo faciebat, quàm vt suo Regi genu flectenti, famulandi studio subseruiret. Ita Abulensis, & Liranus circa locum citatum, ex libro Regum.

Genu flectere caput aperire an sit licitum in Synagogis hæreticorum.

Exemplum Naaman.

Dico 4.

Dico 4. In iis locis vbi Catholici cum hæreticis, promiscuè viuunt, & quotidiè sine prohibitione, aut excommunicationis periculo cum illis conuersantur, licitum est Catholicis prosequi, & comitari funera hæreticorũ, si præcisè spectetur sepultura, nam qui deducunt, vel comitantur, non dicuntur sepelire, si ipsi non sepeliant: secus grauiter peccarent illi, qui iuberent hæreticum in loco sacro sepelire, vel id consulerent, quia facerent contra leges Ecclesiasticas. Si verò sepultura, hæc fiat in templo, quod Catholicis ereptum, hæretici possident, vt in Polonia sæpè accidit, certum est nõ peccare Principem, neq; Sacerdotem, qui eiusmodi sepulturas non prohibent, timendo ne maiora mala inde eueniant. Si verò commodè possint impedire, tenentur, neque in hoc confœderationis leges violant, quia ipsi hæretici, contra fœdus Ecclesias Catholicas profanârunt, & eripuerunt, atque ita vt seditiosi puniendi essent, si non vt hæretici. Hæc quæ dicta sunt, si fiant respectu amicitiæ, vel cognationis, aut alio titulo honesto, non autem quatenùs hæreticis faueant. Monendi tamen sunt Catholici, vt ab his actibus practicè abstineant. In illis locis, vbi prohibita est conuersatio Catholicis cũ hæreticis sub pœna excommunicationis, non est licitum funera hæreticorum comitari.

Hæreticorum funera an sit licitum comitari.

Dico 5. In Baptismo Catholicus filium hæretici de Sacro fonte suscipere potest, si baptismus ritu Catholico ministretur, vt docet Nauar. *Consil. 1. n. 66.* Non tamen hæreticus, ad filium Catholici suscipiendum in baptismo, admitti debet, nam id Ecclesia prohibet, quia suscipientes debent esse paruulorum instructores.

Patrinus hæreticus esse non potest.

Dico 6. Libros hæreticorum legere, tractantes de fide, sine facultate, & dispensatione, Catholicis non licet: Hoc enim est prohibitum in Bulla cœnæ Domini sub pœna excommunicationis: Nã etsi alia vera continere videantur, tamen plura mala miscent, iuxta illud S. Hieronym. Epist. 7. ad Lætam: *Venena inquit non dantur, nisi melle circumlita.*

Libri hæreticorum an legendi.

Dico 7. Disputare cum hæreticis de fide, Catholicis non licet, præsertim rudibus laicis, sub pœna excommunicationis. *cap. quicunq; de hæreticis in 6.* Quia periculum est ex parte auditorum qu

Disputare de fide an liceat.

rádsunt, ne peruertantur; Et disputantes pœnam excommunicationis incurrunt, in iis locis, Vbi Catholici non sunt permixti hæreticis; Vbi verò sunt, non est in vsu supra dicta inhibitio, sed per contrariam consuetudinem est abrogata.

Dico 8. Sacrificium Missæ pro hæreticis in communi applicati non debet; quia Ecclesia omnes excommunicatos priuat omnibus suffragiis, & orationibus, quæ eius nomine publicè fundi solent; potest tamen pro eis Missa applicari indirectè, V. G. potest Sacerdos, Missæ Sacrificium offerre pro Polonia, & quia in Polonia sunt etiam hæretici, ideò pro illis quoq; indirectè fit Sacrificiũ. Directè verò offerre Sacrificium pro ipsis non licet. Porrò priuatim & in particulari, pro hoc, vel illo hæretico, etiam nominatim denunciato, orare licet; Etiam in *Memento* Missæ, potest Sacerdos pro ipsis orare, vt persona priuata.

Missa an offerenda pro hæreticis.

PETES 3. *An participatio politica cum hæreticis sit licita?*

Nota Hæreticos non esse vitandos Catholicis, nisi sint nominatim denunciati excommunicati. Ratio est, quia in Concil. Cõstan. concessum est fidelibus, ne teneantur vitare excommunicatos qui non sunt nominati denunciati, sicut & notorios Clericorũ percussores.

Post Concil. Constantien. non sunt vitandi.

Dico 1. Cùm hæreticis non faciles ineundi sunt contractus, conuentiones, fœdera, pacta, siue publica, siue priuata etiam licita, propter tres causas. Primò propter periculum subuersionis, ne Catholici qui paciscuntur cum hæreticis deficiant à vera fide. 2. Propter scandalum pusillorum. 3. Propter perfidiam hæreticorum qui non seruant fidem Deo & hominibus: Quòd Deo non seruent, exemplo Lutheri demonstratur, qui triplici titulo fuit perfidus in Deum. Primò Quia fidem Catholicam, quam in Baptismo susceperat, & multis annis professus fuerat, tandem abiecit; quæ summa perfidia est. In quo imitatus est Hymenæum & Alexandrum, de quibus Apostolus 1. Timoth. 1. *Circa fidem naufragauerunt, quos trādidi Sathanæ.* Secundò quia cum esset religiosus, solemni voto promisit Deo perpetuam castitatem; non seruauit; sed monialem simili voto obstrictam, sacrilego connubio sibi adiunxit. Tertiò quia cum pu-

cum publico ritu in Academia Catholica Doctor Theologiæ promoueretur, iuramento se obstrinxit, defensurum, illam doctrinã, quæ tunc multis sæculis vsu erat recepta: neq; hoc præstitit, sed nouam sectam est commentus. Quòd si hæretici fidem Deo datam violant, neq; hominibus promissam seruant. Experientia loquatur, exempla antiqua taceo, noua & moderni temporis nota sunt.

Dico 2. Si paciscaris cum hæreticis, fides est seruanda illis in contractibus. Ratio est, quia obligatio pacti oritur ex triplici Virtute, s. Veritatis, Fidelitatis, & Iustitiæ. Veritas ad hoc obligat, vt syncerè, & non fictè promittas, vt quod verbo promittis, etiam animo promittas: fidelitas ad hoc, vt opere præstes, quod promissum est, ne perfidus fias. Iustitia ad hoc, vt alteri cum quo pactus es, tribuas ius suum, quod illi debetur ratione pacti. Sed hæ virtutes æquè te obligant, siue cum Catholicis, siue cũ hæreticis paciscaris. Ergo.

An hæreticis publica officia danda.

Dico 3. Hæreticis officia publica Ciuitatis committere, non est licitum. Patet, tùm quia imminet ab eis periculum subuersionis & periculum fauendi impietati hæreticæ, eamq; promouendi, quod videmus apertè in multis Ciuitatibus in Regno Poloniæ, in quibus hæretici publica officia tenentes Ciuitatis, compellunt Catholicos ad hæresim. Tùm quia Catholicis nolunt concedere iura Ciuitatis.

Ministri non tolerandi.

Dico 4. Ministris, & præceptoribus hæreticorũ, nullo modo domum locare licet; quia hoc est apertè eorum sectam promouere, cum maximo multorum Spirituali damno.

An seruire licet hæreticis.

Dico 5. Catholicis licitum est seruire hæreticis, maximè in illis regionibus, in quibus confœderatio locum habet; semper tamen cauendum est famulis Catholicis, ne impediantur, vel distrahantur, ab obseruantia præceptorum religionis Christianæ; nam si hoc fit, tunc oportet obedire magis Deo, quàm hominibus, & omninò alius dominus Catholicus quærendus est, ne anima tantum spirituale nocumentum patiatur. Hinc.

Collige 1. Non posse famulum Catholicum, domino hæretico, talia seruitia exhibere, quæ præceptis fidei Christianæ prohibentur, multò magis, si id præcipiat in contemptum fidei Catholicæ, vel ignominiam Creatoris, potiùs enim mors subeunda erit, quàm præcepto hæretici obedire.

Collige 2. Pueri, vel adolescentes apud hæreticos conuersantes, vel habitantes, ad ediscendas literas, vel cuiusuis generis artes, quibus cibi ieiuniorum nō proponuntur, possunt cum dispensatione Episcopi, vel illorum Confessariorū, qui ad id priuilegia dispensandi habent, vti lacticiniis. Dixi *ad ediscendas literas*, quia reuera optimè prohibitum est in quibusdam Diœcesibus, ne parentes Catholici filios mittant ad scholas hæreticorum sub peccato mortali, eoque reseruato Episcopis.

Libri hæreticorum non legendi.

Dico 6. Omnes legentes, imprimentes, vel apud se retinentes libros hæreticorum, excommunicationem incurrunt Cœnæ Domini, nisi ad hoc specialem licentiam habeant à Papa. Vt dixi *in Tabula Naufragij disp. 10. q. 2. a. 2. quæsito. 2.*

Vendi non debent libri hæreticorum.

Dico 7. Vendere libros hæreticorum, vel de hæresi suspectos, nullo modo licet; hoc enim esset venenum mortiferum propinare. Item compactorem Catholicum ligare libros hæreticos nō decet.

QVÆRES QVARTO.

Quænam sint pœnæ hæreticorum?

Variæ pœnæ hæreticorum.

Nota Pœnæ quibus hæretici afficiuntur sunt variæ: nam aliæ sunt spirituales per quas priuantur bonis spiritualibus; Aliæ sunt corporales, vt carcer, exilium, mors. Aliæ reales.

PETES 1. *Quænam sint pœnæ hæreticorum, spirituales, & quis eas tollere possit?*

Pœnæ spirituales.

Dico 1. Hæreticus qui suā mentē exteriùs sufficienter manifestat verbis, aut signis, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, Papæ reseruatam, non tamen est vitandus, nisi sit nominatim denunciatus. Porrò hæreticus mentalis, id est, qui errorem mente conceptū, nullo signo externo prodit, non incurrit excommunicationem, & sic potest à quolibet Confessario approbato absolui: nam Ecclesia non vendicat sibi iurisdictionem in actus merè internos. Similiter hæreticus purè exterior, qui passione aliqua adactus, contra fidem aliquid exteriùs prodit, sed interiùs errorem non habet, non contrahit excommunicationem Bullæ, licet peccet mortaliter; V. G. si ali-

Hæreticus interios.

Hæreticus exterior non incurrit.

si aliquis ob metum, ore diceret se esse hæreticum, non verò mente, & talis in foro interiori à quolibet absolui potest; quia talis non est hæreticus, nam contra fidem non peccaret, sed contra confessionē fidei. Ita communiter DD. in talem tamen Ecclesia animaduertere potest, an id quod ore affirmauit, mente non retineat.

Absolutio ab hæresi Papæ reseruata, & iis quibus ipse concedit facultatem.

Dico 2. Absolutio ab hæresi Papæ reseruata est, ac proinde nullus potest ab ea absoluere, nisi auctoritate Papæ; Vnde Bonacina de Censuris. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 11. dicit. *Nullus quamuis Episcopali dignitate fulgeat, potest ab hæresi absoluere in foro interiori*: quia priuilegium concessum Episcopis à Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 6. reuocatum est per Bullam Cœnæ Domini: dicit tamen Bonacina ex Farinacio, quòd licet non possint Episcopi absoluere in foro conscientiæ, possunt tamen in foro externo, & in sua diœcesi, hæreticos inquisitos, & pœnitentes ad fidem redeuntes recipere, Ecclesiæ reconciliare, illisq; pœnitentiam iniungere, talemq; absolutionem prodesse etiam in foro interiori, *ex cap. vt officium, de hæreticis in* 6. hoc idem Inquisitoribus concedit. In Iubilæis non conceditur facultas absoluendi ab hæresi Confessariis, nisi iis, qui habent facultatem à Papa, vt in Tabula Naufragii dixi *d.* 10. *q.* 2. *a.* 2. *quæsito* 2. An autem aliqui Religiosi priuilegium absoluendi habeant ab hæresi videant; ne pœnitentes, & seipsos decipiant, & ne excommunicationem incurrant Papalem. Porrò in articulo mortis, quilibet Sacerdos, etiam simplex, potest ab hæresi, & ab omnibus Censuris, & peccatis absoluere, quia in tali casu cessat omnis reseruatio, vt dixi in *Tabula Naufragii*.

Nota.

In Iubilæis non datur facultas ab hæresi.

In articulo mortis datur eis absolutio.

PETES 2. *An pœnæ corporales hæreticis sint infligendæ?*

Poenæ corporales hæreticorum.

Respondeo De pœna carceris, & exilii patet ex dictis, quòd licitè infligantur hæreticis. Quòd autem & pœna mortis. Probatur, quia hæresis est peccatum maximum, eò quòd plus noceat, quàm aliquod aliorum peccatorum, subuertendo, nimirum fidem, quæ est fundamentum bonorum operum omnium, & sine qua nihil boni manet. Tùm quia turbant pacem Ecclesiasticam, & politicam, rebellionemq; sæpè inducunt; vbi enim est publica animorum dissensio, ibi publica pax esse non potest. Si ergo turbatores

pacis

pacis politicæ, vt homicidæ, adulteri, inuasores, pœna capitis puniuntur, multò magis vtriusq; pacis turbatores, puniendi sunt: & sic in lege veteri falsi prophetæ, blasphemi, idololatræ puniebantur.

PETES 2. *Quænam sint pœnæ hæreticorum reales?*

Prima est, Spoliatio bonorum omnium, vt habetur *cap. cùm secundùm leges, de hæreticis in 6.* Ita Canonistæ *Verbo hæresis.* 2. vt quicunq; fuit aliqua ratione obligatus hæretico, siue obligatione fidelitatis, siue obsequii, siue alterius pacti, vel promissionis; post sententiam iudicis, liber est ab obligatione. 3. pœna est, priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, *c. Quicunq; de hæreticis, in 6.* 4. pœna est infamia *in eodem cap.* 5. pœna est, irregularitas, etiam & filiorum, vt dixi in Tabula Naufragii propè finem. Pœnæ reales.

ARTICVLVS IV.

De Schismate, & Apostasia.

In hoc Articulo inquirendum est, quid sit schisma, quale peccatum, & quæ pœnæ eius: hoc idem de Apostasia inquirendum.

QVÆRES PRIMO.

Quid sit Schisma, quale peccatum, & quæ pœnæ illius?

Dico 1. Schisma est voluntaria, & pertinax subtractio, & separatio ab obedientia vniuersalis Ecclesiæ, vel Papæ, qui primum locum tenet in Ecclesia, quando constat illum Canonicè electum. Est communis DD. quia Schisma Græcum, Latinè est scissura: Schismatici enim subtrahunt se ab vnitate corporis Ecclesiæ, in ordine ad vnum caput, quod in terris est. Ita Bonacina *disp. 3. q. 4. p. vltimo §. 5. n. 1.* Schisma quid.

Dico 2. Schisma est peccatum mortale grauissimum ex suo genere. Tùm quia aduersatur charitati; cuius proprium est vnire, & conciliare: Neq; vnquam fieri potest Schisma peccatum veniale ex paruitate materiæ. Quamuis autem hæresis esse nequeat sine Schismate, fieri tamen potest, vt schisma reperiatur sine hæresi; quia fieri potest, vt quis detrectet obedientiam Papæ, etiamsi credat illum esse verum Christi Vicarium. Quale peccatum. Schisma potest esse sine hæresi.

Dico 3. Pœnæ Schismaticorum. 1. Schismaticus priuatur Ec-

clesiastica potestate, non quidem Ordinis, quia fundatur in charactere, qui est indelebilis, sed iurisdictionis: cùm enim voluntariè se retrahat ab Ecclesia, & ipsius capite, non est æquum, vt fruatur potestate iurisdictionis. Vnde sequitur inualidam esse absolutionem collatam à Schismatico, saltem nominatim denunciato. Ita Bonac. n. 2. 3. 2. pœna, Schismaticus incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, ipso facto, si re ipsa subtrahat se ab obedientia Papæ; non autem si solo animo intendat se subtrahere; Ex quo patet discrimen inter excommunicationem ob hæresim, & ob schisma, nã illa non contrahitur, nisi adsit error in mente, hæc verò contrahitur ob solùm opus externum. Possunt autem schismaticum absoluere illi, qui habent à casibus Bullæ, & ab hæresi. 3. Pœna schismaticorum, inhabilitas ad beneficia in futurum consequenda, quæ inhabilitas tolli potest ab Episcopo, si delictum sit occultum: nõ priuatur tamen ipso facto beneficiis, quæ ante schisma possidebat, nisi schisma habeat hæresim annexam, quam vt plurimum, habet. 4. Pœna est, schismatici incurrunt irregularitatem, quia sunt & hæretici. An autem vitari debeant à fidelibus, idem dicendum est de illis, quod de hæreticis dictum est.

Pœnæ Schismaticorum.

PETES *An Rutheni, & Moschouitæ sint schismatici & hæretici?*

An Rutheni sint schismatici.

Respondeo Illum qui negat Papam canonicè electum esse caput Ecclesiæ, esse hæreticũ. Sed Græci Schismatici, & Rutheni sunt tales. Ergo sunt hæretici, & Schismatici simul. Præterea multos errores alios habent. 1. putant Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere, non autem ex Filio. 2. Non esse ignem purgatorii. 3. Animas iustorum non esse in cœlis. 4. Iudicium particulare post mortem non esse. Quæ omnia sunt contra S. Scripturã, & contra SS. Patres etiam Græcos, vt probant Theologi. Imò moderni Rutheni multos errores imbiberunt à Caluinistis in Scholis Kiiouiensibus, etiam de SS. Eucharistiæ Sacramento. *Quòd si quæras, An Popi Ruthenorum vel Episcopi, validè Sacramenta, & licitè administrent?* Respondeo De Vnitis S. Romanæ Ecclesiæ, nullum est dubium, & sic Catholici audiendo ipsorum Liturgias satisfaciunt præcepto Ecclesiæ in die festo, & Sacramentum ordinis apud ipsos validum, quia habent legitimam

Sunt & hæretici.

An Rutheni Sacramenta verè administrant.

legitimam successionem Episcoporum. De Schismaticis verò dubium est, quia legitimam successionem Episcoporum an modò habeant, nescitur, & consequenter an validè conficiant Eucharistiā. Popi Schismaticorum, vel Episcopi eorum, Ordines conferant, certū non est, vnde qui ordines acciperet à Schismatico, incurreret suspẽsionem ab vsu illorum Ordinum.

Schismatici non sciatur an conficiant.

QVÆRES SECVNDO.

Quid sit Apostasia, & quotuplex, & quale peccatum?

Apostasia Græcum.

Apostasia est nomen Græcum, latinè retrocedens, vel deserens, significat eum, qui à fide quam professus fuerat, recedit, eamq; deserit, & sic Apostasia dicitur, retrocessio.

Apostasia quid & quotuplex.

Dico 1. Apostasia in genere, est retrocessio à Deo, quæ fit tribus modis, iuxta tres modos, quibus quis coniungitur Deo, nimirū per fidem, obedientiam mandatorum eius, & Religionis statū, & sic triplex colligitur apostasia. 1. vocatur perfidiæ, quæ est à fide suscepta, recessio. 2. dicitur inobedientiæ, quæ voluntatem à mandatis Dei resilientem indicat; & in omni peccato mortali reperitur, ob quā dæmones vocantur spiritus apostatici, & peccator apostatare à Deo dicitur. 3. dicitur irreligiositatis, quæ est duplex: vna quando quis recedit à statu Clericali; alia quando à statu Religionis assumpto recedit. Ita Sylu. *Verbo Apostata.* Hinc.

Collige 1. Apostata ille dicitur, qui à monasterio recedit animo deserendi statum religiosum, siue habitu dimisso, siue non.

Apostasia differt à fugitiuo.

Collige 2. Differre apostatam à fugitiuo: quia apostata est, qui recedit à monasterio, nō redeūdi animo, sed excutiēdi à se iugū obedientiæ; fugitiuus vero ille est, qui egreditur ob metum, & rigorem Prælati, aut ob vagandi voluntatem. Ita Sanchez. *lib. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 41. d. 15.*

Apostasia multiplex.

Dico 2. Apostasia alia est interior, alia exterior, alia vtroq; modo, sicut de hæresi dictum est. Porrò apostatæ subiacent pœnis hæreticorum, quia sunt veri hæretici, deserendo veram fidem.

ORATIO ET CONCLVSIO.

OBsecro Domine IESV CHriste, vt omnibus infidelibus & hære-

ticis

ticis, qui de tuo non sunt ouili, gratiam, & auxilium dare digneris, vt de via erroris, redeant ad viam veritatis, de tenebris in lucem, de falsa doctrina ad veram. Aperi Domine oculos, & aures eorum, vt te vocantem audiant, & occludant aures Pseudoapostolis, & Pseudoprophetis; fac, vt reuertantur ad te verum Pastorem, & tibi dent honorẽ, in vera Religione (præter quam non est salus.) Effice vt ad te per veram cordis contritionem, & oris perfectam confessionem, conuertantur, & pascuis doctrinæ Catholicæ, & gratiæ tuæ pascantur; & dissolutis omnibus vinculis infidelitatis, transire valeant ad pascua æterni paradisi, vbi nulla ampliùs incursio hostium, nulla deceptio timenda, nulla luporum formido formidanda, sed vbi erit æterna securitas, & secura æternitas, in qua tibi laudes perpetuas, vnâ cum ipsis, & celeusma triumphale decantemus in secula seculorum, Amen.

F I N I S.

Ad Maiorem DEI Præpotentis gloriam, & honorem B. Virginis MARIÆ, omniumq; Sanctorum.

Omnia ex animo subijcio examini, & correctioni S. Romanæ Ecclesiæ.



✠

INDEX RERVM MEMORABILIVM:

Quæ in hoc opere continentur.

Benedictio.

Blasphemia.

Breuiarium.

C.

Charitas.

Castitas.

Causa.

Calix.

Christus.

Corpus.

Corpus

Crux.

Cultus.

Vide verbo Deus, & Sancti,

Credere.

Massa fa-

De forma Eucharistiæ.

Necessitas Sacramenti Euchari-stiæ.

Eucharistiæ Minister.

Eucharistiæ dispensatio.

Eucharistiæ susceptio.

cati mor-

Qui obli-

Non est

Menda-

LAVS DEO.

